SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantiai acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redacta» alia denique iuridica, quibus opportune, illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant» in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

VOLUMEN V - EDITIO QUINTA

ROMAE

Ex TYPOGRAPHIA RICHAKDI GARKONI

OLIM SOC. TYP.-EDITRICIS ROMANAE

1911

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SEPARATIONIS TORI

Die 31 Iulii 1869,

Compendium facti. Lucia iara vidua anno 1853 nupsit iterum Ioanni in oppido N. Uterque coniux eiusdem oppidi non eiusdem erant aetatis: Lucia enim aetate longe maior. Concors vitae consuetudo non fuit diuturna: namque elapsis vix paucis mensibus iurgia et dissensiones subortae adeo coniugum animos exasperarunt, ut maritus ab uxore iterum atque iterum brevi recessisse atque inde redasse dicitur, donec ita recessit, ut non amplius ad uxorem redire velle videretur: in irritum cessis officiis et consiliis tum Parochi, tum parentum, tum amicorum.

Hoc moclo decem annos vita transacta, tandem Lucia die 11 Octobris 1865 per Parochum loci, penes episcopalem curiam canonicam postulavit separationem, varia allegans in virum accusationum capita: idest: I°, quod Ioannes indolem praeseferret iracundam et duram adeo, ut cum ipsa quadam die de mala eius vitae consuetudine etsi leviter obiurgavit, ira succensus eam iniuriis et contumeliis affecerit quae ad coniugale quoque debitum referrentur; et ante ultimam longamque separationem, nulla iusta ac legitima causa praehabita, ab se ter recesserit: 2°, quod paulo post initas nuptias cauponas frequentare, ibique inebriari coeperit consueveritque; unde dissensiones, iurgia et convicia derivarent: 3°, quod eiusmodi vitae indulgens totum eius patrimonium fere obliguriverit, quin sibi necessaria vitae suppeditaret, imo et parva dotalia sua bona ab eo administrata in discrimen adduceret.

Hoc Parochus accepto libello, ut ad episcopalem curiam eum transmitteret, accersivit coniuges eosdemque coram interrogavit. Sic autem interrogavit Ioannem: *Uxor tua cum videat te venumdare usque ad minima res fundosque tuos atque pretium*

harum rerum adeo celeriter obligurire, timet ne sua bona eamdem patiantur sortem; ideoque petit a te separationem quoad torum et bona: cedis ne eius votis? Cui interrogationi Ioannes respondit: *utique cedo.* Iterum Parochus : *renuisne omnibus singulisque bonis, quae Ludae supervenerunt post separationem, ac superventura erunt? Utique sincerissime renuo,* respondit Ioannes.

Hanc viri declarationem a muliere confirmatam et ab utroque coniuge subscriptam una cum mulieris libello ad episcopalem curiam Parochus transmisit.

Idem Parochus, ad haec validius roboranda, se paratum exhibuit, sub iuramento quoque omnibus testari, si opus fuisset, Ioannem accersitum se coram stitisse, eumdemque de petitione, ab uxore facta monitum fuisse ;.. gravamina a muliere exposita eidem patefecisse; ac denique eumdem virum hisce omnibus refragatum non esse, quin imo libenter separationi corporum et bonorum consensisse.

Habitis hisce actis, curia episcopalis, quin aliud exquireret die 3 Novembris 1865 hanc tulit sententiam: « Considerando, « quod dicti coniuges iam ex facto sint separati, et eorum unio « gravia incommoda secumferret: considerando, quod dicta Lucia « petat canonicam separationis sententiam, et Ioannes consen- « tiat absque ulla oppositione, declaramus locum esse exaudi- « tioni petitionis mulieris : quamobrem auctoritate nostra episco- « pali sententiam tulimus ac ierimus separationis quoad torum « et habitationem inter dictos coniuges Luciam et Ioannem, «eosdem declaramus canonice seiunctos, eos remittentes ad ci- « vilem iudicem pro bonorum separatione ».

Hac sententia ad Parochum missa ab eo notificata fuit tantummodo Ludae, quae eam tribunali civili obtulit ad Decretum habendum de separatione bonorum. In more enim esse dicitur apud eos populos, ut tribunal civile decernat de bonorum separatione, statim ac constet de canonica sententia separationis a Iudice ecclesiastico edita, qui mos a sacris canonibus non est profecto alienus.

In hoc civili tribunali certior a suo Defensore Ioannes factus esse dicitur de sententia ab Episcopo lata, atque die 4 Februarii 1866 ad Internuntius seu negotiorum Gestorem S. Sedis in ea ditione existentem appellavit; quamquam hic, cum Nuntius Apostolicus non esset, competens Iudex non erat in causa iudicanda.

Petiit interea Ioannes a suo Episcopo apostolos (1), quos Episcopus denegavit ea de causa, quod sententia ob lapsum fatalium in rem iudicatam transiisset et elapsum quoque esset tempus dierum triginta ad petendos apostolos.

Verum cum Ioannes per suum Gausidicum insisteret apud dictum negotiorum Gestorem, affirmans, se non posse damnari, cum nec citatus esset, nec sibi sententia esset intimata, denique causa per Secretariam Status delata est S. Congregationi

(1) Si qui sint Lectores nostri, qui in iurisprudentia canonica non sint versati, fortasse nesçient quid sint eiusmodi *apostoli* qui petuntur a Iudice a quo quis iudicatus est. Apostoli a graeco verbo aTcoffTsXXw latine *dimitto* dicti sunt : hi non sunt aliud nisi literae Iudicis, qui sententiam tulit, per quas causa dimittitur ad eum Iudicem qui appellatus est. Eiusmodi libelli dimissorii iuxta vetus ius civile scriptum continebant, quis, adversus quem, et a qua sententia appellaverit, de qua re loquuntur leges *106 ff. de verb. sign., I. un. ff. de Libell, dimiss. I. 1. fin. I. 5 % ult. ff. de adpell. I. 9 de Iure fise.* Hoc nomen cum iuridico suo valore invexit in ius canonicum. Gratianus in suo *Decreto can. 31 c. 2 quaest. 6* formulam apostolorum his verbis proposuit : *Ego sanctae Bononiensis ecclesiae Episcopus te Presbyterum Rolandum capellanum S. Apollinaris ad Apostolicam Sedem, quam appellasti, ab observatione mei iudicii his apostolis dimitto.* Eiusmodi apostoli dandi et petendi erant intra praestitutum tempus (quod varium fuit pro diversitate temporum), ne ille, qui appellavit, appellationis beneficio se abdicasse videretur, *cap. 6 de appell, in 6, Clem. 2 eod. Ut.*

Si quaeras praxim iuridicam horum apostolorum penes Auctores et tribunalia reperies confusionem maximam. Cf. Lancellotti de *Attentatis p. 2 c. 13, de attentatis pendente tempore apostolorum petendorum,* Card. De Luca *de Iudiciis disc. 37,* quamvis hic Auctor apostolos expresse non nominet. Breviter hac in re sese expedivit Devoti in suis aureis *Institutionibus canonicis,* qui referens in *t. 3 tit. 15 de appell,* per summa capita horum apostolorum notionem, concludit: *Sed nunc fere nullus in foro est apostolorum usus, ac per libellum appellationis intra decendium in actis exhibitae appellatio interponitur.* Quod iam dixerat Voet in *Pandect. I. 49, tit. 6, n. 2* cum coeteris ibi allegatis Auctoribus agentibus de praxi tribunalium civilium. Hodie autem regula, quae universim videtur in praxi Curiarum ecclesiasticarum satis servata, est, ut appellatio interponatur infra decem dies a lata seu intimata sententia in ipsis actis causae inserenda apud Iudicem, qui sententiam tulit, ut ita tam ipse Iudex, quam victor scire valeant appellationem fuisse interpositam tempore debito : atque ut tempus prosequendae appellationis apud superiorem Iudicem sit annus, et ex iusta causa etiam biennium. Quae sunt regulae generales tum canonici tum civilis iuris. Confer quoque causam, quam retuli in *Vol. IV. pag. 353* et alteram *pag. 378 in eod. Vol. IV.*

Concilii. Cum autem constaret ex habita Episcopi relatione et attestatione Parochi, sententiam separationis Ioanni non fuisse rite denuntiatam, die 19 Augusti 1867 Rescriptum prodiit: *In casu de quo agitur esse locum appellationi coram quo de iure.*

Hoc edito Rescripto Episcopus illico dedit apostolos iique transmissi fuerunt ad S. C. C. unde alterum consuetum Decretum prodiit: *Ponatur in folio et notificetur E. P. D. negotiorum Gestori S. Sedis . . . ut moneat partes ad deducendum quatenus velint, ulteriora iura sua coram 8. Congregatione et de resultantibus certioret.*

Hoc Decreto executioni mandato, Ioannes declaravit, se. praeter ea quae iam deduxerat apud negotiorum Gestorem, nihil aliud deducendum habere: Lucia autem novum libellum obtulit, in quo expositas causas allegans, ita concludebat: *me condemnare ad convivendum cum eo* (Ioanne) *idem esse ac ad mortem condemnare: invincibiliter enim ab eo abhorreo.*

Causa itaque proposita est coram S. C. sub infrascriptis dubiis.

Disceptatio synoptica.

Quoniam duplex agitaretur quaestio, quarum una formam iudiciariam respiceret; altera vero meritum causae, nonnulla ex officio sunt animadversa super utraque quaestione.

EA QUAE ANIMADVERSA SUNT PRO VIRO QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM. Consideratum est favore Ioannis, eiusmodi quidem causas quae respiciunt separationem tori illis accenseri, quae summario modo et absque iudicii strepitu pertractari possint, *Clement.* 2 *Dispendiosam, de Iudiciis,* in qua haec dispositio legitur Clementis V. ex Concilio Viennensi: *Dispendiosam prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis iudiciarii observatione causarum docet experientia provenire) restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus, ut in causis super electionibus... seu quibusvis Beneficiis ecclesiasticis aut super decimis... nec non super matrimoniis vel usuris et eas quoquomodo tangentibus, ventilandis procedi valeat de caetero simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura.*

In comperto autem esse, in iudiciis summariis ea quidem omitti posse, quae requirantur ex mero positivo iure, non autem quae ex naturali iure ad causae definitionem sint necessaria:

quae autem haec sint, ita idem Pontifex in *Ciernen.* 2 *Saepe, de Verb. signifie,* ad rem nostram declarat : *Non sic tamen Iudex litem abbreviet. quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. . . . Sententiam vero definitivam (citatis ad id licet non peremptorie partibus) in scriptis stans vel sedens proferat.*

Iam vero haec omnia substantialia in praesenti themate neglecta fuisse: nulla enim iudicii forma servata, sententiam prolatam esse partibus non citatis. Se stitisse quidem coniuges coram parocho et examinatus fuisse, iuxta ea quae diximus, circa separationem, sed nullum verbum de iudicio habendo sententiaque formalis divortii ferenda : immo ex iis quae gesta scriptaque essent a Parocho, apparere quidem eumdem Parochum antea studuisse animps coniugum conciliare: postea vero nihil aliud prae oculis habuisse, quam ut viri consensum haberet ad separationem, quin curaverit de causis inquirere, quae formale divortium suaderent, quin testes vocaret atque audiret, quin iuramentum partibus deferret, ita ut omnia in simplici Parochi assertione consistere viderentur.

Et quoad ipsum separationis consensum, quem coram se Parochus Ioannem emisisse testatus fuerat, haec exposuit Ioannes in supplici libello : *petitum sibi directe a Parodio non fuisse separationis consensum, sed sermonem quemdam vagum fuisse institutum de voluntaria separatione: idque se posse suo iuramento firmare.*

Neque sententiam in ignoto iudicio a Curia emissam, fuisse unquam Ioanni notificatam. Verum quidem esse, Episcopo testante, eam consuetudinem in ea dioecesi vigere, ut sententia divortii ad Parochum mitti soleat, ut Parochus eam tradat ad illum ex coniugibus, qui ea uti possit in tribunali civili, quod decernere debet de separatione bonorum: sed huiusmodi consuetudinis rationem habendam non esse, cum haud rationabilis videretur: agi enim de iure coniugi tollendo, quod ex matrimonio rite inito dérivât : neminem autem inauditum et inscium legitimis suis iuribus spoliari privarique debere.

EA QUAE PAVORE SENTENTIAE SUBT ANIMADVERSA. Sed contra consideratum est Ioannem, post ea quae gesta erant coram Parocho, inscium remanere non potuisse de causa sua: quod et ipse Parochus animadvertit, qui non sine admiratione Episcopo

haec retulit: *dimidium horae spatium insumpsi, ut ei exponerent clarissima ratione et optima fide petitiones eius uxoris. Profecto de re simplici agebatur... Tantum temporis requiritur ut comprehendatur quid sit separatio corporis et bonorum? Ego claris verbis eidem dixi, negotium de corporum separatione praesentandum esse Episcopo... ego legi clare et distincte documentum quod Ioannes libentissime subscripsit, ita ut dum illud legebam sub eius oculis singulas litteras propemodum längerem. Et ipse nunc dicere audet me eum decepisse!*

His Parochi verbis suffragari non modo eius dignitatem et religionem ab Episcopo probatam,.verum etiam ipsum documentum declarationis a Ioanne subsignatum: nec in pretio habendas esse videri contrarias Ioannis assertiones cum in medium tum essent deductae, cum se totum Causidicis tradidisset.

Caeterum nec opus fuisse inquirere de causis divortii probationesque colligere, cum notorium iamdiu esset, Ioannem uxorem suam deseruisse et decennium in ea desertione iam perseverasse: quod si de gravi animorum dissensione constare deberet, ipsam subsignatam declarationem argumentum de ea suppeditasse.

Quod si nihilominus emissa sententia defectibus scateat animadvertendum esse, ut Episcopus retulit, tribunalis ecclesiastici institutiones iuxta sacros canones servari in ea dioecesi haud posse ex temporum locorumque adiunctis. Haec quoad incidentem quaestionem, quae formam respicit iudicii.

EA QUAE ANIMADVERSA SUNT IN CAUSAE MERITO PRO MULIERE. Animadversum scilicet est, perpetuam et individuam esse debere inter coniuges vitae consuetudinem: odiosum ideoque esse maritalis consortii individuitatem dissociare; neque id fieri posse nisi graves habeantur causae.

Porro, *ex* parte Lucia e, eiusmodi graves causas 'ad divortii sententiam habendam existere, easdemque esse viri saevitias, eiusdem ebrietatis vitium, dilapidationem patrimonii, atque incorri gibilitatem eiusdem, ita ut Lucia se adhuc vitam vivere affirmaret, quia Ioannes ab ea separatus vixisset.

Pòrro quoties vir iniuste saevitiis in uxorem invehat, satis convenire Auctores, ad eas sufficientes existimandas ad perpetuam decernendam separationem; ceu opinatur Cosci *de separat, tori coniug.* U c. 6 *n.* 23 dicens: « Si maritus sine iusta seu

« ex levi causa frequenter male tractet uxorem, evidentissimo « decipiuntur aequivoco, qui huiusmodi malas tractationes, si « non sint atrocissimae, spernendas esse putant, non ex alia «ratione, quam liceat marito levibus etiam percussionibus cor- « rigere uxorem ut emendetur; nam sublata iusta causa, cessat «necessitas correctionis : neque per correctionem speranda est « emendatio de errore seu culpa non commissa; ideoque in hoc « casu, sive leves sive graves malae tractationes fuerint ad se- « parationem deveniendum esse omnis ratio suadet ». Cui consonat S. Rota *decis.* 248. *n.* 9 p. 6 *Recent.*

Inter eiusmodi saevitias recensendas esse iniurias etsi verbales, quae diffamationem quamdam secumferant, quaeque ingenium mulieris honestae et piae concuti ant.

Haec quidem graviora evadere, tum ex eo quod vir continuo renuerit alimenta Luciae necessaria suppeditare; tum ex desertione pluries a viro repetita, quae denique usque ad decennium fuerit protracta: eaque gravissima esse argumenta capitalis implacabilisque odii; et eiusmodi desertionem, quae proprio ingenio fiat, contra bonos mores factam censeri, *I.* 5. *C. de Inst. et subst., Cap. Porro, de Divortiis.*

His accedere habitualem viri ebrietatem, quae ut causa separationis tori ad tempus saltem admittitur, Sancbez *de Matr. I.* 10 *disp.* 18 *n.* 18, Cosci *loc. cit. c.* 17 *n.* 28.

Insistebat denique Lucia praesertim in eo, quod Ioannes patrimonium suum in cauponis frequentandis fere dilapidaverit, et uxoris dotem dilapidandam appeteret: quo posito auctoritatem adducebat Clericati de *Sacr. Matr. dec.* 39. *n.* 18, Card. de Laurea, *disp.* 42. *n.* 272, qui inter saevitiae actus refert dilapidationem et dissipationem bonorum, scribens : « Quarto videtur « reduci posse ad saevitiam, si coniux bona omnia vel maiorem «partem dissipare velit et de facto id exequi coeperit, hoc enim «grave est innocentis onus non facile tolerandum ».

Cum autem in facto haec omnia plus minusve comprobata haberentur, tum ex Parochi attestatione, tum ex testibus extraiudiciales adductis, tum ex facto desertionis decennalis, neque spes haberetur, virum ab hac mala agendi ratione recessurum, plurium annorum experientia docente, locum esse canonicae tori separationi Lucia concludebat.

EA QUAE PRO VIRO SUNT ANIMADVERSA. Ioannes inquiebat, non quamvis sed iustam et legitimam causam concurrere oportere ad tori separationem decernendam, cuiusmodi esset causa saevitiarum vel implacabilis odii, vel quiquid aliud grave, ex quo coniugum animi ita esacerbati evadant, ut alterutrius vita graviter periclitetur: idque exigere non qualecumque sed rigorosam evidentemque probationem: hinc si in saevitiis causa reponatur, non quamlibet saevitiam causam esse posse, ut saepe tradidit S. Rota et nominatim in *decis.* 39 *n.* 12 *p.* 6 *recent.*, ubi legitur, « ut non quaelibet saevitia sufficiat, sed illa tantum, quae re-« sultat ex pluribus et reiteratis actibus, et iis quidem atroci-« bus ; adeo ut nec plures moderati, nec unus atrocissimus sut-« ficiant ».

Rursus, si implacabile odium inter coniuges obtrudatur, inspiciendum esse, utrum revera coniuges odio exardescant, unde emanaverit, utrum perpetuo duraturum, utrum nulla reconciliationis spes affulgeat.

Si denique maximum proferatur alterius coniugis vitae periculum, sedulo perpendendum esse an istud in simplici metu aut suspicione consistat, S. Rota *Amnionen, separationis tori* 6 *Iunii* 1766 *coram De Comitibus.*

At vero si de saevitiis sermo habeatur, inquiebat Ioannes, primo eas non ostendi, cum in assertione Luciae totae consistèrent, neque Parocho esse credendum, tum quia unus testis, tum quia hac in re suspectus esset; secundo saevitiarum facta, quae a Lucia narrarentur, inter saevitias connumerari non posse, quia leves essent actus et momentanei vel ex primo impetu et ex magna animi commotione, vel ob uxoris culpam, inobedientiam et pervicaciam prodire potuerint, ex quibus argui non posse consuetudinem insaeviendi, quae consuetudo necessaria esset pro decernenda tori separatione, Rota *in Signina separat, tori* 4 *Iunii* 1790 §. 5 *coram Malvasia.* Idipsum de iniuriosis verbis sentiendum esse inquiebat, quae praeterea totidem iniuriis lacessita a Lucia essent : actum profecto esse ait de universis fere coniugiis, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis coniuges separari deberent, contra dispositionem textus *in Cap. Literas, de Bestit. spol.*, ideoque S*. Congregationem Concilii in casu duriori separationem tori negasse in *Firmana,* die 16 Maii 1789.

Ad excludendam autem dictarum causarum existentiam allegaba! Ioannes testimonia tum Magistratus loci, qui inter caetera testatus est : *quoad **ego** sciam Ioannes est vir tranquillus **et** incapax ad malum cuivis faciendum :* tum quatuor incolarum eiusdem loci qui testati sunt: *Ioannem numquam brutalitatis actum in suam uxorem exercuisse, neque iniuriarum inurbanarum, neque eam unquam male tractasse.* Porro testibus de iniuriis saevitiisque illatis deponentibus, eos esse praeferendus, qui eas excludant, S. Rota in *Valentina separat.* 12 *Feb.* 1751 *coram Elephantutio.*

Odium autem Ioannes a se removere curabat, tum ex suis christianis moribus, tum ex adductis testimoniis, tum denique ex ipsa sua cura ad uxorem reducendam ad maritalia obsequia.

De negligentia in agendis ministrandisque domesticis negotiis, si ea haberetur, nullo modo inquiebat inter legitimas separationis causas esse recensendam: et huic negligentiae occurri posse per legitima iuris remedia, cum daretur actio de repetenda dote coram tribunali civili.

Neque habendam esse rationem dati utrinque consensus de separatione : tum quia passione abreptus illum dederit : tum quia pendente lite illum revocaverit.

Cum itaque causae deessent ad separationem, curiae sententiam esse infirmandam.

Dubia.

I. « An constet de legitima appellatione in casu ».

II. « An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel in- « firmanda in casu».

RESPONSIO. S. Congregatio Concilii causa discussa die 31 Iulii 1869 respondere censuit:

Ad I et II. *esse locum separationi **Quoad** torum.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Causas plures in curiis ecclesiasticis iure pertractari posse non solemniter, sed summarie.

II. Causas summarie pertractandas non exigere omnes eas formas, quae praeceptae sunt ex mero iure humano ad ordinarium solemnemque Iudicii ordinem; sed eas tamen formas exi-

gere, quae ex iustitia aut aequitate necessariae aut opportunae existimentur (1).

III. Iustitiam et aequitatem exigere, ut qui iudicandi sint vocentur in iudicium, ut cognoscant eorumdem causam esse iudicandam, et si velint iura sua testesque in sui defensionem adducant, atque ut sententiam quae inde emittatur ignorare non possint.

IV. His substantialibus solemnitatibus non servatis, etsi emissa sententia iusta forte fuerit, eam tamen sententiae vim non haberem ideoque illos iuridicos parere non posse effectus, quos sententia rite lata parit (2).

V. Colliges praeterea matrimoniale divortium semiplenum, seu separationem perpetuam quoad torum, decernendam non esse nisi graves iustaeque habeantur causae, quae dictam separationem decernendam esse persuadeant.

VI. Etsi harum causarum praecipua in iure sit alterutrius coniugis adulterium quod tribuit insònti coniugi ius a se adulterum perpetuo repellenda ad huius quoque causae imitationem alteram subsequi, quae sita est in diuturna et iniuriosa desertione.

VII. Quemadmodum enim adulterium, ita diuturna et iniuriosa desertio fidem coniugalem graviter violat, quae individuam vitae consuetudinem exigit.

VIH. Eo vel magis, si causae, quae talem desertionem causatae fuerint, sint iam ex sese idoneae ad suadendam canonicam separationem ac perpetuo videantur duraturae.

IX. Hisce in adiunctis, insonte coniuge separationem perpetuam postulante, eam a iudice esse decernendam (3).

(1) Videsis Appendicem I.

(2) In praesenti themate valde probabiliter Ioannes latam sententiam novit, priusquam Lucia eam sententiam detulisset tribunali civili ad bonorum separationis Decretum obtinendum : cum tamen hanc notitiam Ioannes habuisset aliunde, quam ex aliquo ministerio curiae, non poterat eidem nocere: ideoque dies praescripti ad appellandum, quos fatales dicimus, in eum non decurrebant. Ad summum eiusmodi dies decurrere potuissent a die quo a Tribunali civili eam sententiam noscere debuit: sed etsi tum incipi poterant, iisdem tamen diebus transactis sine appellatione, potuisset Ioannes infirmare sententiam ex capite *nullitatis:* quia sententia iudicialis lata erat quin. ipse fuisset vocatus et auditus in iudicio. Vocatus quidem fuerat a Parocho, qui, forte ex mandato curiae, Ioannem accersivit et a Parocho fuit interrogatus, sed hi non erant iudiciales actus.

(3) Confer alteram huius generis causam, quam adduxi in *Vol. TL p. 123 et seqq.*

SUSPENSIONIS!

Die 22 *Iunii 1863.*

Compendium facti. Bernardus Parochus oppidarius in dioecesi N. fuit suspensus a proprio Episcopo ab officio paroeciali die 29 Aprilis 1861 : deinde per Decretum Vicarii Generalis die 27 Novembris eiusdem anni suspensus fuit a Divinis ex informata conscientia, idest, causa" non expressa: quod tamen Decretum postea ratum habuit Episcopus. Bernardus hisce suspensionibus gravatus preces obtulit S. Sedi enixe flagitans: I° ut invocaretur Decretum mense Aprili ab Episcopo latum : 2° ut Vicarius Generalis cogeretur in medium deducere causas suspensionis ex informata conscientia; atque ipse orator ad suam defensionem admitteretur: 3° ut Episcopus invitaretur ad transmittendum processum.

His precibus de more ad Episcopum remissis pro informatione et voto, utque referret de oratoris aetate moribus atque scientia, causis inflictae suspensionis; et documenta ad rem facientia transmitteret, respondit: Bernardum versari in aetate 50 annorum atque ad commodam pertinere familiam: ab Episcopo alterius dioecesis fuisse sacris ordinibus initiatum et ad sacramentales confessiones admissum : ob hanc causam se illum recepisse in sua dioecesi in auxilium eius avunculi Parochi eiusdem oppidi: eidemque praefecisse quoque ut Oeconomum paroecialem. Se nihil habere adversus Parochi mores: imo argumenta habere, Bernardum bonis moribus esse praeditum, cum eius adversarii non valuerint eum pravorum morum insimulan: se tamen existimare necessaria scientia in theologia morali eum esse destitutum, et minus idoneum ad instructionem : nimia forte indulgentia se et examinatores synodales adprobasse eius examen et concursum pro paroecia: nihilominus eidem collatam fuisse paroeciam, quia in montis cacumine posita tenues redditus haberet, quin alii haberentur concurrentes, et ob merita eiusdem avunculi et exercitium eius Oeconomatus duos fere annos.

Ad causas suspensionis quod attinet, retulit, eas esse, quas curiae exposuerat Syndicus et Municipium eiusdem oppidi; ea

de causa missum fuisse Vicarium Generalem ad 6am paroeciam, ut summarie examinaret testes et audiret Parochi defensiones: hisce peractis ideo suspendisse illum a cura animarum, non tamen a beneficio et redditibus, ob rationes sequentes : I° quod excepto tempore Quadragesimae et Adventus per spatium decem annorum, quod et ipse Parochus fassus esset, omisisset instructionem catecheticam : 2° quod graviter infirmorum curam neglexisset: B[a] quod neglexisse! administrationem et commoda ecclesiae : 4° quod populo gratus non esset ob rudem eius indolem.

Se noluisse prosequi regularem processum, quod cogitaret exigere tantum novum specimen eius idoneitatis ad paroeciam regendam, ut tranquillus de hac re esset: quoad accusationes contra eum latas, partim admissas partim disquirendas, se persuasum esse, ex longa suspensionis protractione Parochum iam earum poenam subiisse : rebus sic se habentibus, se putasse mitissime cum eo agere per iniunctionem spiritualium exercitiorum decem vel quindecim dies antequam in pristinum restitueret, dummodo tamen ipse Parochus se obligaret ad dandum post tres vel quatuor menses novum examen in re morali et ad solvendam interim parvam quamdam retributionem Oeconomo iuxta taxam synodalem: Parochum per suam epistolam omnia facere renuisse: postea vero consensurum se ostendisse, excepto novo examine quod omnino recusaverit: tum Vicarium suspendisse illum a Missae celebratione, se tamen Parochum in omnibus esse libenter reintegraturum, si argumenta certiora haberet sufficientis eiusdem idoneitatis. Haec Episcopus, qui simul transmisit acta concursus peracti in collatione Paroeciae et tabulas processus, quae tamen usque ad exitum perductae non fuerant.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Parochus per suum Defensorem deducebat epistolam, quam idem Episcopus eidem scripserat, ut susciperet tamquam Oeconomus eius paroeciae administrationem : in hac namque epistola institerat vehementer Episcopus, ut eam administrationem susciperet, ea praesertim de causa, quia populus ille amore eumdem Bernardum prosequeretur atque ipse eum

cognosceret idoneum ad paroecias regendas ad quas regendas non omnes essent idonei : adpromiserat praeterea Episcopus, se non modo ut Oeconomum, sed ut Parochum esse eum suffecturum illi paroeciae; quod facere ipse posset, cum deessent concurrentes.

Alteram pariter deducebat epistolam alterius dioecesis Episcopi, qui eiusdem Bernardi pietatem et idoneam scientiam ad populi regimen multis extulerat laudibus.

Animadvertit itaque Defensor his in adiunctis paroeciam Bernardum suscepisse et decem annorum spatio sine ulla Episcopi querimonia in ministerio perseverasse.

Post haec prosequebatur Defensor ad tria iam indicata accusationum capita: idest I° ad negligentiam in catechesi: 2° ad gravem socordiam in adsistentia infirmorum : 3° ad inconsultam bonorum administrationem : atque admonuit hodie quartam adiungi causam ab Episcopo, idest populi aversionem : quam tamen neque in processualibus tabulis, neque in aliis documentis aliquo pacto probari contendit.

Quoad primum accusationis caput animadvertit Defensor, etiamsi Parochus fuisset negligens, moneri prius ab Ordinario debuisse ex tridentina dispositione, *cap. 2 ss. 5 de Refor.* in quo legitur : « *Archipresbyteri quoque, Plebani, et quicumque parochiales ... ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat... provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur : Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias per ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat»* .

Eo vel magis, quod ipse Parochus munere suo functus esset iuxta consuetudinem quae eo in oppido vigere dicebatur.

De socordia eiusdem in sacramentis administrandis paroecianis aegrotis, animadvertit Defensor, quinque enumerari exempla ab accusatoribus obiecta, quorum unum respicere mulierem crebrius ex devotione viaticum exposcentem, et adhuc viventem, cui Parochus indulgere renuerit : secundum circa alteram mulierem nec volam quidem haberi in processu: tria denique alia exempla respexisse paroecianos apoplético morbo vel inopinata morte sublatos. Deficiente itaque negligentia aut culpa in hac accusatione desse quodvis poenae fundamentum.

Falsum quoque esse tertium accusationis caput contendit; quod si malae gestae administrationis suspicio adesset, locum fuisse redditioni-rationum : caeterum haec omnia levia nec in processu contestata, Episcopum ipsum parvi fecisse, cum non aliud quaesiverit, nisi novum *specimen idoneitatis.*

Quoad alteram suspensionis poenam a Vicario Generali ex informata conscientia inflictam, adnotatione facta, dubitari merito posse, an Vicarius Generalis huiusmodi suspensionis inferendae iure potiretur, caeterisque omissis, quae dici possent de eiusmodi extraordinario modo suspendendi, animadvertit ad eiusmodi infligendam poenam gravissimum debere esse crimen, Benedictus XIV *de syn. I.* 10 *c. i. n. B et* 5, Cosci in *Addit.* 3 *ad vot. de sponsal.* 266, Ubi scripsit : « Si agatur demum de poena suspen-« sionis a Divinis vel ab officio, haec profecto non est herba « Betonica in omnibus emplastris adhibenda, prout nonnulli Or-« dinarii opinantur qui in omnibus casibus et pro quacumque « causa censuris abutuntur, easque, licet maximopere formi-« dandas, propter frequentem usum seu verius abusum, red-« dunt contemptibiles, sed nonnisi ob culpam lethalem Ordina-« rius illam comminari seu fulminare potest. » Item Monacell. in *Formular, t.* 3 *in Praelud. n.* 9, ubi scripsit: « Verum tamen est, « quod haec censura non incurritur, nisi ob propriam culpam, « eamque mortalem, prout communiter imponi solet etiam ab « Homine ... quia" cum poena debeat esse commensurata de-« lieto seu culpae, et suspensiones ab Officio, Beneficio,-Ordine « sint graves, ideo requirunt culpam gravem ».

Atqui suspensionis causam, quae in casu prolata esset, in eo consistere, quod Parochus peragere noluerit spiritualia exercitia eidem iniuncta, quia novum examen subire detrèctaverat: quae tamen exercitia spiritualia tamquam poena, gravi et iustis-

sima deficiente causa, iniungi haud poterant: de qua re sic Cosci *loco cit.* « Si agatur de exercitiis spiritualibus, ea in poenam « sine iustissima et gravi causa imponi nequeunt: licet enim « peragere spiritualia exercitia ex devotione sit pium opus ma- « xime laudabile, si tamen peragantur in poenam per illa, uti « poenalia, subditus ita mulctatus infamátur ».

Eo vel magis quod non fuisset Parochus mulctandus suspensionibus ratione novi examinis ; namque Parocho etsi imperito, sed honesto, coadiutorem esse imponendum ex expressa'Trid. sanctione, *cap.* 6 *sess.* 21 *de Reform,* in quo statutum fuit : *« Quia illiterati et imperiti parochiaiium ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis... Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedi delegati eisdem illiteratis et imperitis... coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint quacumque appellatione remota.*

Verum nonnisi ex rationabili causa ad novum examen compelli posse Parochum ab Episcopo, qui eumdem tamquam idoneum probaverit, ex Resolutionibus S. C. C. docuisse Bened. XIV. in opere de *Syn. I.* 13 c. 9 *n.* 21, ubi haec scripsit: « Saepe con- « tingit, ut quidam Parochi temporis decursu, indocti et inha- « biles comperiantur, propterea quod post adeptam animarum « curam, necessarium studii exercitium omnino relinquant. Porro « si de eorum imperitia et ignorantia probabiles notitiae et gravia « argumenta suppetant, tunc in potestate Episcopi erit, etiam « extra visitationem, omni iudicii forma seclusa, huiusmodi Pa- « rochos ad examen revocare, quamvis alias ab eodem Episcopo « in praecedenti examine fuerint approbati. Ita olim S. C. re- « spondit Episcopo Pampilonensi die 22 Septembris 1668 ».

Item Ferraris *Biblioth. can.* verbo *Parochus art.* 1 *n.* 25, ubi scripsit : « Quod possit Episcopus reexaminare a se ipso iam « examinatos et approbatos Parochos, quos ex *supervenientibus « vehementibus indiciis vere probabiliter iudicaverit* illiteratos et « insufficientes, ex quo non exculta scientia in ipsis defecerit : « opinio enim insufficientiae est veluti quaedam accusatio seu « denunciatio ».

Item Pignatelli *t.* 1 *Cons.* 133 *n.* 7, « Tenendum est in hac « re tamquam certum, quod possit Episcopus Parochos ad exa- « men vocare, quando defectus eorum scientiae est notus, prae-

« ceditque fama eorum imperitiae vel erroris in administratione « sacramentorum. Quia tunc error et fama se habent tamquam « accusatores... » Atque generatim S. Pium V. in Const. *Romani Pontificis* statuisse : Parochum « *ab eodem Episcopo iterum non examinari* ».

Atqui, instabat Defensor, unicum imperitiae argumentum in praesenti themate prolatum, esse concursum ipsum anni 1851, ex quo non satis idoneum Parochum Episcopus censeret : verum expensis actis concursus, idoneitatem Parochi ostendi contendit ; praesertim autem prae parvo oppidulo, cui Bernardus Coadiutoris et Oeconomi munus iamdiu obierat cum magna Episcopi ipsius laude, adeo ut animarum curam non electus et adprobatus tantum, sed etiam vere coactus suscepisse ex praedicto epistolio evinceretur. Quapropter ait, hunc esse praecise casum in quo minor potestas Episcopo competat, et urgentiora indicia et vulgaris diffamatio concurrere debeant ex sententia Benedicti XIV. *Instit. eccles.* 9 *n.* 16, de quibus tamen in processu ne vestigium quidem apparere.

Quin imo probari contra, subdidit, ex non paucis testibus et auctoritate etiam conspicuis, concordiam ac benevolentiam Parochum inter et paroecianos perseverasse, solertemque ac industrem Parochum se gessisse: ideoque aestimationem pro meritum esse suorum paroecianoru n, qui pastoris reditum impense prosequerentur.

EA QUAE EX OFFICIO SUNT ANIMADVERSA. EX officio e converso animadversum est, causas suspensionis non adeo leves esse existimandae, ut exinde Bernardus tali poena plecti non mereretur : planum siquidem esse Parochos teneri ad pueros rudesque homines christianae religionis rudimenta edocendos, ceu inter caeteros docuit Benedictus XIV. in Const. *Etsi minime,* eosdemque debere catechesim diebus festis populo tradere iuxta allegatum Tridentinum Decretum *sess.* 5 c. 2 *de Ref or.* Atqui, teste Episcopo, etsi a speciali quoque sanctione synodi dioecesanae ad hoc munus obligatos existeret, et quatuor per annos instanter monitus, nonnisi Adventus et Quadragesimae tempore eiusdem officium adimplere sategisse : merito ergo Episcopum, prima suspensione contumacem Parochum plexisse : nec Parocho suffragari posse consuetudinem, quam invocabat, quae nullam vim habere posset hac in re contra expressam Tridentini sanctionem, dioecesanam synodum et iteratas Episcopi iniunctiones.

Quae quidem augeri, si consideretur negligentia eiusdem Parochi tum in sacramentis tum in ecclesiae redditibus administrandis. Quamvis enim in eis aliquam adesse exaggerationem Episcopus ipse suspicantur, non tamen omnia falsa evinci : quin imo, quoad sacramentorum administrationem, eumdem Episcopum retulisse : *certum esse, quoniam ipse Parochus id non diffiteretur, extra paschale tempus, se renuisse semper sacram eucharistiam deferre infirmis qui eam ex devotione peterent.*

Ad alteram suspensionem quod attinet, quae dicta est ex informata conscientia, observabatur, eam latam esse, ut retunderetur pertinacia, qua novum examen subire Parochus renueret: ideoque quaestionem huc redire, utrum Parochus ad novum examen adigi possit.

Hac autem in re Doctores distinguere, an Parochus examini subiici velit ab eodem |¡Episcopo, qui illum iam adprobaverat, vel a successore. Si agatur de Episcopo successore, eum posse Parochum examinare *pro sola quiete conscientiae suae,* tradidisse S. Rotam *in decis.* 258 *recen. n.* 3 *p.* 19 *t.* 11, et Benedict. XIV. *Instit. eccl.* 9 *n.* 16. Idemque Episcopum praestare posse tum in visitatione tum extra, docere Barbosam in *Summ. Apost, decis, verbo examinare n.* 11 ; nec non S. Congregatione n *in Placentina* 28 *Augusti* 1628. Recte nihilominus monere videri Monacell. *tom.* 1 *tit.* 10 *formul.* 15 *n.* 3, ne Episcopi huiusmodi facultate utantur, nisi cum magna cautela, et praecedente diffamatione, vel coniectura imperitiae. Parochum enim, alias adprobatum, esse in possessione suae idoneitatis, ideoque non debere sine causa turbari, nec eius fama in discrimen revocari.

Si vero res sit de Episcopo, qui Parochum approbaverit, edixisse quidem S. Pium V. in Constit. *Romani Pontificis* eum non debere Parochum iterum examinare : id tamen intelligendum videri non absolute, sed de Parocho contra quem suspicio imperitiae non urgeat, quo in casu non posse Episcopum novum examen exigere definivisse S. C. C. *in Pampilonen.* 22 Septembris 1668 *(lib. Decr.* 26 *p.* 108), ex qua Sacrae Congregationis Resolutione solam conscientiae sedandae rationem non sufficere tradisse Benedict. XIV. *loc. cit.* Alias autem docere communiter Doctores eumdem etiam Episcopum posse ad novum examen Parochum adigere, quoties de eius imperitia vehementia superveniat indicia, Monacell. *loc. cit. n.* 12. Quaenam auten esse

valeant huiusmodi indicia tradisse Pignatel. *tom.* 1 *consult, canon.* 133, *n.* 7, cum scilicet defectus scientiae sit notus, praecedatque fama imperitiae, vel id ipsum Episcopus arguere probabiliter valeat, quia Parochus studio non vacaverit, ideoque scientiam antecedentem forte deperdiderit. Nec ad haec indicia probanda testes iuridice deponentes proferantur oportere, sed sufficere talem imperitiam constare Episcopo extraiudicialiter, vel quia illi per personas fide dignas ita relatum fuerit, vel ex dictis et factis Parochi, vel ex aliis circumstantiis ipsemet gravem coniecturam imperitiae depromat, ceu diserte definitum fuit a S. G. in alia *Pampilonensi* 15 Ianuarii 1667, *lib. Decr.* 25 *p.* 298, in qua Sac. Congr. respondens ad III. Dub. *censuit ad huiusmodi examen faciendum haud necesse esse, ut iudiciales probationes imperitiae praecedant.* Item in *Legionen.* 15 Decembris 1725, in qua cum resolutum fuerit « *Observanda esse antiqua Decreta* » laudatus Benedict. XIV. *de Synod. Dioeces, lib.* 13 *cap.* 9 *n.* 21 diserte explicare eadem Decreta ad sequentia reduci; nimirum a prudenti Episcopo in re tam gravi non esse inconsiderate procedendum; non esse praebendas nimis faciles aures fallacibus vulgi vocibus clamantis imperitum parochum esse, et administrandae Paroeciae ineptum : si vero de eiusdem imperitia et ignorantia probabiles notitiae et gravia argumenta suppetant, tum in potestate Episcopi esse etiam extra visitationem, omni iudicii forma seclusa, huiusmodi parochum ad examen revocare, quamvis alias ab eodem Episcopo in praecedenti examine fuerit approbatus. Quam quidem conclusionem confirmat Pignatellius *loc. cit.* etiam ex facultate quam Tridentini Patres *Sess.* 21 *cap.* 6. Episcopis tribuerunt, dandi scilicet coadiutores Rectoribus imperitis: quippe, non admisso novo examine, aut numquam darentur coadiutores, aut iniuria darentur iis Rectoribus qui forsan habiles essent et periti.

Hisce in iure praeiactis, imperitiam Bernardi arguere in facto Episcopum ex ipsomet examine suae approbationis, quo-nonnisi, ex necessitate et deficientibus aliis habilibus eumdem parochiae praefici potuisse. Quo praecise iri casu teneri Episcopum inquirere, dum actu visitat, de recta sacramentorum administratione et adhibere examen si fuerit necessarium pro huiusmodi notitia acquirenda, prout docet Pigliateli, *loc. cit. n.* 18. Atque huiusmodi occurrente casu non expectanda esse ab Episcopo indicia gravia

imperitiae, sed eumdem debere omnino de necessaria scientia per se ipsum inquirere.

At in casu prostare animad vertebatur, attestationes Municipum qui referebant, conciones Bernardi *conciliare somnum... imo fideles eiusdem conciones audientes in explanatione Symboli Apostolici fidem esse amissuros si ad Parochi dicta stare debuissent,* addebantque, quotannis easdem super oratione dominicali et Apostolico Symbolo tractationes iisdemque verbis se audire. Quae confirmabantur a duobus aliis oppidanis quorum unus testatus erat, Parochum risum concitare, cum idem semper diceret ; alter vero, eumdem potius confusionem mentibus ingerere quam lucem. Quapropter indubium videri concludebatur graves in casu concurrere de Parochi imperitia coniecturas, quibus Episcopus eumdem ad novum examen compellere non immerito possit.

Animadversum tamen est favore Parochi, eiusmodi testimonia refelli satis videri a praeclaro testimonio Episcopi alterius dioecesis, de quo supra mentionem feci, quo hic Praesul affirmabat : *se audivisse eius conciones diebus dominicis sibique valde satisfecisse*

Dubium.

« An et quomodo Decreta curiae episcopalis diei 29 Aprilis 1871 « et 27 Novembris eiusdem anni sustineantur in casu ».

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 6 Iunii 1863 respondere censuit : *Ad mentem : mens est, ut scribatur Episcopo pro absolutione et rehabilitatione, praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies in loco ab eodem Episcopo designando.*

Ex QUIBUS COLLIGES '.

I. Suspensionem sive ab officio sive ab exercitio sacri ordinis, cum gravis sit poena honoremque graviter laedat, non debere infligi nisi raro et ob graviores lethales culpas.

II. Quare alia prudentiora media esse adhibenda a Iudice antequam ad censurarum gladium deveniat.

III. Causam suspensionis esse posse diuturnam negligentiam Parochi in pueris rudibusque imbuendis in fidei rudimentis festis diebus, ac in socordia in sacramentis administrandis, spretis paternis Episcopi admonitionibug.

IV. Colliges praeterea, Parochos semel ab Episcopo adprobatos cogi ab eodem non posse ad novum examen, nisi indebitae imperitiae argumenta dederint.

V. Neque omnem imperitiam causam esse posse ad exigendum novum examen : sed eam, quae nullatenus possit convenire cum populo, quem Parochus, caeteroquin probus, regat.

VI. Non enim eadem peritia requiritur in Parocho, qui simplices oppidanos regat, ac in eo qui culto callidoque populo praesit.

VII. In praesenti themate, deficientibus indebitae imperitiae argumentis, Parochum ab eodem Episcopo non potuisse cogi ad novum examen^ ac perperam Vicarium Generalem ex hac causa usum fuisse ea monarchica facultate summa discretione et in quibusdam tantum urgentibus adiunctis ab ipsis Episcopis adhibenda, infligendi censuras, quas ex informata conscientia appellant (1).

(1) Coram S. Sede eodem pretio habentur censurae inflictae ex causae cognitione et censurae inflictae ex in formata conscientia: namque sive in una sive in altera ratione infligendi censuras S. Sedes admittit defensiones, quae nemini unquam denegari debent, et, si desint iuitae causae, mandat, ut qui censuris gravantur, absolvantur: et si causae aperte iniustae appareant, respondit quoque irritas esse censuras, quamquam haec secunda respondendi ratio rarior sit.

In praesenti themate secunda suspensio dicta est ex informata conscientia : sed hoc nomine appellari vix poterat, cum causa ex sese appareret, cur illa inflicta fuerit.

IURISPATRONATUS

Die 31 Iulii 1869.

Compendium facti. Ioannes G. inulta sua bona donavit cuidam sacrae aediculae anno 1750, ea tamen lege, ut constitueretur capellanía non collativa, sed mere laicalis, quae possideri possit a laico vel etiam muliere, quique laicus vel mulier esset tamquam Rector seu simplex administrator.

Hanc capellaniam subiecit iuripatronatus hac lege : *quousque vivat ipse Ioannes ad eum spectet deputare Gapellanum, Rectorem seu administratorem, qui ab hoc temporis momento nominat et deputat clericum Dominicum M. nepotem suum... post mortem Ioannis spectet iuspatronatus et administratio ad Thomam M. alterum eius nepotem, et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum per lineam masculinam, atque cessante omnino linea masculina, ita ut neque adsint feminae ex linea masculina, ad primogenitum masculum ex linea feminina in infinitum, et in defectu masculi ad feminam maioris aetatis in infinitum.*

Contigit, ut Thomas M. secundo loco vocatus mascula sobole caruerit quinque filias relinquens. Harum feminarum filius primogenitus fuit Dominicus Cascioni: hic capellaniam retinuit quoad vixit. Eo mortuo capellanía transiit in eius filium Pomponium, qui coelebs decessit.

Mortuo Pomponio, *Victoria Cascioni* eius amita Episcopum adprecata est, ut sibi capellaniam addiceret, cum esset femina inter caeteras maior natu.

At Episcopo publicante edicta, ut si qui essent sua iura intra mensem deducerent, *Antonius Galloni* prodiit, qui, tamquam masculus primogenitus ex tota linea feminina e domo M. progenita, sibi capellaniam pertinere asseruit : interea *Henrica Cascioni* defuncti Pomponii soror capellaniae bona occupavit, sibi capellaniam prae caeteris deberi affirmans.

Episcopus controversiam dirimendam remisit S. Congregationi Concilii; datis interea capellaniae bonis administratori iudiciali administrandis.

Disceptatio synoptica.

Inter tres contendentes duo tantum iura sua deduxerunt coram S. C. scilicet Laurentius Galloni et Henrica Cascioni.

IURA LAURENTII. Antonius recolebat ea verba Fundatoris superius excripta: *spectet iuspatronatus et administratio ad Thomam M. alterum eius nepotem et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum per lineam masculinam, atque cessante omnino linea masculina, ita ut neque adsint feminae ex linea masculina, ad primogenitum masculum ex linea feminina in infinitum, et in defectu masculi ad feminam maioris aetatis.*

Hisce positis in facto constare inquit, *se esse primogenitum masculum ex linea feminina:* ergo sibi pertinere capellaniam. Ad feminam quidem maioris aetatis pertinere voluisse Fundatorem iuspatronatus, in defectu masculi.

Reiiciebat autem difficultatem ex eo petitam, quod masculus unius lineae non possit repellere feminam alterius lineae, quae iam in possessione versaretur iurispatronatus : respondebat enim, hoc verum esse quando Fundator plures lineas distinxisset: non vero quando descendentes collective vocaverit praelatis, masculis.

IURA HENRICAE. Henrica soror Capellani defuncti inquiebat. Fundatorem ordinem linearum servandum praescripsisse per ea verba: *et post eum ad primogenitum domus M. in infinitum, et cessante omnino linea masculina,... ad primogenitum masculum lineae femininae in infinitum, et in defectu masculi ad feminam maioris aetatis etc.* Porro vocato primogenito, eo ipso vocari totam lineam primogeniti, quae componitur ex fratribus et sororibus : eamdemque lineam caeteras excludere usquequo non cessaverit, S. Rota *decis.* 451 *n.* 8 *part.* 19 *recent.*

Atqui ad lineam primogeniti, qui capellaniam possedit, Henricam pertinere : ad eam ergo spectare iuspatronatus quae primogeniti iura et locum consecuta esset, iuxta ea quae passim tradidit S. Rota.

Quae quidem confirmare curabat tum ex eo, quod ille, qui primogenitum praedilexerit eius quoque posteritatem praedilexisse dicendus sit, tum ex eo, quod iuspatronatus vel fideicommissum,

semel ac praedilectam lineam fuerit ingressum, ex ea, nisi prorsus fuerit extincta, egredi non posset: quae quidem amplius confirmari inquiebat ex observantia, cum superius dictus Pomponius capellaniam retinuerit, quamvis alii maiores natu et proximiores Thomae haberentur in aliis lineis femininis, qui tamen ausi non essent Pomponio obsistere.

Quare Henrica concludebat, se in iurepatronatus esse manutenendam, cum nullus adesset in ea linea se maior natu quaeque insuper haeres extiterat sui fratris, qui fuit ultimus primogenitus.

His aliisque copiose animadversis propositum estresolvendum

Dubium

« An et cuius favore sit locus immissioni sive manutentioni « in casu ».

RESOLUTIO : S. Congregatio causa discussa in comitiis habitis die 31 Julii 1869 respondere censuit : *affirmative favore Laurentii Galloni.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Nihil impedire quominus capellaniae laicales possideantur a laicis vel feminis si fundator etiam feminas ad possidendas capellanías vocaverit: sattsfactis tamen per alium oneribus earumdem.

II. Capellanías mere laicales non conferri ab Episcopo, sed eum, qui ad possidendam ius habeat, ex se possessionem capere, quod fieri solet ope publici Tabellionis : ideoque appellari quoque solere *capellanias non collativas.*

III. Quoties Fundator primo loco vocaverit ad possessionem capellaniae seu iurispatronatus primogenitum ex aliqua progenie cumulative indicata, quae in plures lineas postea dispescatur, primogenitum ex universa progenie intelligi vocatum in quavis linea hic reperiatur.

——«R——

LEGATI

Die 31 Iulii 1869.

Summaria precum. Maria N. vidua Bussottil suo testamento anno 1867 quandam Regularium familiam haeredem instituit exsecutore testamentario constituto fratre suo. Inter caeteros legatarios reperta est quaedam *Clementina* Bussottil, cui centum scutata reliquit, conditione adiecta, ut si testatrici praemoreretur, ea scutata impenderentur in tot Missas quot celebrari possent in suffragium testatricis.

xVlortua testatrice apertoque testamento, nulla reperta est persona in familia Bussotil, quae *Clementina* appellaretur nec unquam extitit: reperiebatur tamen in ea familia vir nomine *Clemens.* Quare Clemens contendit sibi pertinere legatum, quod ex errore scripta esset in testamento Clementina loco Clementis.

Executor testamentarius anceps haerens supplicem libellum exhibuit S. C. C. ut id dirimeretur.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Cum in facto plene constaret neque esse in dicta familia neque antea fuisse mulierem nomine Clementinam, inspiciendum esse an erratum fuerit in nomine, et an aliunde constare posset de persona legataria, quae in praesentia Clemens esse dicebatur.

Legimus enim in *I.* 4 *Cod. de Testam. « Si in nomine vel praenomine seu cognomine seu agnomine testator erraverit, nec tamen de quo .senserit incertum sit ; error huiusmodi nihil officit veritati ».* Item in *Instit. tit. de Legat.* §. 29. « *Si quis in nomine, cognomine, praenomine, agnominé legatarii testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum, idemque in haeredibus servatur et recte. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest ».*

Porro in praesentia gravia haberi indicia errorem irrepsisse per tabellionem, qui loco Clementis, Clementinam scripserit, id quoque opinante exsecutore testamentario, qui ut dixi erat frater testatricis. Sed ad rem maxime facere animadversum est, testimonium cuiusdam Sacerdotis M. qui testatus est: *se iussu testatricis concinnasse eius voluntatem testamentariam, quam illa*

postea reformavit ac scribendam dedit Notario. In hac sua modula seu scriptura, quae adhuc extaret, inter legatarios existere Clementem Bussottil germanum fratrem viri testatricis.

RESCRIPTUM. S. Congregatio Concilii die 31 Julii 1869 re cognita respondere censuit : *Legatum spectare ad Clementem.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

Nihil interesse in Legatis errorem nominis, si de persona legataria aliunde satis constet (1).

(1) Quoddam opinionum discrimen extat intei Auctores, quando agunt de errore nominum, qui irrepserit in Literas dispensationum matrimonalium. Si quaestio ad normam iuris esset dirimenda error nominis non vitiaret Rescriptum si persona satis sit aliquo modo determinata ad quam Rescriptum referatur. Sed ad praecavendas fraudes praxis invaluit in Apostolica-Dataria, ut error nominis dicatur vitiare Rescriptum. Non auderem tamen dicere generali ratione eiusmodi errores nullum reddere Rescriptum; nam aliud est dicere per huiusmodi errores irreptos rursus esse supplicandum novasque literas expediendas vel delegatum Apostolicum procedere non debere ad executionem horum Rescriptorum; aliud est dicere ideo esse iterum supplicandum novasque literas expediendas, quia irritum fuit Rescriptum et irrita dispensatio; scimus enim eam esse praxim Datariae Apostolicae, ut si aliquod vitium in rescriptis irrepserit soleat non raro novas expedire Literas in forma, quae dicitur, *Perinde valere:* sed haec literarum expeditio non semper supponit nullitatem praecedentium Literarum : quae ut initae iudicentur, indigerent persaepe accurata disquisitionem ut videmus contingere quando non petatur invalidatio, sed in iudicium deferatur quaestio, utrum Rescriptum fuerit nullum nec ne. Eiusmodi quaestiones deferri solent ad S. C. C. ad quam etiam ipsa Dataria eas remittit, quando de re contentiosa agitur quaeque exigat specialem disquisitionem.

Ut huius rei indicem exemplum ; in quadam Hispaniae dioecesi nonnullis ab hinc annis quaedam dubitatio orta fuit, videlicet, an in Literis Apostolicae Datariae pro dispensationibus matrimonialibus, quae expediuntur in *forma pauperum-,* in quibus addi solet clausula, *dummodo pauperes et miserabiles existant;* si inde oratores pauperes non fuisse detegantur, et cum ipsis iam dispensatum fuerit, valida esset necne dispensatio. Pro nullitate literarum militabat gravis ratio, saltem gravis apparenter, per vocem illam *dummodo,* quae est particula conditionalis ; nec non obreptio et subreptio quae ipso iure irrita reddit Rescripta *Gratiae:* et altera non minus gravis, quae erat praxis Datariae, quae novas literas expedit in forma *Perinde valere,* quoties id contingat: quae quidem literae videntus supponere nullitatem priorum. Quaestio fuit discussa in S. Congregatione Concilii, sed dirempta non fuit, et usque adhuc non fuit reproposita. Ego memini in discussione, quae fit a iuvenibus, qui in studio

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DE FACULTATIBUS CONFESSARIIS CONCESSIS VI INDICTI IUBILAEI

DECLARATIONES

Die 1 Iunii 1869.

« Quamvis amplissimae facultates per Litteras apostolicas diei 11 *Aprilis nuper elapsi a SSmo Domino Pio PP. IX concess ae adeo in se perspicuae sint, ut nullum ambigendi locum relinquunt ; attamen ob notissimas rerum perturbationes nonnulla, circa rectam praesertim illarum applicationem, exorta sunt dubia, quae a Locorum Ordinariis huic S. Poenitentiariae solvenda proposita fuerunt. Cum vero difficile admodum ac prope impossibile foret sin-*

praxis S. C. C. versantur, antequam causae iudicandae deferantur S. C. C. plures ac fere omnes in validitatem dispensationis propendisse, ex non levibus rationibus idest ex indole illius clausulae, quae non afficeret Literarum substantiam; quaequae videretur posita, ne Delegatus seu Commissarius ad exequendam dispensationem procederet si, inquisitione facta, detegeret, oratores dici non posse pauperes; nec non quia videretur posita solummodo ad tutanda iura Curialium Datariae: denique, quia, cum dispensatio concedatur non immediate a S. Sede, sed per Commissarium, qui, summario quodam iudicio, iudicare debet, an preces veritati nitantur, error de carentia paupertatis redderet potius in culpam Commissarii, quam Oratorum; et eiusmodi Rescripta in fórma commissoria, cum similitudinem quandam habeant cum Rescriptis *Iustitiae,* horum leges sequi potius debere videantur: Rescripta autem *Iustitiae* ex aliqua obreptione vel obreptione obtenta non censentur nulla ipso iure, ut contingit in Rescriptis *Gratiae:* quamquam per exceptionem possint irrita reddi: quae quidem exceptio locum non amplius habet, cum fuerint executioni mandata, per Delegatum.

Caeterum haec retuli ea tantum de causa, ut cognoscatur non esse semper tutum argumentum illud, quod desumi solet a nonnullis ex praxi revalidandi Literas, ad concludendum irritas literas fuisse, quamquam praxis Curiae (sub cuius nomine venit praesertim Dataria) vim legis habeat.

gulorum postulatis satisfacere, S. Poenitentiaria opportunum censuit huiusmodi praecipua dubia, eorumque Resolutiones in unum colligere, et ad Locorum Ordinarios, benigne sic annuente eodem SS.mo Domino, transmittere, ut omnes in re tanti momenti concordi doctrina ac studio procedere possint ; deque iis sive per se sive per delectos ecclesiasticos viros, caute ac prudenter Confessarios instruere valeant. Dubia autem ac Resolutiones sunt quae sequuntur:

1. Se, in vigore delle facoltà contenute nelle Lettere apostoliche degli 11 Aprile, i confessori approvati dagli ordinarii possono assolvere coloro, che effettuarono l'invasione o ribellione dei dominii della S. Sede, i loro mandanti, aderenti o cooperatori, e coloro, che promossero leggi inique, e prestarono mano alla esecuzione delle medesime (1)?

R. Affirmative, dummodo Poenitentes exhibeant verae resipiscentiae signa, scandalum reparaverint, aut saltem parati sint quamprimum illud reparare meliori modo quo poterunt, atque obedientiam S. Sedi eiusque mandatis desuper ferendis sincere promiserint. Verum publici officiales, quorum officium aliquam cooperationem actibus a S. Sede reprobatis importare, seu legibus divinis, et ecclesiasticis adversari videatur, non absolvantur, nisi dimisso prius officio; et, quatenus illud dimittere nequeant, ipsi Officiales consulant Loci Ordinarium, qui decernat, et provideat iuxta Litteras S. Poenitentiariae diei 26 *Iulii* 1867, *quibus quidem Litteris oninino standum est.*

2. Se, e come possano dai Confessori assolversi quegli Ecclesiastici, i quali formarono o sottoscrissero indirizzi contro il temporale dominio della Santa Sede (2) ?

R. Affirmative, facta prius, ac sufficienter publicata retractatione iuxta Litteras S. Poenitentiariae diei 28 *Maii* 1863.

3. Se possano assolversi dai Confessori i violatori dell'immunità ecclesiastica personale, e locale, e della clausura (3) ?

(1) An vigore facultatum, quae ex uteris Apostolicis die 11 Aprilis datae suni. Confessarii adprobati ab Ordinariis possint eos absolvere, qui executioni mandarunt invasionem seu rebellionem in ditione S. Sedis, eorum mandantes, adhaerentes, cooperantes atque eos, qui leges iniquas promoverunt et auxiliarem dederunt operam ad exsecutionem eiusdem invasionis seu rebellionis?

(2) An et quomodo possint a Confessariis absolvi ecclesiastici illi, qui concinnarunt vel subscripserunt protestations formulas (Italice *Indirizzi)* adversus temporale S.Sedis dominium?

(3) An possint absolvi a. Confessariis violatores immunitatis ecclesiasticae personalis et localis et Clausurae ?

R. Affirmative, satisfacía parte laesa, ac reparata, meliori quo potest modo, iniuria Ecclesiae facta.

4. Se, e come possano assolversi coloro, che acquistarono, e posseggono beni ecclesiastici immobili, alienati dal Demanio (1) ?

R. Poenitentes, qui detinent huiusmodi bona non esse absolvendos, nisi prius Loci Ordinario, aut aliis viris ecclesiasticis, ab ipso Ordinario pro sua prudentia per Dioecesim designandis, consignaverint syngrapham ab eis subscriptam, seu coram testibus subsignatam, eidem Ordinario quamprimum transmittendam ac caute in Gancelleria dioecesana aut alibi custodiendam, qua sequentibus obligationibus seu conditionibus se, suosque haeredes et successores subiicere declarent.

1. *Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.*

2. *Conservandi ipsa bona, et rem utilem in eis gerendi.*

3. *Adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa.*

4. Subveniendi ex fructibus ipsorum bonorum personis, seu Locis piis, ad quae de iure pertinent.

5. *Monendi haeredes et sticcessores per syngrapham subscriptam de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

5. Se possono assolversi e sotto quali condizioni coloro, che acquistarono beni ecclesiastici immobili, e poi li vendettero ad altri, e che cooperarono ai contratti sopra i medesimi beni (2) f

R. Affirmative, deposito lucro exinde iniuste percepto in manibus Ordinarii, ad effectum illud conservandi favore Locorum piorum, quae damna passa sunt, reparato scandalo, monitis novis emptoribus, aliisque complicibus, ut propriae consulant conscientiae, et imposita singulis obligatione standi mandatis S. Sedis desuper ferendis.

6. Se, e con quali ingiunzioni possano assolversi coloro, che acquistarono beni mobili ecclesiastici (3) ?

(1) An et quomodo possint absolvi illi, qui acquisiverant et possident bona ecclesiastica immobilia alienala a Gubernio?

ß) **An possint absolvi et sub quibus conditionibus illi, qui bona ecclesiastica immobilia acquisiveruu t quaeque postea aliis vendiderunt, atque cooperati sunt ad contrahendum de iisdem bonis ?**

(3) An et sub quibus in iunctionibus possint illi absolvi, qui acquisiverant bona mobilia ecclesiastica?

R. Affirmative, imposita illis aliqua eleemosyna favore Locorum piorum, ad quae dicta bona pertinebant, quatenus emerin t pretio, quod iudicio Ordinarii seu Confessarii fuerit minus iusto. At, si agatur de rebus, quae non sint usu consumptibiles, seu quae servando servari possint, aut de supellectilem, et vasis sacris, imponatur Poenitentibus obligatio quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium ad hoc, ut super iisdem rebus provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam a S. Poenitentiaria concessum.

7. Se, e come possono assolversi coloro, che presero in affitto beni ecclesiastici occupati, od alienati dal Demanio (1) ?

R. Affirmative, imposita Poenitentibus obligatione quamprimum recurrendi ad Loci Ordinarium, ad hoc; ut super bonis conductis provideat iuxta Indultum ipsi Ordinario iam pariter a S. Poenitentiaria concessum.

8. Se, e come possano assolversi coloro, che presero in enfìteusi dal Governo beni ecclesiastici (2) *ì*

R. Huiusmodi Poenitentes non esse absolvendos, nisi prius Ordinario Loci, seu aliis viris ecclesiasticis, ut supra in dubio 4° *ab Ordinario designandis syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque haeredes et successores subiicere sequentibus obligationibus seu conditionibus.*

1. *Conservandi eadem bona, et in eis rem utilem gerendi.*

2. *Non utendi quocumque privilegio, et lege sive lata, sive ferenda quoad Canonis affrancationem.*

3. *Retinendi ipsa bona ad nutum Ecclesiae eiusque mandatis subinde ferendis quoad eorumdem bonorum restitutionem.*

4. *Adimplendi pia onera, quae eisdem bonis sint adnexa quatenus aliunde non adimpleantur.*

5. *Solvendi interim annuum Canonem, illumque augendi ad tramites iustitiae, et iuxta aestimationem peritorum timoratae conscientiae, si nimis tenuis in stipulatione contractus impositus fuerit.*

6. *Monendi haeredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngrapham, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

(1) An et quomodo possint absolvi illi, qui conduxerunt bona ecclesiastica detenta vel alienata a Gubernio ?

(2) An et quomodo possint absolvi illi, qui in emphiteusim a Gubernio acceperunt bona ecclesiastica ?

9. Se, e come possano assolversi coloro, che non solo presero dal Governo in enfiteusi beni ecclesiastici, ma ancora gli affrancarono (1) ?

R: Huiusmodi Poenitentibus providendum prout in superiori responso ad dubium sub n. 4°.

10. Se, e come possano assolversi coloro, che hanno redento censi, e dritti ecclesiastici di natura redimibili (2) ?

R. Affirmative, dummodo prius in manibus Ordinarii erogent q uidquid minus de capitali summa Gubernio persolverint, ad effectum illud conservandi favore Locorum Piorum, ad quae census, seu iura redempta pertinebant.

11. Se, e-come possano assolversi coloro, che affrancarono canoni, livelli, prestazioni, od altri dritti ecclesiastici di natura non redimibili (3) ?

R. Posse absolvi, dummodo prius, prout in responso ad dubium sub numero 4° *syngrapham consignaverint, qua declarent se, suosque successores subiicere sequentibus obligationibus, et conditionibus.*

1. *Retinendi fundos sic invalide affrancatos ad nutum Ecclesiae, eiusque mandatis subinde parendi.*

2. *Conservandi eosdem fundos, et rem, utilem in eis gerendi.*

3. *Servandi indemnia quocumque tempore Loca Pia super integra perceptione Canonis, Livelli ac Praestationis ac super quibusvis aliis iuribus, quae ad ipsa Loca Pia exinde spectabant ; nec non adimplendi prout de iure pia onera fundis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur.*

4. *Monendi haeredes et successores per syngrapham subscriptam, de huiusmodi obligationibus, ut et ipsi sciant ad quid teneantur.*

12. Se nella facoltà del Giubileo sia compresa anche quella di assolvere i Penitenti dall' eresia (4) ?

R. Affirmative, abiuratis prius et retractatis erroribus prout de iure.

(1) An et quomodo absolvi possint illi, qui non modo in emphiteusim a Gubernio acceperunt bona ecclesiastica, verum etiam eadem redemerunt ?

(2) An et quomodo possint absolvi illi, qui redemerunt Census et ecclesiastica iura indole sua redimibilia t

(3) An et quomodo possint absolvi illi, qui redemerunt Canones, Livella. Praestationes vel alia iura ecclesiastica indole sua non redimibilia ?

(4) An inter facultates pro Iubilaeo concessas contineatur facultas absolvendi poenitentes ab haeresi %

13. Se, durante il Giubileo, chi fosse già stato in forza di esso assoluto da censure, e casi riservati, cadendo di nuovo in casi e censure riservate possa essere assoluto per la seconda volta ripetendo le opere ingiunte (1) ?

R. Negative.

14. Se chi ha conseguito già una voltà.l'Indulgenza del Giubileo possa conseguirla di nuovo, purché ripeta le opere ingiunte (2)?

R. Affirmative.

15. Se i Confessori possono usare delle^facoltà straordinarie, con chi domandasse bensì di essere assoluto e dispensato; ma non avesse volontà di fare le opere ingiunte, e lucrare il Giubileo (3)?

R. -Negative.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 1 Iunii 1869.

ANTONUS MARIA Card. PANEBIANCO Poenitentiarius Maior.

L. Can. Heirano S. P. Secretarius.

(1) An tempore Iubilaei, qui vi Iubilaei eiusdem fuerit a censuris et a casibus reservatis absolutus, si iteium incidat in casus et censuras reservatas, possit secunda vice absolvi peragens iterum opera iniuncta?

(2) An ille, qui lucratus iam fuerit prima vice indulgentiam Iubilaei, possit eam iterum lucrari si repetat opera iniuncta?

(3) An Confessarii uti possint facultatibus extraordinariis erga eum, qui petat quidem absolvi et dispensari; quique tamen voluntatem non habeat peragendi opera iniuncta et lucrandi Iubilaeum?

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM — Feria II. die 12 Iulii 1869.

Cum consuetis clausulis sequentes prohibiti sunt libri.

La Bible dans l'Inde: Vie de Jezeus Christna, par Louis Jacolliot. Paris, A. Lacroix, Verboeckhoven et C.e, éditeurs, 1869.
Ernest Renan, Questions contemporaines. Deuxième Edition. Paris, Michel Lévy frères, Libraires éditeurs, 1868.
Ernest Renan, Saint Paul, avec une carte des voyages de Saint Paul, par M. Kiepert, de l'Académie de Berlin. Paris, Michel Lévy Frères, libraires éditeurs, 1869.
Primi insegnamenti cristiani esposti in Dialoghi da S. A. ad uso delle scuole elementari d'Italia approvati il 9 ottobre 1868 da Monsignor Arcivescovo di Palermo.
Catecismo de Moral ecrito por Nicolas Pizzarro. Méjico 1868.
Annuaire de l'Institut Canadien pour 1868, célébration du 24me anniversaire de l'Institut Canadien le 17 Décembre 1868.

{Decr. S. Officii Feria IV die 7 MU 1868).

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM

QUO FACULTAS CONCEDITUR EPISCOPIS LATINI RITUS EORUMDEMQUE SACERDOTIBUS ROMAM PRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO CONVENIENTIBUS SESE CONFORMANDI KALENDARIO ET PROPRIO CLERI ROMANI.

« Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX., ad enixas preces R.mi D. Iosephi Fessier Episcopi Sancti Hippolyti acproximi Concilii Oecumenici Vaticani a Secretis ab infrascripto Substituto Secretario SS. Rituum Congregationis relatas, de speciali gratia benigne annuit, ut Sacrorum Antistites Ritus Latini, qui Romam venient ad praedictum Concilium, eorum in Urbe commoratione durante, in Sacrosancti Missae Sacrificii celebratione et in Horarum Canonicarum recitatione pro eoru n lubitu quo conformare se valeant Kalendario et Proprio Cleri ipsius Urbis: quidem privilegio indulsit, ut frui possint Sacerdotes eorumdem servitio addicti vel tamquam Consultores vel tamquam Cappellani.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Aug. 1869 ».

C. Episcopus Portuens. et S. Rufinae
Card. PATRIZI S. R. C. Praefectus

Loco jjt Sigilli.

R. P. D. Bartolini Secretario.
Josephus Ciccolini Substitut.

APPENDIX I

DE POTESTATE ECCLESIASTICA IUDICANDI DEQUE IUDICIIS SUMMARIIS.

Aetate qua vivimus ob divortium quod fecit auctoritas civilis ab auctoritate ecclesiastica in nationibus, quae lumine fidei fuerant collustrutae; seu melius ob atheos osoresque veritatis atque proinde catholicae Ecclesiae, qui, ex divina permissione et imperscrutabili divino iudicio, auctoritatem humanam supexjchristianos populos exercent, contigit, ut qui in ecclesiastica Hierarchia auctoritatem in ecclesia divinitus constitutam exercere deberent in personas, res et causas sibi pertinentes, per summum nefas aut prohibeantur quominus eam auctoritatem exerceant, aut eam autoritatem uti par est exercere non possint, cum civiles leges eam vix et ne vix quidem in consideratione habeant.

Quare cum de iudiciis ecclesiasticis agitur, quae prius ad normam ss. Canonum rite institui in Curiis ecclesiasticis solebant,nunc non eadem ratione institui possint ac substantiales saepe defectus committantur; ita ut cum causae per appellationem ad supremum S. Sedis tribunal deveniunt, pars illa, quae iudicio damnata est, vehementer conqueri soleat de neglecta iudicii forma.

Curiae ecclesiasticae sese facile excusare solent, sive quod media non habeant ad iudicii structuram faciendam seu processum conspuendum, solemnitatesque servandas, quas sacri canones praescribunt; sive quod media non habeant ad vocandos testes cogendasque partes, sive agatur de causis ecclesiasticis *civiliter,* ut aiunt, pertractandis, ad iura sua unicuique reddenda, sive *criminaliter* ad vindictam criminis ; et alia id genus.

Occasione causae superius expositae *pag. 3 et seqq.* de hac re quid nobis videtur exponemus. Non quidem negamus harum rationum valorem et veritatem; quam quisque fateri debet, qui noscat miserrimam condititionem in qua plures ecclesiasticae curiae versentur: nihilominus interdum videntur eiusmodi rationes nimis fortasse protendi, quasi vero non daretur in causis iudicandis forma canonica, nisi habeatur apparatus solemnis, copia ministrorum, atque suffragium civilis potestatis, quae actis causae obsequetur.

Duplex quaestionum genus considerare possumus ; prima quaestio summe generica proponi sic posset : quid faciendum si le-

ges civiles prohibeant ferre iudicium, ita ut, si iudicium feratur, Iudex ecclesiasticus poena damnaretur, quasi suae potestatis limites excessisset?

Non desunt enim inter catholicos, qui videantur absolute sentire his in adiuctis locum esse prudentiae, ne concitetur civilis auctoritas, ne rumor excitetur, ne quies turbetur quae exitialis esse posset Ecclesiae.

Non loquimur de peculiaribus factis: sed eiusmodi rationes si tamquam generales tradantur falsissimae sunt: non enim conveniunt cum conceptu auctoritatis qua pollet Ecclesia, et cum ratione qua se gesserunt illi, quos tamquam exemplum habere prae oculis debemus his in adiunctis. Quod enim esset simplex exceptio in generale principium converteretur.

Quod ut statim appareat, satis est oculos convertere in primum Ecclesiae saeculum quod norma fuit saeculis posterioribus: illico enim apparebit falsam esse eam prudentiam, eamdemque plerumque resolvi in pusillanimitatem, qua arma traduntur hostibus Ecclesiae, ut triumphent in damnum eiusdem: namque auctoritas ecclesiastica hoc pacto vilescit: quemadmodum numquam tam splendide fulget, quam cum adversus oscitantem laicorum audaciam firma resistit.

Primo Ecclesiae saeculo iudicavit Petrus, iudicavit Paulus, et quo iudiciorum genere! Id sci verunt Ananias et Saphira, ita ut ***« factus esset timor magnus in universa Ecclesia et in omnes qui audierunt haec ». Act. Ap. c. A.*** **Novit incestuosus Corinthius, quid esset Pauli iudicium, qui illum Satanae tradidit ad interitum carnis,** ***1 Corinth. c. 5 :*** **Hymenaeus et Alexander, quos tradidit Sat mae, ut discerent non blasphemare,** ***1 Thim, c. 1, o. 20:*** **novit ecclesia Corinthiorum universa cuius fidelibus comminatus est, se in virga esse ad eos venturum,nisi adsaniora consilia Corinthii redirent : novit Elymas magus, qui etsi christianus non erat, quaerens tamen avertere Proconsulem a fide, sibi audivit: «** ***O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te et eris coecus non videns solem usque ad tempus ». Act. Apost. c. 13.***

Verum quidem est eiusmodi sententias fuisse exsecutioni mandatas sive per invocatam divinam potentiam, sive per brachium Sat mae, qui cum deesset brachium saeculare tenebatur exsequi sententias Pauli proindeque executio sententiarum fuit extraordinaria: fatendum tamen ex hoc ipso est, sententias gravissimas fuisse latas nulla ratione habita

ad id quod ex publico rumore vel ex civili auctoritate esset pertimescendum, quo tempore Ecclesia in difficillimis persecutionum angustiis versabatur. Et si unquam fuit tempus, quo caute admodum agendum videretur, ne concitaretur animus sive eorum, qui auctoritate praeessent, sive infidelium populorum, erat profecto tempus illud, quo Ecclesia sine armis nulloque umano praesidio fundanda erat.

Haec autem non solum fecerunt Apóstoli, sed etiam facienda mandarunt illis, quos christiano populo praeposuerunt, atque proinde unicuique, pro sua ratione, qui aliqUo modo praeesset fideli populo. *Peccantes coram omnibus argue, ut caeteri* TIMOREM *habeant,* ita Paulus ad Timotheum *1, cap. 5.* Item *2.* Timoth. *cap. 4: « insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* >. Et ad Titum: *haec loquere et exortare et argue cum omni* IMPERIO.

Sed haec delibasse sufficiat, quod de re satis obvia agatur,

Ex quibus praeterea mihi apparet, quanta sit autoritas ecclesiastica in se considerata, in cuius comparatione umbra auctoritatis esse videtur illa, quae civilis dicitur; quamquam sive ex levitate mentis, sive ex falsis ideis praesentis saeculi a nonnullis videtur considerari auctoritas ecclesiastica tamquam pedissequa auctoritatis civilis et eiusdem potius tenuissima umbra.

Non est auctoritas consideranda et dimetienda ex fulgore armorum, ex numero militum, ex aureis numismatibus, ex amplitudine diplomatum, quae non sunt aliud nisi externa quaedam signa: sed extra signorum significationes quae exterius apparent, elevandi sunt oculi: auctoritas enim Ecclesiae amplitudine sua, saltem destinatione, fertur in omnes homines, et tanto valore pollet tamque elevatur, quam invisibile coelum, in quo summum vigorem habet: dum contra auctoritas civilis neque suum territorium egreditur, neque altius levatur, quam elevetur tranquillitas et ordo societatis humanae, qui tamen non adversetur ordini divinae legis, de quo iudex est Ecclesia.

Ex falsis ideis praesentis saeculi repetendum est, quod nonnulli dictitant, Ecclesiam potestatem non habere infligendi temporales poenas, eamdemque excessisse limites suae potestatis quoties id egerit, aut ita egerit quia id ei fuit concessum a Principibus saeculi : eam se ingerere non posse in rebus saecularibus; et alia id genus. Audi iterum Paulum quid suo tempore ad Corinthios scripserit praeter ea quae ipse et Petrus fecerit quoad temporales poenas : *Audet aliquis vestrum habens*

negotium adversus alterum iudicari apud iniquos et non apud sanctos? An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt. Et si in vobis indicabitur mundus indigni estis, quod de minimis iudicetisf Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis saecularia?

Audes fortasse dicere Paulum excessisse limites suae potestatis dum haec fidelibus Corinthiis annunciarci atque inculcaret? aut forsan ad pompam dicendi haec esse referenda, cum auctoritatem Ecclesiae adeo superiorem dixerit auctoritati saeculari, ut parvi hanc auctoritatem fecerit in comparatione illius qua Ecclesia ditata esset?

Altera quaestio, quae tota iuridica est, proponi sic potest: quomodo' sese gerere possit Iudex ecclesiasticus, qui in illis ditionibus existat in quibus auctoritas ecclesiastica vix et ne vix quidem a Gubernio civili admittitur: neque media habeat servandi canonicam formam in causis ecclesiasticis pertractandis, nec vim coactivam ad exequendas sententias?

Ad primam partem quod spectat huius quaestionis facilis est responsio: certissimum est, ad exercitium auctoritatis ecclesiasticae non esse necessarium suffragium et recognitionem seu admissionem auctoritatis civilis. Namque auctoritas ecclesiastica nullimode pendet ab auctoritate civili, et gravis error esset contrarium affirmare. Conditio autem de qua loquimur, in locis, in quibus ea non admittatur aut spernatur ab auctoritate civili non est nova in Ecclesia: namque omnes ecclesiastici Iudices in hac conditione semper sunt versati quousque Ecclesia non habuit optimos Principes catholicos: et tamen semper de causis ecclesiasticis iudicavit: de hac re testantur omnia ferme vetera documenta ecclesiastica a tempore Apostolico et deinceps, quae de disciplina ecclesiastica agunt. Ipso Apostolico tempore, Paulus in I[a] ad Timotheum *cap. 5 v. 19* **postquam praecepit Timotheo:** *Qui bene praesunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina.,* **.subiunxit:** *adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* **Iudicabat itaque Timotheus canonica quoque servata forma, quo tempore auctoritas Ecclesiae profecto non admittebatur a civili auctoritate.**

Sed frustra de hac re congererem testimonia, cum plena sint vetera ecclesiastica documenta, ut videre est in Constitutionibus et Canonibus, qui sub nomine Apostolorum veniunt, quique, etsi tempore Apostolico scripti non sunt, referunt tamen magna saltem ex parte Apostolicam traditionem: id testantur omnia vetu-

stissima Concilia tum provincialia tum oecumenica, in quibus sanctiones plurimae constituuntur, et forma iudiciorum praescribitur quibus iudicandum sit, quin tamen in consideratione habita sit ratio qua se gereret auctoritas civilis.

Ad secundam quaestionis partem quod spectat, removenda est aequivocatio, quae occurrere potest, quando dicitur Iudex ecclesiasticus media non habere ad canonicam servandam tormam. Namque verba, *canonica forma,* sunt maxime aequivoca et possunt habere tot significationes, quot sunt iudicandi mores in unoquoque legitimo tribunali : omnia enim tribunalia solent habere suam specialem procedendi formam, sive ex veteri legitimaque consuetudine, sive ex specialibus legibus eisdem impositis ; quod maxime Romae videmus : et eiusmodi formae merito appellari possunt omnes canonicae.

At vero, inspecto communi canonico iure, forma iudiciorum in duas supremas classes dispescitur, altera quae dicitur *ordinaria* seu *solemnis,* altera quae dicitur *summaria :* illa forma antiquior, haec recentior ; si tamen recentior dici possit ea forma, quae utpote magis naturalis initium dare debuit formae solemni.

Omnia autem fere ecclesiastica iudicia hodiernis diebus in curiis, agi possunt forma summ :J ri a. De solemni iudiciorum forma Auctores~prolixe loquuntur; minus autem de forma iudicii summarii, de qua haec opportuniora recolere existimamus.

De iudiciis summariis in corpore canonici iuris duas habemus pontificias dispositiones, quarum prima legitur in *Clementina, Dispendiosam 2, de .Iudiciis,* in qua sic decrevit Clemens V. *Dispendiosam prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis iudiciarii observatione causarum docet experientia provenire) restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus: ut in causis super electionibus, postulationibus vel provisionibus, aut super dignitatibus, personalibus, officiis, canonicatibus, vel praebendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis, nec non super matrimoniis et usuris, et eas quoquomodo tangeñtibus, ventilandis, procedi valeat de caetero simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura.*

Hic, ut vides, multae indicantur causae, et quidem in rebus gravibus, quae summaria forma pertractari possunt, non exceptis ipsis matrimonialibus causis : adeo ut, non immerito dicere posses, praeter causas Clericorum stricto sensu criminales, vel praeter causas de beatificatione et canonizatione Servorum Dei, quae saltem

post Urbanum VIII tanta solemnitate ventilantur, caeteras omnes summario iudicio pertractari posse. Sed de causis, quae, sub aliqua ratione ob peculiares solemnitates servandas, excipiendae sunt, inferius dicam.

Verum in quo consistat iudicium summarium est disquirendum, de qua re alteram habemus Constitutionem in corpore canonici iuris, idest in *Clementina, Saepe 2, de Verbor. signifie,* quae ita se habet: « *Saepe contingit, quod causas committimus et de plano ac sine strepitu et figura iudicii procedere mandamus. De quorum significatione verborum a multis contenditur, et qualiter procedi debeat dubitatur^ Nos autem dubitationem huiusmodi, quantum nobis est possibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut Iudex cui taliter causam committimus necessario libellum non exigat; litiè contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum f ob necessitates hominum indultaruma iure) procedere valeat; amputet dilationum materiam; litem, quanto poterit, faciat breviorem ; exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo; partium advocatorum et procuratorum contentiones et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refraenando.*

Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. Citationem vero, ac praestationem iuramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissiones huiusmodi intelligimus non excludi. Verum quia iuxta petitionis formam pronunciado sequi debet, pro parte Agentis, et etiam Rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis sive verbo : actis tamen continuo fut super quibus positiones et articuli formari debeant possit haberi plenior certitudo et fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, et articulos ad clariorem probationem usus longaevus in causis admisit: nos usum huiusmodi observari volentes statuimus, ut Iudex sic deputatus a nobis f nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque, terminum dare possit; et ad exhibendum omnia acta et monumenta, quibus partes uti volunt in causa, post dationem articulorum diem certum f quandocumque sibi videbitur) valeat assignare: eo salvo, quod ubi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes sive ad earum instantiam sive ex officio, ubicumque hoc aequitas suadebit. Sententiam vero definiti-

vam {citatis ad id, licet non peremptorie partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans vel sedens proferat: etiam (si ei videbitur) conclusione non facta.

Quae omnia, etiam in illis casibus in quibus, per aliam constitutionem nostram vel alias, procedi potest simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, volumus observari. Si tamen in praemissis casibus solemnis ordo iudiciarius in toto vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus ii ee etiam irritandus. Datum Avenione XIII Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno II.

Iudicium itaque summarium est illud in quo Iudex procedere potest *simpliciter, de plano, ac sine strepitu et figura iudicii :* **idest illud in quo non exigitur libellus formalis in scriptis, sed sufficit simplex petitio in exordio litis sive scriptis sive verbis facta, quae actis est illico inserenda : non est necessaria formalis contestatio litis, qua contestatione in iudiciis ordinariis partes litigantes quasi — contrahunt de lite suscipienda et prosequenda; quod est fundamentum iudicii: processus non impeditur propter ferias ob necessitates hominum ordinatas, ut messium, vindemiarum aliarumque: amputare potest Iudex dilationum materiam; quantum fieri possit, litem breviorem reddere potest repellendo appellationes dilatorias et inanes ; Partium, Causidicoium et Procuratorum contentiones et iurgia, testiumque superfluam multitudinem refraenando : quae quidem, si fieri quoque possunt ac debent in iudicio ordinario, multo magis in iudicio summario.**

Non tamen repellendae sunt probationes necessariae et defensiones legitimae; nihil enim Iudex omittere debet per quod impediatur vel occultetur veritatis cognitio.

Non tollitur citatio ; sed tamen hoc peculiare habet, quod, cum in aliis iudiciis, saltem in principio vel ad sententiam audiendam desideretur trina vel perentoria citatio, in his iudiciis unica etiam non peremptoria citatio, tam in principio, quam pro audienda sententia sit satis.

Non tollitur iuramenti praestatio de calumnia vel malitia avertenda, sive de veritate dicenda.

Non repelluntur positiones et articuli; quia illae ad faciliorem causae expeditionem propter partium confessiones: hi vero ad probationem clariorem multum deserviunt: positiones enim consistunt in pecularibus confessionibus de factis, quas una pars ponit seu affirmat, quaerens ut altera pars eas admittat, quae etiam interrogatoria dicuntur: admissis autem positionibus vel negatis aut

limitatis, concinnaniur articuli super quibus disputandum est; hoc pacto quaestiones facti valde limitantur: quamquam reapse aliter in praxi evenire solet, ut inferius exponam.

Dare debet Iudex terminum ad ponendum et articulandum : deinde ad probationes, adproducendos testes et documenta: deinde ad dicendum contra producta.

Iudex interrogabit si opus sit, tum ad partis instantiam, quam ex officio in quavis parte iudicii.

Sententia proferenda a Iudice est in scriptis.

Haec praecipua sunt quae occurrunt in iudiciis summariis ex allegata Clementina. Auctores iuxta morem inquirere solent quaenam in istis quoque solemnitatibus sint substantiales, ita ut si omittantur irritus sit processus ; quaenam non substantiales.

Nolo heic silentio praeterire, ea quae iam suo tempore animadvertit Card. De Luca tum circa iuramentum tum circa positiones. Hic Auctor consueta sua facilitate loquendi, quamquam plerumque nullimode eulta, et singulari quodam tactu sensuque pratico, ut aiunt, maxime praestans, haec scripsit in *discur. 35 de Iudiciis de* iuramento in genere : « In utroque iure, civili et canonico magis vero in hoc posteriori, magna est vis ac operatio iuramenti : maioremque illam facit antiquorum Canonistarum et Moralium sensus vel pietas, adeo ut plura desuper habeantur non parva volumina, quae ab uno ac altero scriptorum genere desuper composita sunt, pluresque habeantur quaestiones...

« Verum ob immutata tempora immutatosque mores de aequivoco forte Moderni redarguendi videntur sub antiquorum fide simpliciter ac indefinite easdem operationes admittendo. Quamvis etenim apud Deum omni tempore damnatus sit ac peccaminosus periurii reatus, quando scienter ac dolose sequatur ; attamen morum ac temporum diversitas magnam desuper induxit mutationem : unde propterea ex regula iuris cessantis causae sive cessantis rationis, quamplures effectus pro meo iudicio cessare videntur : ideoque erroneum est cum antiquorum traditionibus, non reflectendo ad casuum circumstantias, generaliter ac indefinite procedere.

« Antiquiori etenim tempore, cuius moribus attentis, tam leges et canones, quam plurimi interpretes locuti sunt, ad iuramenti interpositionem nonnisi raro et ex magna causa, praevia consilii maturitate ac effectuum exinde resultantium certioratione deveniebatur; tum ob graves poenas corporales, quibus de periurio convinctus subiacebat, et praesertim, iuxta aliquarum regionum morem illam amputationis manus

dexterae ; tum etiam ob magnam infamiae notam, quam non quidem iuris tantum ac idealker ut hodie incurri Moderni tradunt, sed de facto in hominum ac populorum opinione : unde propterea ratus erat huiusmodi reatus incursus; magnaeque de consequenti rationabiliter erant iura menti ita solemniter ac mature praestiti operationes.

« Hodie vero, ob nimium frequentem illius usum, id in abu sum transivisse recte dici potest, dum in quolibet levi actu, pro Notariorum stylo vel formulario, sive pro clausulis apponi solitis, illud interponitur; adeo ut ipsi iurantes neque cogitent quid agant; unde propterea nec peccare credunt, nullaque de facto infamiae vel turpitudinis nota incurratur...»

Et propius ad rem nostram de iuramento calumniae *loc. cit. n. 16* haec scripsit : « Magis ad materiam iudicialem pertinet haec alia iuramenti species quae calumniae dicitur, illudque praesertim in usu est in Regno Neapolitano, ubi, ac etiam in Curia, consuetum est Procuratorum formularium in generalibus protestationibus, quae litis initio fieri solent, opponere de huius iuramenti praestatione ; adhuc tamen ex rationibus supra initio insinuatis, iste usus parum commendabilis videtur, atque pro meo sensu aboleri deberet, cum transierit in meram ceremoniam seu formalitatem ; neque forte datur casus ut illius praestatio terreat vel avertat a coeptae litis prosecutione, quae propterea ad aliud non servit nisi ad dandam occasionem peierandi ac illaqueandi animas.

« Super istius autem iuramenti defectu quaestiones cadere solent, an exinde iudicii seu actorum nullitas resultet, atque ubi de illo expresse oppositum sit, aliqui credunt nullitatem, resultare. Verum pro meo iudicio, est idem indiscretus rigor leguleius, qui calumniis potius aditum seu fomentum praestat, dum (utpraemissum est) iuramenti praestatio redacta est ad meram formalitatem neque unquam praxis docet illam operationem vel proficuum effectum ad quem est introductum. Unde merito in plerisque tribunalibus et locis quamvis pro consueto formulario de illo obiiciatur, recessit ab aula, atque praesertim in Rota, quando constat de bono iure illud negligi solet ». Haec iam saeculo decimoséptimo scribebai Card. De Luca.

De positionibus autem idem Auctor scribens *loc. cit. disc. 23, et disc. 36 n. il* haec inquit : « Nimium quoque commendabilis esset altera praxis abolendi alterum usum respondendi positionibus ; quoniam praxis docet, quod ad aliud non inservit usus positionum, nisi ad fomentum caium-

niarum ac dilationum cum inani temporis et sumptuum iactura in disputationibus super illarum resecatione, tam circa numerum excessivum in quo artificiose dari solent, quam circa impertí nentiam, ac etiam super responsione, an et quando sit sufficiens, sive an debeat esse magis praecisa et cum illis Practicorum formalitatibus, quae revera inutilis Iudaismi speciem sine aliquo profìcuo effectu saltem pro frequentiori praxi reddere videntur.

« Tunc autem ista praxis admittenda videretur, quando ageretur de facto, quod de sui natura esset difficilis: puta de mutuo vel de alia conventione fiduciaria, quae sine interventu scripturae vel testium facta sit; unde propterea pro facti qualitate probabilis adesse videretur spes, quod ipse principalis ab altera parte interrogatus non esset negaturus; atque tali casu, spectato principaliter fine vel effectu propter quem lex id introduxit, ista interrogatio ac respective responsio sequi deberet coram Iudice per ipsosmet principales, sine assistentia Causidicorum, qui captiosas suggerant responsiones ».

Hactenus laudatus Auctor loquens de his solemnitatibus in iudiciis ordinariis.

Sed praeter illa quae generali constitutione praecepta sunt, utile est referre quae Romani Pontifices decreverunt circa formam iudiciariam in tribunalibus Romae et in ditione Pontificia existentibus. Si est namque locus, in quo solemnis iudiciorum ecclesiasticorum forma servari possit, profecto esse debet ditio Romano Pontifici in temporalibus subiecta. At vero Pius IV. ut removeret ambages, quae ex subtilitate potius iuris orirentur, quam ex aequa iudiciorum ratione, pro litibus abbreviandis ac partium dispendiis saltem minuendis, haec de S. Rotae Tribunali inter caetera decrevi in Constit. *In throno iustitiae,* edita die27 Decembris 1561 : §. *13 «Deinceps etiam in causis pendentibus non attendantur aliquae nullitates praeterquam ex defectu iurisdictionis, citationis vel mandati, nisi causa nullitatis specialiter, ante datam praesentium commissa reperietur ».*

Idem Pontifex pro Tribunali Referendariorum Signaturae Iustitiae in Constitutione, *Cum nuper,* edita die 1 Iulii 1562 §. 5, decrevit: *Abstineant alterius Referendarii ab appositione manuum in commissionibus nullitatum et attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu iurisdictionis -, citationis vel mandati, et ipsa attentata.*

Pariter tribunalia ordinaria Urbis et Romanae Curiae pro causis civilibus et criminalibus, idem Pontifex reformans in Constito-

tione, *Cum ab ipso,* **edita die 30 Iunii 1562 §. 13 edixit:** *Non attendant nullitates, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis et mandati ; sed, illis non obstantibus, ad causae expeditionem procedant.*

Clemens VIII. in generali Constitutione, *Litium dispendiis,* **edita die 9 Februarii 1593, haec edixit :** *« Litium dispendiis et ambagibus, praesertim inter personas curae et iurisdictioni nostrae, etiam in temporalibus subiectas, occurrere quantum in nobis est, cupientes :*

§. 1. *Statutum fel. rec. Pii Papae IV. praedecessoris nostri, ne Iudices almae Urbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis aut mandati, sed illis non obstantibus, ad expeditionem causarum procedant, ad omnes et quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, magistratus et officiales in quibusvis ditionis nostrae temporalis ecclesiasticae provinciis et civitatibus, terris, oppidis et locis quamcumque iurisdictionem exercentes et dignitate fungentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione extendimus et ampliamus, atque in quocumque tribunali aut curia saeculari vel ecclesiastica firmiter et inviolate servari.*

§. 2. *Sicque et non aliter per quoscumque ex ipsis Iudicibus,etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam S. R. E. Cardinales ac legatos etiam de Latere, sablata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudica idi facultate, in quacumque can' sa et instantia, etiam nunc pendente ac in futurum movenda, ecclesiastica, profana civili et criminali aut mixta, iudicari et definiri, et quibuscumque nullitatibus praeter superius expressas nequaquam attentis, ad expeditionem causarum earumdem procedi debere praecipimus et mandamus. Decernentes irritum et inane si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 3. *Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus^ editis, etc. »*

Haec Constitutio affixa fuit in omnibus consuetis Urbis locis ; quae quidem affixio satis est ad universalem legum ecclesiasticarum promulgationem.

Hac itaque Constitutione posita, cessant quaestiones illae iuridicae quae detorquebant Canonistarum ingenia ad determinandum quaenam essent substantiales solemnitates quae omissae vitiarent processum : quaenam non substantiales quae omissae processum non vitiarent.

Quod ne ex meo sensu tantum dicere videar, haec scripsit Pax Iordanus auctor saeculi dec im i-septimi *Elucubrai, divers, vol. 3 L 13 tit. 1, n. 73,* **qui allegata dicta Constitutione haec scripsit: « Ex « his itaque infertur, terminos in**

« summariis iudiciis requisitos vi-
* delicet ad ponendum, ad articu-
la landum ad producendum omnia
« et ad dicendum contra producta
< non esse amplius de substantia,
« ita ut eorum omissio vitiet pro-
« cessum : sed tum demum, si
« status causae illos requirat sive
« ex praesuppositione, aut etiam
« pro arbitrio iudicantis, qui ta-
« men debet opportunas dilationes
« partibus indulgere, superfluasque
« rescindere dummodo sibi con-
« stare possit de veritate, Piasec.
« in *Praxi Episc. p. 2 c.* 4 *de ord.*
« *iudic. n.* 70, comprobans exem-
« pio praxis Auditoris Camerae :
« ubi pro obligatione camerali,
« quae pro manifesto habetur,
« nullae terminorum solemnitates
« observantur, sed facta citatione
« ad solvendum et praemissa in-
« timatione, expeditur mandatum
« exsecutivum^ contra debitorem,
« et alia prout subiecta materia
« exigit: diversus in diversis cau-
« sis modus procedendi practi-
« catur ».

Ex hoc quoque contingere puto, ut in causa iudicata, si inutiliter transiverit tempus ad appellandum utile, non amplius suppetat remedium illud ordinarium, quod in Romana Curia antiquitus certe vigebat, quodque appellabatur remedium *nullitatis :* sed dumtaxat suppetat remedium *restitutionis in integrum:* Quoad praxim de illo ordinario remedio *nullitatis* haec scripta reliquit Card. De Luca qui praxim describens suo tempore vigentem, non admodum curavit originem eiusdem praxis quaerere: *de Iudiciis disc. 38 n. 5:* « Verum in Tribu-
« nali Rotae et Auditoris Came-
« rae ac aliis, quae Tribunalia
« universalia Curiae potius, quam
«particularia civitatis dicenda
« sunt, huius remedii exercitium
« principaliter ab aula recessisse
« videtur: quamvis enim in Com-
« missionibus pro stylo seu for-
« mulario omnia remedia compli-
« cetur, *appellationis* scilicet, *nul-*
« *litatis,* et *restitutionis in integrum:*
« attamen quando praetendatur
< quod obstet res iudicata, vel tres
« conformes sententiae, adeo ut
« primum remedium cesset, de
« tertio principaliter disputari so-
« lent, de intermedio potius inci-
« denter. Adeo ut saepissime pe-
« neque millies in Rota disputa-
« verim super consueto dubio, an
« constet de re iudicata, vel potius
« de causis restitutionis in inte-
< grum; nunquam vero disputa-
« verim, neque disputatum vide-
« rim principaliter super hoc du-
« bio : an constet de nullitatibus.
« Siquidem quando sententia prae-
« tenditur nulla, tunc, parte ita
« instante, concedi solet dubium,
« quod antiquiori tempore erat in
« usu, ab eo autem regulariter
« recessum est: an scilicet sen-
« tentia sit confirmanda vel infir-

« manda, ita petendo infirmatio- « nem ex capite nullitatis >. Et « n. 7 *ibid.* «Hincproinde sequi- « tur, quod non audiantur in Curia « super nullitatibus, illae adeo « frequentes disputationes, quae « audiuntur in quibusdam alio- « rum principatuumTribunalibus « et praesertim in sacro consilio « Neapolitano ».

Verum si in iudiciis saltem summariis de -quibus loquimur, attendi non debeant nullitates nisi ex defectu citationis, iurisdictionis aut mandati, non sequitur, solemnitates necessarias opportunasque ad veritatem dignoscendam Iudices observare non debere : quaeque variae esse possunt pro varietate causarum: sed hoc tantum sequitur *non posse impugnari sententiam quia observata non fuerit aliqua solemnitas, quae dicatur ex praescripto servanda.* Quod si neglecta fuerit aliqua solemnitas quae ad detegendam veritatem duxisset, de hac re pars laesa conqueri poterit in appellationis iudicio in quo incidenter etiam de ea a, Iudice appellato agendum erit: de qua re potest videri exemplum in causa quam adduxi in *vol. Il, pag.* 40Í.

Si haec omnia simpliciori quoque ratione exprimi velint, iudicium summarium dici potest illud, in quo, solemnitates servandae sunt, quas praescribit ipsa naturalis ratio, habito respectu ad causam de qua agitur.

Iudicium describi solet legitima controversiae apud Iudicem tractatio et diiudicatio, *arg. cap. For us 10 de Verb. Sign.* Itaque substantia iudicii haec exigit: I° personam auctoritate iudicandi praeditam, quae Iudex dicitur: 2° Actorem, qui ille est, qui controversiam movet aliumque ad iudicium trahit; nisi de causa agatur in qua Iudex ex se agere debet per inquisitionem, ut contingit praesertim in causis criminalibus: 3° Reum, seu personam illam quae coram Iudice ad instantiam Actoris in iudicium trahitur. Hae personae, prout ratio dictat, ad iudicium sunt necessariae: caeterae vero ad commoditatem solemnitatemque potius pertinent, ut solent esse pro persona Iudicis, Vicarii, Consiliarii, Assessores, Notarii et Apparitores ; pro litigantibus vero, Procuratores et Advocati.

Tribus illis personis existentibus, ad praeparandum iudicium ratio dictat, ut, post petitionem factam ab Actore, a Iudice vocetur Reus: hic actus, quem facit Iudex tamquam Iudex, dicitur Citatio; manifestum autem est, sine citatione, quidquid faceret Iudex, irritum esse : naturalis enim ratio exigit ut nullus non auditus iudicetur. Quamvis autem citatio

fieri soleat per Apparitores seu Cursores sive Nuncios curiae addictos, qui variis nominibus in iure pro diversitate regionum appellantur; Iudex tamen potest illam exsequi per se ipsum, et est validior; potest eligere quemvis alium etiam privatum, aut famulum proprium, aut partis, dummodo constet de commissione; in qua re communis est Doctorum opinio.

Post citationem subsequuntur natura sua contentiones, atque inde aliquis ordo praefigendus sive ad determinandas quaestiones sive ad probationes, quae fiunt vel per documenta vel per testes: vocandi et audiendi ideo sunt a Iudice testes eisdem delato iuramento de veritate dicenda, quos partes adducant. Cum autem testimonia testium, petitiones partium nec non modus, quo Iudex procedat scriptis sint mandanda; habes hoc ipso acta processus : quibus completis Iudex omnibus perpensis sententiam dicit. Haec quidem generatim. In singulis autem causarum actis, quae sint facienda, quae reiicienda, ipsa causae et personarum indoles propemodum dictat : sic si testes suspecti adducantur aut dignoscantur facile mendaces reficiendi sunt, aut eorum testimonia iusto pretio habenda; si numerus testium et documentorum sit effraenatus, aut inutilis, est coercendus: si dilationes petantur potius ad invidiam et causam producendam concedendae non erunt : si notitiae speciales habendae sint sive locorum sive rerum de quibus partes non conveniant, Iudex ex officio personas idoneas deputabit ad haec dignoscenda, et alia huiusmodi. Sic tamen Iudex se gerere debet, ut neque in unam neque in alteram partem inclinet in tota contexenda iudicii tela, quousque omnibus peractis ex actis et probatis non iudicaverit.

Ex quibus apparet, quamvis Iudex peritus esse debeat solemnitatum iudicialium, earumdem tamen usum ab eius prudentia potius pendere, quae maxima esse debet, prout iudiciorum natura postulaverit.

Adsunt tamen causae ecclesiasticae, quae speciales solemnitates exigunt, ut sunt causae matrimoniales et causae de professione religiosa, quae etsi summarie pertractentur, speciales tamen solemnitates seu praescriptiones sunt servandae iuxta Constitutionem Benedicti XIV. *Dei miseratione,* et alteram eiusdem Pontificis Constitutionem, *Si datam.* De his solemnitatibus saepe occurrit sermo in nostris ephemeridibus quando has causas retulimus. Non raro tamen accidit, ut aliqua solemnitas seu prescriptio a Iudicibus Ordinariis hisce in causis omittatur, quae secumferat nullitatem

actorum et proinde sententiae: sed cum deveniunt per appellationem ad S. Sedem, vidimus has regulas servari, si neglecta solemnitas possit causae iustitiae detrimentum afferre, SS. Congregationes rescribunt Ordinariis, ut compleant acta processus, dando etiam instructiones peculiares si opus sit : si vero neglectus solemnitatis non videatur causae detrimentum posse afferre, tum SS. Congregationes iudicant in causae merito, et simul mandant ut R. P. D. Secretarius consulat SS.mum Patrem ut sua auctoritate sanet processus defectus.

Circa causae criminales Clericorum maiores exiguntur solemnitates, sed hae praescriptiones videntur potius respicere causas eiusmodi, quae in ditione S. Sedis a curiis pertractantur; ideo quia in aliis ditionibus vel iam per Concordata, hisce causis sit consultum; vel quia curiae ecclesiasticae ad poenam corporalem infligendam frustra agerent: ideoque si quae causae criminales in curiis extra pontificiam ditionem pertractentur, non ad alium effectuum instituuntur, nisi ad privationem paroeciarum vel Beneficiorum vel ad suspensionem excomunicationemque infligendam. Quae quidem causae summaria quoque ratione possunt pertractari servatis tamen quibusdam praescriptis solemnitatibus, quae post Tridentinum Concilium sunt vulgares.

Sic non potest Canonicus Praebenda privari propter negligentiam et absentiam nisi ea methodo servata, quam praescripsit Tridentinum in sess. 24 c. 12 *de Ref.* Non potest Parochus canonice institutus removeri ob suspicionem inhonestam, nisi, post monitiones, incorrigibilis evaserit. Quae quidem omnia in praesentia non prosequimur, cum ad specialem tractationem pertineant.

Ex quibus omnibus apparet, non esse arduam formam canonicam iudicialem, cum forma iudiciorum summariorum, qua omnes fere causae pertractari possunt, reducatur tandem ad formam quam ipsum ius naturae exigat, et aequitas suadeat.

PROTESTATIO

ADVERSUS EDITORES BALTIMORENES KELLY ET FIET.

Literas accepimus ex statibus Americae foedere iunctis a personis fide dignis, quae nos certiores fecerunt, editores Baltimorenses Kelly et Piet has nostras latinas ephemerides suis typis esse Baltimorae reimpressuros.

Admonemus Lectores nostros eiusmodi editionem nullimode a nobis probari. Quin imo protestamur adversus eos Editores, qui sibi fas esse putaverint, facere proprium, opus alienum in gravem quoque eiusdem operis iacturam.

Confidimus tamen fore, ut, his consideratis, eorum honestas non patiatur, ut susceptum consilium exsecutioni mandetur. Quod si ipsi diffusionem editionis romanae curare velint, id non sine eorum utilitate ultro concederemus.

PETRUS AVANZINI ROMANUS PRESBYTER

Ephemeridum latinarum Auctor et Proprietarius.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DE ECCLESIASTICO CULTU S. IULIANAE VIRO. CORNELIONENSIS APOST. AUCTORITATE AD URBEM ET ORBEM EXTENDENDO.

Libellus Supplex.

BEATISSIME PATER

« Liceat Archiepiscopo Mechliniensi ceterisque in Belgio sacrorum Antistitibus, se cum summae venerationis et filialis amoris iterata significatione coram Throno Apostolico sistere, ac votum animi sui ardentissimum Sanctitati Tuae exponere. Quod quidem votum in Domino confidunt visibili Christi Vicario pergratum fore, et vero etiam cessurum m fidei et pietatis incrementum, atque in amplificationem cultus latriae, quo ubique locorum colitur et adoratur Deus absconditus in augustissima Eucharistia.

« Nimirum, Beatissime Pater, urgente nos charitate Christi, audemus, augustis Tuis pedibus advoluti, Sanctitati Tuae quam humillime possumus supplicare, ut decretoriae Tuae vocis oraculo ad universalem Dei Ecclesiam protendatur cultus publicus, isque hactenus a novem Romanis Pontificibus confirmatus sanctae Iulianae Virginis, per quam, Deo sic disponente ac volente, qui se revelat parvulis, solemnia Corporis Christi mundo innotuerunt.

« Ea vero sunt, Beatissime Pater, nostrae petitionis argumenta, quibus latius evolvendis inservit Appendicula huic supplici libello adnexa (1), ut suavem certamque spem foveamus

(1) In Appendice, quam hisce in fprecibus amplissimi Sacrorum in Belgio Antistites allegant, eruditissime ostendebatur id quod assererent: documenta quoque continebantur demonstrantia, quomodo augustissimum est um Corporis Dominici in catholica Ecclesia inceperit, ac in universum orbem propagatum fuerit : item documenta, quae ostenderent antiquitatem Virginis cultus: nonnulla tantum ex his documentis in nostra Appendice U. brevitatis causa referemus.

animo, futurum, ut Pontifex pietate iuxta et nomine Maximus, qui plurimos Dei famulos albo Beatorum aut Sanctorum accensuit, et quorundam ex Sanctis cultum amplificavit, etiam sanctae Iulianae honores ampliandos statuat, eiusque, ob egregia in Ecclesiam merita/ cultum immemorabilem per omnes orbis christiani ecclesias propagandum decernere velit.

« Et vero non parum dolemus, Beatissime Pater, inter nationes catholicas unum existere Belgium, quod e Sanctis hinc oriundus nullum in Romana Liturgia coli videat festo universali; et tamen provinciae Belgicae, paterno Tuo pectori tam gratae, Sanctos Sanctasque numero complures protulere, deque Dei Ecclesia et Apostolica Sede omni aetate fuerunt quam optime meritae, et adhuc mereri pergunt.

« Inter caelites autem natione Belgas, qui publico in universa Ecclesia cultu honorentur, nulla videtur potius seligenda, quam sancta Iuliana Gornelionensis. Hoc quippe vas electionis est, cuius opera uti placuit Altissimo, ut solenne festum Corporis Christi, in quo, dicente Tridentina Synodo (Sess. XIII. cap. 5.), «veritas de haeresi triumphum agit» in Ecclesiam induceretur. Aequitati nimirum consentaneum existimant oratores, ut quae universae Ecclesiae tantum attulit beneficium, ab universa etiam Ecclesia publico grati animi testimonio celebretur.

« Tantopere humilem Montis Cornelionis Virginem Eucharistiae cultui devotissimam honoravit Deus Opti nus Maximus, ut quo mandatum fragilitati eius divinitus impositum ipsa feliciter posset exsequi, ei socios et cooperatores concedere dignatus fuerit viros in Ecclesia tum dignitate, tum scientia et virtute praestantissimus. Scilicet, Beatissime Pater, ne omnes heic commemoremus, in S. Iulianae auxilium quodam Dei instinctu concurrerunt non tantum pii Sacerdotes et eruditi theologi, verum etiam illustres Episcopi, in quibus Robertus a Torota, pietate conspicuus; et Cardinales Legati, quales fuere Hugo a Sancto Caro, eiusque in Germaniae Nuntiatura successor; et Summi Pontifices, ut Urbanus IV, olim Archidiaconus in civitate Leodiensi, ubi S. Iulianam vidit et cognovit; denique Ecclesiae Doctores, ut S. Thomas ab Aquino, qui Urbani IV. iussu mirificum, et plane divinum pro festo Corporis Christi officium composuit.

« Nonne igitur aequum est, Beatissime Pater, et divinis consiliis conforme, sanctam Virginem, tam singulariter a summo

Numine honoratam et exaltatam, ut in Ecclesiam universam exercere potuerit actionem saluberrimam vereque catholicam, ipsam quoque ab universa Ecclesia cultu proprie catholico atque omnium Christifidelium veneratione honorari?

« Neque desunt, Beatissime Pater, testimonia omni fide dignissima, quibus invicte probetur, cultum publicum sanctae Iulianae fuisse delatum etiam ante sapientissima Decreta, quibus Urbanus Papa VIII. solemnem Beatorum canonizationem subiecit.

« Id vero prae ceteris dignum memoratu videtur oratoribus, quod publicus nostrae Sanctae Virginis cultus auctoritate novem Romanorum Pontificum, in quatuor Belgii dioecesibus atque in una Neerlandiae dioecesi, et in universo Cisterciensium ordine fuerit stabilitus ac confirmatus.

« Quae quum ita sint, Beatissime Pater, hanc in aequitate et benevolentia Tua repositam habemus firmissimam spem, fore ut festum Sanctae Iulianae, una cum officio huic libello supplici adnexo vel cum alio, ad universam Ecclesiam auctoritate Tua Apostolica extendatur, et perpetuis temporibus recolatur.

« Quoniam vero diei quintae Aprilis, qua Sanctissima Virgo Cornelionensis hinc ad caelum migravit, festum S. Vincentii Perrera in Romano Kalendario adsignatum est, ac frequenter accidit, ut proximi dies per Hebdomadam Sanctam et paschalia solemnia liberi non sint, suppliciter a Sanctitate Tua petimus, ut mense Februario, aut quovis alio minus impedito tempore, festum S. Iulianae constituere digneris.

« Placeat Paternitati Pii Papae Noni benignissime excipere testimonium amoris, devotionis et observantiae, quibus Supremae Cathedrae, et B. Petri Apostolorum Principis successori adhaerent Archiepiscopus Mechliniensis eiusque Suffraganei. Simul dignetur tum illis ipsis, tum dilecto clero et populo fideli totius Belgii Apostolicam impertiri benedictionem. Quod in genua procumbentes etiam atque etiam efflagitant. »

Sanctitatis Tuae

Humillimi famuli et obsequentissimi in Christo filii
Victor Augustus Archiep. Medii.
Gaspar Ios. Episc. Tornac.
Theodorus Episc. Leodien.
I. I. Episc. Brugen.

Henricus Episc. Gandav.

Theodorus los. Episc. Namurcen.

Mechliniae die 11. Augusti, anno Christi 1868 ab obitu S. Iulianae 610.

Disceptatio synoptica.

ADNOTATIONES R. P. D. PROMOTORIS FIDEI. Cum petitio facta esset a Sacrorum in Belgio Antistitibus, ut cultus publicus, quoCornelionensis Virgo Iuliana, Sancta nuncupata, praesertim in Belgio gaudet, ad universam Ecclesiam proferretur, id postulante quoque Maria Henrica Belgarum Regina (1); antequam res discuteretur, duo dubia S. Congregationi proposuit Fidei Vindex, quorum primum fundamentum est secundi, scilicet : « An et quomodo « Virginis Iulianae Cornelionensis, Sanctae nuncupatae, Marty- « rologio Romano nomen apponendum sit ? Et quantenus affir- « mative : II. An et quomodo eius cultus ad universam Ecclesiam « protendatur ? » Hisce propositis dubitandi formulis, nonnulla breviter adnotavit.

Videlicet adnotavit, ex documentis adductis dilucide apparere, quae et qualis fuerit Iuliana Cornelionensis, quidque pro introducendo in Ecclesiam solemni Corporis Christi festo prae-

(1) Ita se habet postulatio facta a Belgarum Regina.

« TRÈS-SAINT PÈRE,

« Marie Henriette d'Autriche, Reine « des Belges, le cœur brisé par les « plus douloureuses épreuves, ne veut « pas oublier ce qu'elle doit à Dieu « et ce qui peut contribuer à son ser- « vice et à sa gloire. Elle s'empresse « donc d'appuyer auprès de Votre « Sainteté la demande de l'Archevêque « de Malines relative à F extension à «l'Eglise universelle de la fête de « S. Julienne, promotrice de la Fête- « Dieu.

« Elle désire cette faveur du Saint- « Siège comme fille des Habsbourg, « et comme Reine. Elle le désire com- « me fille des Habsbourg, parceque « depuis Rodolphe I, Empereur d'Al- « 1 emagne, si célèbre par sa piété en- « vers l'auguste Eucharistie, sa famille « s'est toujours montrée fidèle à la « foi de cet illustre ancêtre. Elle la « désire comme Reine del Belges, « parce que la Belgique, si féconde « en Saints, n'en compte cependant « aucun jusqu' ici qui soit honoré d'un «culte public dans toute l'Eglise, « honneur qui semble surtout dû à « une Sainte dont l'action sur l'Eglise « a été universelle.

« C'est la grâce que je supplie Vo- « tre Sainteté d'accorder à sa Fille, « avec sa bénédiction apostolique et « paternelle.

« MARIE HENRIETTE.

« Bruxelles, .8 août 1868, fête de S. Gaétan de Thiennes».

stiterit: dilucide item apparere cultus vetustatem ac rationem, quibus accederent Maximorum Pontificum indulta.

Attamen animadvertit, licet Apostolica Sedes eam Virginem indultis cohonestaverit; numquam tamen decretoria sententia edixisse: *constare de casu excepto,* sive ex immemorabili cultu ex ipsis Pontificis indultis: nostram itaque iulianam, numquam aequipollenti Beatificatione fuisse auctam: ideoque videndum forte superesse, num in antecessum hoc Decretum esset expetendum, antequam petitioni, qua de agimus, locus fieret.

Animadvertit praeterea, cultum, quo Beati augentur, esse dumtaxat *permissivum, neque ad universam Ecclesiam proferri;* e converso Sanctorum cultum *praeceptivum esse,* totamque respicere Ecclesiam (Benedictus XIV. in opere *de serv. Dei Bealif.* 1. 1. c. 39): proindeque *ibid. n.* 13 eundem scripsisse: «Gompertum habemus... Beatorum cultum coarctari sane intra aliquam provinciam, dioecesim, civitatem aut religiosam familiam. » Et quidem iure meritoque. Si enim in *Beatificatione* cultus universae Ecclesiae indiceretur, eam uti *sanctificationem* propemodum censendam fore.

Subiunxit idem Fidei Vindex, in laudato opere quoque legi : « Aliquando cultum posse ad universam Ecclesiam extendi, citra « tamen legem praecepti, sed per modum simplicis facultatis, et « per actum minime extremum, nec ultimo definitivum. Quapro- « pter in... diplomate Sixti IV. de cultu B. Ioannis Boni non « solum insunt verba permittentia et facultatem facientia ; verum « etiam alia verba superadduntur, quae extremam determina- « tionem necdum prolatam exspectant : *Donec aliud per Nos vel « sedem Apostolicam fuerit solemniter ordinatum.* Quod ipsum dici « debet de allegata concessione Clementis X. pro cultu tunc «Beatae, nunc Sanctae Rosae Limanae; quippe quae facta fuit « dum adhuc sub iudice esset *canonizationis* causa. »

Hisce breviter animadversis, sic Fidei Promotor concludebat: facilius itaque Archiepiscopus Mechliniensis aliique Belgii Antistites voti compotes fierent, si aequipollens Beatificatio decretoria Pontificis Maximi sententia habuisset locum, ac resumpta causa de Iulianae Virginis virtutibus et miraculis, Apostolicae inquisitiones haberentur. Erit vero E.morum Patrum pro eis, quibus pollent, prudentia et doctrina, constituere quid factu sit opus. Eos profecto non latent merita, quibus Belgica Natio in

catholicam religionem ac Sanctam Sedem praestat... Verum si ipsi Patres E.mi porrectis precibus indulgere cupiant, decernendum quoque iisdem erit: an exhibitum *innovatum officium,* nec ne, ratum habendum sit, et quomodo.

EA QUAE REGERERET ORATOR. — Romae selectus est Orator clarissimus, qui copiosa ornataqne ratione dicendi prius disiiçere curavit Adnotationes ex adverso factas; postea vero argumentis adductis causam peroravit.

Primum Orator contendit, necessario haud exigi approbationem immemorabilis cultus, ut insertio in Ro nanum Martyrologium concedatur. Benedictus XIV. uno sermone complectens cum eos, quorum immemorabilis cultus fuerit discussus et adprobatus in SS. RR. Congregatione; tum alios, qui, post Decretalem cap. *Audivimus* (1), sint in notoria possessione cultus immemorabilis, qui tamen cultus non sit discussus et adprobatus in Congregatione SS. RR. haec scribit in *lib. L p. %* c. 18. *n.* 14. « Dictum est, horum nomina non esse describenda in Martyro- « logio Romano, nisi ex specialibus circumstantiis Sacrorum « Rituum Congregatio, annuente Summo Pontifice, censeat id « ipsis esse indulgendum, non solum quia prohibitio, ne addi- « tiones fiant Martyrologio Romano, procedit in additionibus, « quae fiunt auctoritate privata, et Decretum de non describendis « in Martyrologio nisi Sanctis Canonizatis loquitur de iure ideo- « que non excludit rationabile consilium a S. Congregatione « Summo Pontifici praestandum de aliquo in Martirologio Ro- « mano describendo, qui sit in possessione cultus immemora- « bilis, quemadmodum advertit Castellinus *(de Certititud. glor.* « *Sanctor. c.* 9. *consid.* 4. 462. *n.* 10, *et n.* 11); sed etiam quia « habemus exempla tum eorum, quorum cultus immemorabilis « fuit in S. Congregatione discussus et adprobatus; *tum aliorum*

(1) Ita se habet allegatus textus Alexandri III, prout legitur in Decretalibus *cap. 1 de Reliquiis et Veneratione Sanctor.* « Audivimus quod «quidam inter vos diabolica fraude «decepti, hominem quendam in po- « tatione et ebrietate occisum quasi « sanctum (more infidelium) veneran- «tur, cum vix pro talibus in ebrieta- « tibiis peremptis Ecclesia permittat « orare : dicit enim Apostolus : ebriosi « regnum Dei non possidebunt. Illum « ergo non praesumatis de caetero co- « 1ère, cum, etiamsi per eum miracula «.fiei'ent, non liceret vobis ipsum pro- « Sancto absque auctoritate Romanae « Ecclesiae venerari ».

« quorum cultus immemorabilis discussus et adprobatus in S. Con-
« gregatione non est, quorum tamen nomina ex specialibus cir-
« cumstantiis fuerunt in Martyrologio Romano descripta ».

Quamvis haec satis essent (ita prosequebatur Orator) ad amovendam difficultatem, tamen etiam alia responsio suppetit. Nimirum gravissima indicia Sedis Apostolicae hac super re iam ruerunt prolata, quae, ni fallor, maius quidpiam praestant, quam simplicem declarationem facti historici, quae editur cum pronunciatum *constare de cultu ab immemorabili tempore praestito.* Eodem ipso saeculo XVII. quo Urbaniana prodierunt decreta, Innocentius XII. pandit indulgentiarum thesauros, quibus fideles alliciat ad pie celebfadum diem festum huius Virginis, quam Sanctae nomine compellare non dubitat (1). Clemens XI. monachis utriusque sexus Ordinis Cisterciensis indulget, ut recitare possint sub ritu duplici Officium et Missam S. Iulianae virginis. Benedictus XIII. pontificia auctoritate utitur, ut pia Confraternitas S. Iulianae maiora in Deo suscipiat incrementa, sodales plenariis indulgentiis locupletat, ac fidelibus omnibus parem gratiam largitur, qui ecclesiam Cornelionensis monasterii die festo S, Iulianae visitaverint.

Cum haec et alia, quae praetereo, a Supremis Antistitibus circa Iulianae cultum acta fuissent, mirum non est, si Urbanianae disciplinae vindex et adsertor, Prosper Lambertini, cum Promotoris Fidei officio fungeretur, sine ambagibus de Iuliana scriberet tanquam de Beata, et hunc illi titulum appingeret in animadversionibus, quas concinnavit cum ageretur de concessione Officii et Missae in honorem SS.mi Cordis Iesu. Scilicet cum Po-

(1) Allegatum Pontificium Breve sequentis est tenoris : « Innocentius Papa XII universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem, caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui ecclesiam seu capellani Sanctae Iulianae montis Cornelii, prope et extra muros civitatis Leodiensis... die festo Sanctae Iulianae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei eiusdem, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia... pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus ad septennium tantum valituris... Datum Romae... die 27 Februarii 1(>98».

stulatores argumentum desumerent ex institutione festi in honorem Corporis Christi, ille fidei vindex, futurus Pontifex, adiecit: «eam utique institutionem causam desumpsisse a revelatione « facta Beatae Iulianae de monte Cornelione, sed revelationem « istam examinatam fuisse a Roberto Episcopo Leodiensi et aliis « Episcopis *(1.*4, *p.* 2. c. 31, 24) ». Proinde idem vir consultissimus ad Pontificatum Maximum evectus, in opere *de Servorum Dei beatif. et canonis,* titulum illum Iulianae constanter servavit, et, data occasione, argumenta explicavit, quibus publicus et solemnis cultus eidem praestitus demonstraretur *(L* 2 c. 12 *n.* 15 c. 14 *n.* 7).

Graviora sunt quae Sa. Me. Gregorius XVI. gessit, cum sextus saecularis annus ageretur (1846) ab institutione solemnitatis SS.mi Corporis. Etenim non modo aedificationem ecclesiae in honorem S. Iulianae probavit, sed, rogante Episcopo Leodiensi, ut *ipso dedicationis die et tredecim sequentibus quotquot illam pie visitaverint Christifideles, et s. reliquias praelaudatae S. Virginis ibi expositas venerati fuerint, indulgentiam plenariam lucrari valeant;* Supremus Pontifex petitam indulgentiam *peramanter* est *impertitus.* Cumulum hisce omnibus adiecit SS.mus Dominus Pius IX. (quem diu sospitet Deus), qui probans ea, quae gesta fuerunt sub Pio VII., officium probavit in honorem Virginis nostrae pro dioecesi Leodiensi, et insuper pro Ruraemundensi in Hollandia inter Officia propria cathedralis ecclesiae suprema auctoritate confirmavit.

Iamvero concessiones eiusmodi pronunciationem continent supremae auctoritatis ecclesiasticae, qua agnoscitur rite recteque cultum alicui praestari publicum et solemnem, immo talibus concessionibus cultus ipse directo Sedis Apostolicae suffragio augetur et amplificatur. Nonne maius aliquid hoc est, quam nuda declaratio, quod fideles, tolerantibus Episcopis (inscia quandoque Apostolica Sede), huic vel illi ab annis trecentis in uno forsitan oppidulo et obscuro cultum ecclesiasticum tribuerint? Si haec ita st habent, non iure postulant Adnotationes, ut priusquam Iulianae nomen Romano Martyrologio inseratur, declaretur ab hoc Sacro Ordine constare de casu excepto. Haec declaratio hisce rerum adiunctis praepostera videretur, semel ac iamdiu Pontificia auctoritate indulta sunt illa, pro quibus obtinendis d0claratio solet impetrari.

Post haec Orator animadvertit, nihil obstare, quominus in hac ipsa iudicii sede declaratio de casu excepto ederetur, si oporteret in praesentia id declarari, cum abunde suppeterent documenta, quae cultum immemorabilem nostrae Virgini praestitum invicte ostenderent. Ac praeterea ad alteram Adnotationem Promotoris Fidei sic est prosequutus.

Necessitas aequipollentis Beatificationis ex decretoria sententia Romani Pontificis amovetur ex iis, quae ad praecedentem Adnotationem disputavi. Unum tantum hic animadvertant, aequipolientem Beatificationem non tantum haberi, quoties dicatur *constare de casu excepto,* sed quoties Supremus Pontifix limitatam Officii- et Missae concessionem indulget. Id fuse demonstravit P. Andreas Budrioli causam agens S. Aloisii Gonzagae: id Benedictus XIV. affirmat, dum, acta referens gesta in causa S. Teresiae, scribit, relationem factam fuisse Sa. Me. Pauli V. ab hac Sacrorum Rituum Congregatione, quae censuit concedi posse Officium et Missam pro nonnullis determinatis locis, et tum denique (ait) Papa annuit petitis, et literas Apostolicas in forma Brevis expedivit super *limitata concessione* Officii et Missae, *in qua Beatificano consistit (I.* 1 c. 25 *n.* 10).

Atqui nos habemus literas Apostolicas Clementis XL, quae indulgent monachis utriusque sexus Ordinis Cisterciensis, ut possint celebrare festum et recitare sub ritu duplici Officium et Missam S. Iulianae Virginis; itemque Decreta edita auctoritate Pii VII. Gregorii XVI. et Pii IX. feliciter regnantis, quibus probatur Officium pro dioecesibus Mechliniensi, Namurcensi, Gandavensi, Leodiensi et Ruraemundensi.

Alia conditio, quam innuere videtur Fidei Vindex, in eo est, ut, resumpta causa de Iulianae Virginis virtutibus et miraculis, Apostolicae inquisitiones habeantur. Sed ut caetera omittam, dicam confidenter, nullibi iuri nostris disciplinam fiagitare, ut concessiones eiusmodi huic devinciantur conditioni, si Apostolicae inquisitiones de virtutibus et miraculis susceptae fuerint. Immo in causa B. Ioannis Boni (cuius exemplum est alterum a Benedixto XIV. adductum) videtur prorsus numquam prosecutioni actorum manus fuisse admotas. Paucis: clausula illa, *donec aliud per Nos vel Sedem Apostolicam fuerit solemniter ordinatum,* nullam secumfert necessitatem, quod ad Canonizationem formalem

obtinendam vel acta iam incepta sint, vel post extensionem cultus ad Ecclesiam universam protrahantur.

Reliquum est igitur ut inquiramus, quomodo suppetant idoneae causae illius *rationabilis consilii* (ut verbis utar Benedicti XIV.), quod poscimus a S. Congregatione Summo Pontifici praeberi, ut in albo Sanctorum Iulianam Cornelionensem recenseri decernat.

Doctrina iuris nostri, quae illos respicit, quorum nomina in Martyrologium Romanum inseri postulantur, huic distinctioni iuxta Benedictum XIV. innititur: « AUT agitur de illis, qui ante, « Decretalem in cap. *Audivimus, de Reliquiis et ven. Sanctorum,* « coli coeperunt in Ecclesia universali non tam lege aliqua, « quam consuetudine, consensu Summorum Pontificum tacito « adprobata, nec non de illis, qui ante dictam Decretalem coli « coeperunt in certis provinciis ex Decreto particularium Epi« scoporum et quorum cultus extensus fuit ad universalem Ec« clesiam non tam lege aliqua Summi Pontificis. . . . quam con« suetudine ubique recepta et ab ipso Pontifice, consensu sal« tem tacito, adprobata . . . et quoad istos, qui sunt in hac pos« sessione cultus immemorabilis, nulla est difficultas, quominus, « verificatis verificandis in SS. Rituum Congregatione, eorum no« miña describenda sint in Martyrologio Romano. Hi etenim sunt *« vere et proprie canonizata* et in Martyrologio quidem ipso non « solum describi debent nomina eorum, qui subinde a Summis « Pontificibus canonizantur; sed etiam aliorum, quorum nomina « non fuerunt in eodem Martyrologio descripta, quamvis fuerint *« canonizati aliquo ex modis ab Ecclesia adprobatis.* AUT agitur « de illis, qui sunt quidem in possessione cultus immemorabilis, « sed tantum post tempora memoratae Decretalis, et quorum « cultus immemorabilis fuit in SS. RR. Congregatione discussus « et adprobatus; et hi quidem, licet appellentur Sancti, et licet « in eorum honorem fuerint vel ab immemorabili tempore, vel « ex concessione Apostolica, Missa celebrata et recitatum Offi« cium, sive cum lectionibus de communi, sive cum lectionibus « propriis, non sunt describendi in Martyrologio Romano, nisi « ex specialibus circumstantiis id ipsis a SS. RR. Congregatione « indulgeatur ». (1. 4 p. 2 c. 18 §§. 11, 12).

Nos ultro fatemur, Cornelionensis Virginis cultum exordia habuisse post latam Decretalem *Audivimus,* adeoque Pontificia

concessione indigere, ut cum antiquioribus numeretur; sed ita proxima accedit illis, qui primo loco a Benedicto XIV. memorantur, ut intervallum dumtaxat quorundam annorum (quod saeculum non pertingit) impediat, quominus cum iis accenseatur. Ita quod aliis prodesse solet, ut serius nascantur, id modo Virgini de Ecclesia Dei meritissimae videtur obesse. Celebris Alexandri III. Decretalis ad annum 1181 a Baronio refertur. Iuliana nata est anno 1193; obiit nonis Aprilis 1257. Statim post obitum in ecclesia coenobii Villariensis translatum est corpus, quod post altare maius cum aliis Reliquiis compositum fuit, seu (ut ait vetus historicus) corpus virgineum inter Sanctorum domus corpora"*traditum est sepulturae *(Bollano*[1]*. Apr. t. i. p.* 476): miraculorum fama cito persuasionem sanctitatis animis ingessit: dies translationis huius quasi festa ac memorabilis Villarii fuit celebrata.

Sensim deinde cultus in alias terras ac regiones propagatus fuit. Atque hic animadvertant Patres EE. quantopere differat ille a cultu Beatorum, qui natura sua *coarctatur*, prout notavit, Lambertinio Auctore, Fidei Promotor, *intra aliquam provinciam, dioecesim, civitatem aut religiosam familiam.* Belgae universi, Leodiensibus praeeuntibus, illam venerantur: in diocesibus Mechliniensi, Namurcensi, Gandavensi solemnes illi honores persolvuntur. Antuerpienses Iulianae lipsana colunt, et sodalitium in eius honorem instituunt. Egreditur illius nomen Belgarum fines, et a Batavis vicinis celebratur; siquidem in cathedrali Ruraemundensi dies natalis eius proprio probatoque recolitur Officio: transit cultus ad Germanos et Gallos, et illustre nomen a B. Canisio et Saussaio in Martyrologio notatur.

Partem Reliquiarum insignem transfert in Italiam Margarita Parmarensis; et inclyta Farnesia domus, praesertim vero Cardinalis Odoardus, Iulianae cultum propagare contendunt. Itali doctissimi Galesinus et Ferrarius Sanctam et Beatam Iulianam vocitant. Ab Itala ad Hibernam insulam cultus propagatur. Rex Lusitaniae Antonius pretiosas Reliquias, appetit, et Ulyssipone a regiis sacellanis dies festa Iulianae quotannis celebratur cum Officio propriisque lectionibus, SS. RR. Congregatione adprobante. Hispanus Henriquez praeco fit laudum piae Virginis apud suos, eamque Beatam concelebrat. Religiosi Ordines Cornelionensis monialis honores certatim provehunt. Cistercienses praeprimis tam-

quam suam proprio officio recolunt. Praemonstratenses in Litaniis nomen eius concinunt. Recollecti Franciscales cultus antiquitatem strenue vindicant: viri lectissimi e Loyolaea societate immortali opere apud omnes viros doctos memoriam, res gestas, cultum illius, magis perspecta et vulgata efficiunt. Novem Romani Pontifices, non tolerando, sed auctoritate sua solemniter interposita, cultum iam latissime patentem confirmant, amplificant.

Si Constitutio Alexandri III. octoginta annis serius prodiisse!, profecto Iuliana nostra inter eos ponenda foret, qui, Benedicto XIV. docente, suo iure vindicant inscriptionem in Martyrologio, quippe canonizati sunt aliquo ex modis ab Ecclesia adprobatis.

Sed enim quandiu in hisce angustiis temporis immorabimur, cum sciant omnes Ecclesiae disciplinam hac in re non unico momento fuisse immutatam? Usque ad elapsum saeculum compi ares exstiterunt, qui contendebant, non omnibus *generalem* legem latam ab Alexandro III. visam fuisse. « An id (scribit iau- « datus Benedictus XIV.) quoad potestatem beatificandi fuerit « ab omnibus Episcopis exsecutioni mandatum, fatemur nos ma- « ximopere dubitare, fortasse quia Alexander in sua Decretali « generaliter loquutus non est, statuendo nulli posse publicum « cultum deferri sine Sedis Apostolicae Auctoritate, sed sermo- « nem ad eum defunctum in ebrietate occisum restrinxit inquiens: *« etiamsi per eum miracula, fierent, non liceret ipsum,* etc. Qua- « propter fieri potuit, ut Episcopi aliqui non putarint, doctri- « nam illam ab isto particulari casu ad alios casus longe diver- « sos debere transferri, etc ». Deinde pergit disputans et congerens exempla atque auctoritates, quibus ostenditur, et post Alexandrum et post Innocentium III. pluribus in locis veterem perdurasse disciplinam, donec omnis et quaecumque controversia per Bullam Urbani VIII. fuerit sublata (1. 1, c. 10, n. 8).

Quamobrem terminus ille et quasi limes, qui ad servandum veterem et novum canonizandi ritum constituitur in anno, quo Decretalis *Audivimus* edita fuit, non quasi dies interpellants creditoris rigide sumendus est, sed moraliter et *h* **w^axei,** ut aiebant veteres, eo quod non uno temporis momento disciplina fuit immutata. Aequiores autem esse oportet in causa nostra, in qua ante Urbanum III. *de consensu et ratihabitione Romani Pontificis* per Cardinalem S. R. E. cultus Iulianae propagatio fiebat.

Quod de tempore moraliter intelligendo diximus, idem de locis dicatur. Inficias ierit fortasse quispiam, quod ad universam Ecclesiam Iulianae cultus extensus fuerit. Fatemur, et ideo extensionem postulamus. Verum quotusquisque est inter Sanctos, quos antiquos dicimus, cuius propagatos sit cultus ad *universum catholicum orbem* iuxta rigidam vocis significationem? Si Romae a Summis Pontificibus Sanctae et Beatae nomine compelíala fuit Iuliana, si a Lusitanis, Belgis, Batavis, Italis cultus habuit significationes amplissimas, si a Gallis et Hispanis inter Gaelites fuit connumerata, si in Germanorum Martyrologiis recensita, haerebimus ne, quod forsitan nondum sit compertum in -Syrorum et Melchitarum menologiis nomen illius fuisse relatum ? Si hoc Benedictus XIV. voluisset intelligere, visus esset signare (quod noluit profecto) Martyrologii librum signis septenis, ut nemini amplius in aevum pateret inscriptio. Si igitur pandi potest adhuc, et alicui nomini illustri locum praebere, detur hoc Virgini praeclarissimae, cuius memoria iuncta est cum celebratione solemni festi Corporis Christi Domini, quod ab universo Orbe Catholico, atque in ipsis regionibus, ubi infideles dominantur, religiose recolitur. Haec ipsa celebratio perpetuam continet demostrationem, quod acceptissima Divino Sponso reapse Iuliana fuerit, et caelestibus charismatibus ornata. Ipsa renunciavit, Deum velle, ut quolibet anno Institutio SS.mae Eucharistiae specialius et solemnius in Ecclesia recolatur. Atqui septimum iam saeculum agitur, quo festa dies quotannis ab universa Ecclesia celebratur. Tempus, quod delet hominum commenta, et mortalium dissipat consilia, Decretum superni Numinis revera editum fuisse confirmat. Iam Tridentina Synodus Sanctissimum Institutum huiusce celebrationis compella vit: utinam universa Ecclesia denuo in unum congregata Sanctam illam salutare possit, cui tanta solemnitas primum ac potissimum refertur accepta!

Causa itaque proposita atque discussa in Ordinariis S. C. RR. comitiis die 3 Iulii 1869. S. Congregatio decernere censuit: *Supplicandum Sanctissimo pro concessione Officii et Missae singulis Ordinariis petentibus: quoad Officium vero et Missam ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei;* prout ex Decreto, quod inferius referam, patebit.

OFFICIUM ET MISSA BEATAE IULIANAE

A S. C. ADPROBATA PRO IIS OMNIBUS SACRORUM ANTISTITIBUS QUI FESTUM EIUS CELEBRARI PETANT.

Die V Aprilis: In Festo Beatae Iulianae Virginis, Sanctae nuncupatae: duplex: omnia ole Comm. Virg. praeter sequentia.

ORATIO.

« Deus humilium celsitudo, qui Beatam Virginem Iulianam ad promovendum Sanctissimi Sacramenti cultum mirabiliter infiammasti: tribue, quaesumus, ita nos humilitatis eius vestigia sectari in, terris, ut cum ipsa sublimari mereamur in caelis. Per Dominum etc. ».

In primo Nocturno extra Quadragesimum Leci. de Script, occur.
In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

« Vertente anno Christi millesimo centesimo nonagésimo tertio, nata est Beata Iuliana in Retinna humili pago Leodiensi parentibus religione conspicuis, quibus orbata, quinquennis sub disciplina religiosa in Cornelii montis asceterio prope Leodium adolevit. In eo, adiuvante Spiritu Sancto, ita profecit, ut virtutum omnium culmen attigisse videretur. Sancti Augustini regulam, quae in eodem monasterio vigebat, accurate professa ac sororibus suis praeposita omnium in se oculos ex austera sanctaque vivendi ratione convertit. Praeclara sunt, quae produntur, tum de ipsius in Deum et Proximum amore, humilitate, obedientia, pietate et abstinentia, tum de orationis studio ac caelestibus charismatibus.

LECTIO V.

« Dum ad sacram Synaxim accedebat incredibili pietatis sensu et gratiae donis replebitur: sponsum suum caelestem sub Eucharisticis speciebus latentem frequenter invisebat: prona adorabat, et omnibus adorandum praedicabat: unde factum est, ut Deus, qui infirma mundi eligit, humilem Virginem ad promo-**V** endum Sanctissimae Eucharistiae cultum mirifice inflammari!

Etenim coram augusto Sacramento provoluta, divinitus intellexit, instituendam esse in Ecclesia singularem Corporis Christi solemnitatem. Quod cum viris piis et doctis declarasset, hi, re diligenter examinata, ipsa adhortante Iuliana, Robertum, Leodiensem Episcopum, adduxerunt, ut in sua diocesi hoc festum institueret: quod postea urbanus *YV^* antea Leodiensis cathedralis Archidiaconus, auctoritate Apostolica adprobavit et ad universam Ecclesiam extendit.

LECTIO VI.

« Mortuo Leodiensi Antistite Roberto, in multas et graves tribulationes- devenit Iuliana : nam impiis factionibus monasterio cum suis sororibus expulsa, in necessitate extrema aliquandiu vixit, donec in Salsiniense monasterium excepta, inibi a gravissimis malis aliquantulum respiravit. Sed turbata iterum pace ex ingruentibus bellis, et disperso ipso Salsiniensi monasterio, in oppidum Fossae deducta, aliquanto post lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sacrosanctum Cristi Domini Corpus in oppidi ecclesia collegiata sumpsit in Viaticum speciali cordis ardore. Tum in cellulam redux et sacro oleo inuncta, oculis in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum defixis, anno aetatis suae sexagesimo sexto pie obdormivit in Domino. Iulianae corpus in coenobium Villariense monachorum Cisterciensium, ut ipsa expetierat, fuit translatum, ubi miraculis claruit ».

DECRETUM

« Ut amantissimi Servatoris nostri in Eucharistia latentis veneratio magis ac magis in dies ubique locorum crescat, ferveat et dilatetur, Serenissima Belgarum Regina nec non Reverendissimi Archiepiscopus Mechlinien, et Episcopi Belgii a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. supplicibus votis postulaverunt, ut festum cum Officio et Missa in honorem Iulianae Virginis Cornelionensis, Sanctae nuncupatae, quo ex indulto Apostolico in eodem Regno atque alibi quotannis peragitur, ad totam extendere dignaretur Ecclesiam, ut sic ampliori cultus honore illa decoretur, quae eximio charitatis ardore solenne festum Corporis Chisti in universa Ecclesia institui prima omnium in votis habuit ac pro viribus curavit. Humiles has preces Sanctitas Sua

benignissime excipiens easdem ad Sacram Rituum Congregationem Ordinariam remittere dignata est. Haec autem ad Vaticanum hodierna die coadunata^ audita relatione facta ab E.mo et R.mo Domino Cardinali Hannibale Capalti huius Causae Ponente constituto, perpendens, publicum cultum praedictae Beatae Iulianae in pluribus Europae regionibus ab antiquo praestitum, iterum iterumque a Romanis Pontificibus vel Reliquiarum diribitionis permissione, vel largitione Indulgentiarum, vel etiam concessione Officii et Missae ratum habitum .ac adprobatum fuisse, rescribendum censuit: *Supplicandum SS.mo pro concessione Officii et missae singulis Ordinariis petentibus: quoad Officium vero et Missam ad E.mum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 3 Iulii 1869.

« Facta autem de praedictis SS.mo D. N. Pio Papae IX. per infrascriptum Secretarium fideli de omnibus relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit: adprobavitque supradictum Officium cum Missa in honorem eiusdem Beatae Iulianae assignandum perpetuo a singulis dioecesibus, quibus in posterum illud indulgeri contigerit, sub Ritu duplici minori, die quae post quintam Aprilis prima occuret in Kalendario dioecesano libera a quovis festo novem Lectionum, ac servatis in reliquo Rubricis ».

Die 8 iisdem Mense et anno.

C. Episc. Port, et S. Rufinae Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco **Si** Signi

& R. P. D. Bartolini Secretarius

Ex **QUIRIBUS COLLIGES :**

I. Vigentem disciplinam esse, ut Servi Dei canonizetur et in album Sanctorum referantur per solemne definitivum Romani Pontificis Decretum.

II. Eiusmodi disciplinam tamen quoad substantiam antiquissimam esse, quamquam non eadem solemnitate Romani Pontificis auctoritas fuerit exerta (1).

(1) Mihi non apparet ratio, cur sit dicendum, eos Sanctos, qui uti tales habiti sunt ex communi ecclesiae con8ensu ante Decretalem allegatam Alexandri III. iure esse in Martyrologium referendos, non autem illos, qui post eam Decretalem eodem modocanonizati dici forte possint : etenim Alexander III. in ea Decretali *Audivimus,* non aliquid novi constituit, sed prin-

III. Plurimos autem Sanctos Ecclesiam veneratam esse et venerari tamquam canonizatos, qui tales habiti fuerunt ex communi Ecclesiae consensu, atque ideo Sanctorum albo inscripti (1).

IV. Posito^ solemni canonizationis Decreto, prospiei quoque, ut ab universali Ecclesia festum canonizati sub ritu duplici celebretur: idque antiquitus non contigisse: ideoque plurium Sanctorum (qui ut canonizati ex communi Ecclesiae consensu habentur) Officium et Missa in pluribus ecclesiis vel non celebratur, vel saltem non celebratur ritu duplici (21).

eipium dumtaxat commemoravit tamquam omnibus pervium per illa verba: *etiamsi per eum miracula fierent, non liceret ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae venerari.* Quod quidem principium repetendum est ex alio generaliori, quo semper habitum est, in causis Ecclesiae maioribus definitivum iudicium exlusive pertinere ad Apostolicam Sedem. Buto autem eam Decretalem novum vigorem novamque extensionem in Ecclesia obtinuisse, postquam Gregorius IX eam posuit in §ua collectione, quae collectio, cum uti codex authenticus ss. canonum consti tuita fuerit, ex interpretatione iurisperitorum occasionem fortasse dedit, ut in hisce causis severior disciplina pedetentim inciperet. Facta postea prohibitione, ne in Martyrologio describerentur alii praeter eos, qui rite canonizati sint, hi secundi canonizati ex consensu Ecclesiae post eam Decretalem, si haheantur, non fuerunt lege aliqua exclusi, sed potius in consideratione habiti non fuerunt.

(1) Cum dicimus ex communi Ecclesiae consensu, non intelligimus (quod absit!) Ecclesiam acephalam, sed Ecclesiam cum suo Capite coniunctam, quam in symbolo profitemur *unam sanctam.* Hos Sanctos comprehensos noluit Urbanus VIII. iri celebri prohibitionis Decreto die 13 Martii anno 1625 edito, declarans, *quod per suprascripta praeiudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui... per communem Ecclesiae consensum... coluntur.*

(2) Confer Causam, quam proposuerunt Galliarum Antistites de elevando Ritu SS. Ioachim et Annae, eodemque praescribendo in universa Ecclesia: quam causam retuli in Foi. *TTl pag. 478.*

Primus Romanus Pontifex, qui Officium et Missam Sanctorum quorundam ad universam Ecclesiam peculiari Decreto protendit videtur fuisse Bonifacius VIII., prout eruitur ex cap. *Gloriosus, de Reliquiis et venér. Sanet, in* 6°: in eo enim capite ob praeclarissima in Eoclesiam merita quorundam Sanctorum haec decrevit: *Nos itaque piis ducti consiliis, dignisque studiis excitati, nonnullos Praedecessores nostros Romanorum Pontificum (qui specialis devotionis prosequentes affectum, aliquorum festa Sanctorum sub duplici ordinaverunt Officio celebranda) imitari sollicite intendentes: eorundem Apostolorum, Evangelistarum et Confessorum festivitates praecipuas (de fratrum nostrorum consilio et assensu) sub Officio duplici per universas orbis ecclesias volumus, statuimus et praecipimus annis singulis perpetuis futuris temporibus solemniter celebrari ».*

Y. Vigentem pariter esse disciplinam, ut ad Decretum solemne Canonizationis non deveniatur, nisi post Decretum Bear tificationis.

(VI. Illud autem intercedere discrimen inter utrumque, ut Decretum Beatificationis non praeseferat definitivum gloriae caelestis et terrestris iudicium, sed sit veluti praeparatio âd illudi

VII. Ideoque OfficiiJNIissaeque celebrationenvquae a S. Sede conceditur, non esse aliud nisi peculiare indultum illis personis aut locis tantum, quibus conceditur, quod indole sua revocari ac cessare quoque possit.

VIII. Plurimos itidem antiquos Servos Dei esse, quibus cultus tribuitur a tempore longaevo in aliquibus ecclesiis tantum? eosdemque a S. Sede haberi uti Beatos, quoties de immemorabili cultu constiterit. Proinde celebrationem Officii et Missae a S. Sede eisdem indulgeri aut permitti (1).

Quae autem modo viget disciplina, dignosci potest ex sequenti Decreto S. C. SS. RR. edito die 9 Decemb. 1628, in causa *Genen.* In ea enim expositum fuit S. Congregationi : » In Bullis Ca-« nonizationis Sanctoium ponuntur « haec verba: *Statuentes, ut ab uni-« versali Ecclesia anno quolibet in die « N. festum ipsius et officium sicut pro « Martyre, vel Confessore etc. ad for-« mam in Rubricis Breviarii Romani «praescriptam devote et solemniter « celebretur.* Ex quibus verbis apparet, « quod conceditur licentia absolute et « et indistincte, ut in omnibus eccle-« sus possit recitari de omnibus "San c-« tis canonizatis: et utendo huiusmodi «interpretatione in aliquibus Episco-« patibus Ordinarii et Capitula admit-« tunt Sanctos sibi benevisos, et de « illis recitatur ». Quaesitum inde est, an « Ordinarii et Capitula possint eo-« rum arbitrio recitare *De Sancti ca-« nonizatis sibi benevisis* non existen-« tibus *in Kalendario,* etiamsi non sint « Patroni talium Episcopatuum, nec « miftus requiescant in illis corpora « vel notabiles Reliquiae illorum ». Cui S. Congregatio respondit: « *Facultatem concessam in Litteris et Bullis Canonizationum celebrandi Festum de aliquo Sancto canonizato et Officium de eo recitandi non posse ad exercitium deduci nisi et modo et forma, qua specialiter per Sedem Apostolicam et S. C* permittitur: ideoque esse necessariam eiusmodi declarationem et Decretum etc. Non posse Ordinarium neque Capitulum aut alios recitare Officium de Sanctis Canonizatis, qui non sint in Kalendario descripti, vel non sint patroni ecclesiarum, aut non adsint eorum Reliquiae insignes etc.* ».

(1) S. R. Congregatio rogata in causa *Visen,* die 11 Iunii 1605: «An in Ecclesia Visen, recitari possit Officium de Communi pro Sanctis, quorum festivitates ab immemorabili tempore celebrari consueverunt, quamvis non sint canonizati, prout est S. Elisabeth Regina, S. Theotoni us et alii similes»? Respondit: *Affirmative, dummodo adsit immemorabilis consuetudo.*

IX. Nihil autem impedire, quominus eiusmodi circumscriptus cultus veterum Servorum Dei sensim propagetur in universam Ecclesiam ; non quidem per generale S. Sedis Decretum, sed per peculiares concessiones et indulta.

X. Eiusmodi extensionem eo usque pertingere posse, ut eiusmodi Beatus tamquam Sanctus canonizatus ex communi Ecclesiae consensu facto ipse sit habendus, atque in Martyrologio Romano tandem describendus.

XI. In praesenti themate actum fuisse de Virgine, cuius cultus a S. Sede, etsi iandiu pluribus actibus indirecte admissus atque recognitus, aequipollentem tamen Beatificationis gradum non hactenus excessit.

XII. Praesenti vero Decreto talem factam fuisse facultatem, ut, ex ampliori Ecclesiae consensu, gradum aequipollentis Canonizationis Beata Virgo Iuliana, pertingere facile possit **(i).**

(1) Optandum quidem esset, ut duas illas Virgines de Ecclesia optime meritas quarum una festum solemnissimum augustissimi Corporis Dominici in Ecclesia promuovere incepit, et altera sacratissimi Cordis Iesu, de cuius cultu iam laetatur universa Ecclesia, ambas, inquam, inter Sanctos quamprimum venerari possemus: ita tamen, ut prima ex communi Ecclesiae con sensu, altera vero ex solemni Decreto, quod expectamus, eundem honoris gradum obtinere in Ecclesia possint.

CORDÜBEN.

CANONIZATIONIS

B. IOANNIS BAPTISTAE A CONCEPTIONE

FUNDATORIS ORD. EXC ALC EAT O RU M! SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

DECRETUM: «Quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de Validitate duorum Processuum Auctoritate Apostolica constructorum super novis Miraculis, quae a Deo Optimo Maximo patrata perhibentur, Beato Ioanne Baptista a Conceptione praedicto intercessore adhibito, Eñíüs et Rmus Dominus Cardinalis Aloisius Bilio huius Causae Ponens, instante Rmo P. Georgio a Virgine Sacerdote Professo memorati Ordinis et Postulatore Causae ipsius, sequens Dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis. *An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate tum Praeneste, tum Romae constructorum super novis Miraculis praedicti Beati ; testes sint rite ac recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*

« E.mi porro ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: « *Affirmative*, demptis tamen documentis extraiudicialibus in Processu Praenestino compulsatis, quae habeantur loco adminiculi ». Diei 3 Iulii 1869.

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, *Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.* Die 8. «iusdem mensis et anni ».

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae
CARD. PATRIZI S. R. C. Praefectus

Loco i$(Signi

D. Bartolini Secretarius

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PRIVATIONIS PAROECIAE

Die 27 Iulii 1867, 12 Sept. 1868 et 4 Sept. 1869.

Compendium facti. Iosephus Sacerdos paroeciali officio, sive ut administrator, sive ut Vicarius, perfunctus in variis paroeciis dioecesis N. denique paroeciae oppidi cuiusdam uti Parochus est suffectus anno 1847. Octo fere annos Parochus extitit sub praedefuncto Episcopo, et quatuor annos sub novo Episcopo.

Ex promotis ad curiam episcopalem querelis sive de eiusdem Parochi negligentia in ecclesiasticis officiis, sive de carentia idoneitatis, sive denique de suspicione inhonestae vitae, anno 1859 Episcopus cuidam Decano eiusdem loci officium commisit, ut de spontanea renunciatione paroeciae cum Iosepho ageret. Hic declaravit se paroeciam resignaturum; addidit vero: *mihi facultatem relinquo accedendi quamprimum ad Episcopum, ut de conditionibus agam.*

Postea vero cum tractatus in conciliandis conditionibus in irritum cessissent,-et'Parochus (qui tantum fractae valetudinis causa resignatr neu paroeciae spoponderit) certior factus esset de dictis accusationibus, provpcavit ad dispositionem Concilii Tridentini, *Cap.* 6 *sess.* 21 *de Ref.*

Egerat interea Episcopus cum Gubernio civili, ut aliqua pensio Parocho assignaretur: atque civilis Praeses se paratum exhibuit pensitandj *fiorenos* $10 *per unum tantum annum, quos ex ea causa dabat, quod; ex praehabitis morbis quodammodo intel lectuales Parochi vires interdum deficere viderentur: et tamen officia ab eo praestita annis praeteritis non essent meritis destituta.*

Ordinarius quin aliud curaret, die 3 Ianuarii 1861 Decretum privationis paroeciae "enisit. Ea, quae in eo Decreto animadvertebam^, ad haec summa capita reducuntur; videlicet inquiebat Episcopus « ab ipso suo dioecesis ingressu ex variis partibus sibi

pervenisse repetitas querimonias ob multiplices culpas et imprudentias, quibus aestimationem Iosephus generatim amisisset, et aversionem paroecianorum ex rudi agendi ratione concitasset: ideoque prompte prospiciendum iandiu esse illi paroeciae, quae profecto non infima erat, ad reparanda mala quotidie irruenti a ex pravis populi moribus.

«Se non semel accersivisse Parochum etiam per Decanum ut suam inidoneitatem ad animarum regimen serio consideraret, eaque cognita, sponte paroeciam resignaret, n# ex officio procederetur.

«.Parochum ostendisse Decano desiderium dimittendi'paroeciam, sed paulo post revocasse factam promissionem, et invocasse Tridentinum Decretum, *sess.* 21 c. 6 *de Ref.* quo parochis imperitis prospiciendum est per Coadiutores.

« Sed dictum Decretum in prima parte respicere Parochos imperitos, sed bonos imbutos moribus; in secunda parte vero considerare Parochos in sua agendi ratione reprehensiones, sicut etiam in *cap.* 14 *sess.* 25 *de Ref.* ibique indicari quoque Beneficii privationem sine strepitu et forma iudicii faciendam post cognitam facti veritatem.

« Significatum iam fuisse Parocho, quod, si procedendum esset ad inquisitionem de culpis singillatim eidem imputatis, necessario consequuta esset dimissio Beneficii: ideoque iterum invitatum fuisse, ut sponte paroeciam dimitteret : eundem autem non respondisse, sed tauen significasse, se paratum esse stare ad arbitrorum statuendorum iudicium pro consequenda petita pensione; atque eundem, examini medicorum subiectum, non potuisse consequi attestationem absolutae physicae impotentiae.

« Verum alias esse causas, quae redderent vere inidoneum Iosephum ad curam animarum; praesertim ob eam paroeciam, quae exigeret, ut promte eidem prospiceretur, prout saepe invocaverant praesentantes populi.

« Rebus sic stantibus, iuxta sacros canones et nominatim iuxta dispositiones tridentinas indicatas in sua potestate esse existimasse sublevendi Parochum a paroecia.

« Destinatis vero a Praeside civili *florenis* 210 per unum annum, se abstinere non potuisse, quominus suhlevaret Iosephum a paroeciali Beneficio, administratore destinato ad eam. vacantem paroeciam ».

His Episcopi dispositionibus haud acquiescens Parochus, ad Metropolitanum appellavit; qui tamen, nulla inquisitione iuridica peracta, his verbis censuit confirmare Episcopi dispositionem: «Respectu habito ad Conc. Trid. *sess.* 21 *et* 25 *deRef.* recursum «tuum reiicio, et tibi iniungo, ut ordinationi IlLmi et R.mi Epi« scopi tui morem geras ».

Denique, omissis caeteris, Iosephus appellavit ad S. Sedem invocans tridentinas dispositiones praesertim primam partem *cap,* 6 *sess.* 21 *de Reform.*

Rogatus Episcopus pro informatione enarravit de studiorum curriculo in Seminario a Iosepho peracto, in quo non admodum proiecisset;«eundem modo versari in aetate 55 annorum: enarravit singillatim omnia officia paroecialia a Iosepho gesta ab anno 1842, quo Sacerdotio fuerat initiatus: enarravit de Parocni moribus, dicens eundem non reliquisse bonam sui famam in mansionibus paroecialibus ob suam inidoneitatem, praesertim ob rudem agendi modum et cupidinem creandi molestias : dum versabatur in paroecia G. anno 1844 scandalum in sua domo contigisse ex partu eius sororis, atque complicem existimatum fuisse.

Sed praeter superius exposita novissime motas fuisse querelas adversus eundum ex paroecia cui praeerat; quas singillatim exposuit: 1° quod Missae sacrificium negligentissime celebraret; ex quo appareret spretus potius divini cultus, maxime ob quasdam nervorum, quibus afficeretur, irritationes: 2° quod mente abstractus iugiter esset sive in Missae sacrificio, sive in aliis ecclesiasticis cultus actionibus, nominatim vero in sacra aucharistia diribenda, cum saepe disperdiderit sacras hostias: 3° quod decenter, uti par esset, non se deferebat in ecclesia: 4° quod sacri eius sermones non essent idonei ad docendum; cum abuteretur loco sacro ad suam iracundiam effundendam: 5° quod obligationibus Missarum negligenter satisfaceret: 6° quod nullum horarium ordinemque servaret in sacris functionibus: 7° quod ex carentia Sacristae ecclesia inordinata iaceret: 8° quod superadditis a se nominibus appellaret tum pueros, tum adultos : 9° quod in schola tempore precis non staret, sed in subsellium se sterneret: 10° quod publice tum magistrum, tum magistram inurbanis asperisque verbis reprehendere^ 11° quod anno 1857 deprehensus esset turpiter ab uxore fratris cum adolescentula: 12° quod aliam turpiter sollicitaverit: 13° quod revera aliam vio-

laverit in propria domo: 14° quod denique in familiari dissensione esset cum patre et fratre in scandalum populi...

Adnotavit praeterea, eas imputationes, praesertim quae ad proprium referrentur officium, esse notorias etiam extra paroeciam: imputationes autem contra mores enarratas ab officio decanatus anno 1857 per inquisitiones potuisse comprobari a testibus fide dignis, aliosque defectus eiusdem generis detegi facile potuisse.

Caeterum cum esset notorius idoneitatis defectus, ne scandala augerentur ob formales inquisitiones, se iniunxisse Decano, ut quammaxime curaret, ut Parochus sponte paroeciam dimitteret. Haec et alia similia ex ecclesiastica curia.

Disceptatio synoptica.

DFFENSIO PAROCHI. Parochus Oratorem pro sua defensione Romae constituit, qui initio accusationes contra Parochum factas ex inimicorum odio et vindicta processisse ait; quos ideo inimicos habuerit, quia ex proprio officio olim eos redarguerit: inde etiam sollicitatum fuisse novum Episcopum in susceptione dioecesis ut de Parocho inquireret: et Episcopum inquisivisse ope hominis eidem Parocho summopere infensi: addit praeterea, appellationem a Parocho factam a Metropolitano fuisse reiectam absque ulla forma iudicii.

His praemissis, impugnavit Episcopi Decretum, quod latum esset sine ulla canonica forma, quodque neque iustum, neque aequum esset.

Ad primum quod attinet, invocabat Orator Constitutionem Innocentii III. quae legitur in Decretalibus *cap.* 23 *dé Accusationibus.* Eam integram referimus, cum in ea contineantur normae, quibus Iudex hisce in adiunctis se gerere debeat. Ita porro se habet constitutio in generali Lateranensi Concilio edita.

« Qualiter et quando debeat Praelatus procedere ad inqui-
« rendum et puniendum subditorum excessus ex auctoritatibus
« novi et veteris testamenti colligitur evidenter; ex quibus postea
« processerunt canonicae sanctiones, sicut olim aperte distinximus
« et nunc sacri adprobatione Concilii confirmamus. Legitur enim
« in evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud do-
« minum suum quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo:

« *quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae; iam enim* << *non poteris amplius vitticare.* Et iii Genesi Dominus ait: *JÜ'e-* « *scendam et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere- com-* « *pleverint.* Ex- quibus auctoritatibus manifeste probatur, quoçl « non solum cum Subditus, verum etiam cum Praelatus exce- « dit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, «= non quidem à malevolis et maledicis, sed a providis et hone- « stis, nec semel tantum, sed saepe, quod clamor innuit et dif- « famatio manifestat debet coram ecclesiae senioribus veritatem « diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica « districtio culpam feriat delinquentis: non tamquam idem sit « accusator et iudex;, sed quasi, denur/ciante fama, vel deferente « clamore, officii sui debitum exsequatur. Licet autem hoc sit « observandum in Subditis; diligentius tamen est observandum « in Praelatis, qui quasi signum \sunt positi ad sagittam. Et quia « non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo tenean- « tur non solum arguere, sed etiam increpare; quin etiam inter- « dum suspendere, nonnumquam vero ligare, frequenter odium « multorum incurrunt, et insidias patiuntur. Ed ideo Sancti « Patres provide statuerunt, ut accusatio Praelatorum non facile « admittatur, ne, concussis columnis, corruat, aedificium, nisi « diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae, sed « etiam malignae çriminationi ianua praecludatur. Verum ita vo- « luerunt providere Praelatis, ne criminarentur iniuste, ut ta- « meri caverent ne delinq.uerent insolenter, contra morbum utrum- << que invenientes medicinam congruam : videlicet ut criminalis « accusatio, quae ad diminutionem capitis, id est, degratationem « intenditur, nisi legitima, praecedat inscriptio, nullatenus admit- « tatur. Sed cum. super excessibus suis quisquam fuerit infama- « tus, ut iam. clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissi- « mutari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubita- « tionis scrupulo ad inquirendum et puniendum eius excessus « non ; ex : odii fomite, sed charitatis procedatur affectu; quate- « nus si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, «ab administratione tamen amoveatur omnino: quod est secum- « dum sententiam, evangelicam a vindicatione villicum amoveri, « qui non potest villicationis suae dignam reddere rationem. De- « bet igitur «esse praesens is* - contra quem facienda est inquisi- « tio, nisi se: per contumaciam absentet; et exponenda sunt ei

« capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat
« defendendi seipsum; et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa
« testium sunt ei (üt quid, et quo sit dictum appareat) pubii-
« canda: nec non exceptiones et replicationes legitime admiten-
« dae; ne per suppressionem nominum infamandi; per exceptio-
« num vero exclusionem, deponendi falsum audâpia praebeatur.
« Ad corrigendos itaque Subditorum excessus tanto diligentius
« debet Praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas
« deseret incorrectas. Contra quos, ut dé notoriis éxcessibus tá-
« ceátur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem vi-
« delicet, denuntiationem, et inquisitionem ipsorum; tamen ut
« diligens adhibeatur in omnibus cautela, ne forte per leve com-
« pendium ad gravé dispendium veniatur: sicut autem accusa-
« tionem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denuntia-
« tionem charitativa monitio, et inquisitionem clamosa insinua-
« tio praevenire: illo semper adhibito moderamine, ut iuxta for-
« mam iudicii, sententiae quoque forma dictetur. Hunc tamen
« ordinem contra regulares personas non credimus usquequaque
« servandum, quae (cum causa requirit) facilius et liberius a Suis
« possint administratoribus amoveri ».

Allegatis autem variis huius constitutionis partibus, Orator inquiebat, in praesenti themate eam nullimode fuisse servatam, cum non praesens Iosephus fuerit, contra quem inquisitio feciehda esset, nec dicta nec nomina testium accusántium notificata, nulla forma indicii habita, nulla assertorum criminum probatio: quare remotionem Parochi, ita factam, spolio aequiparari; ideoque paroeciam cum redditibus perceptis ei restituendam iuxta *cap.* 7, *de Restitutione spoliaturum,* in quo Alexander III. ita in simili causa respondit Cantuariensi Archiepiscopo: « *Gonquerente nobis Renaldo Clerico, accepimus, quod ipsum ecclesia de Vuefort sine iudicio spoliasti. Quia vero iam non decet honestatem tuam clericos tuae iurisdictionis sine manifesta causa et rationabili suis Beneficiis spoliare, quibus teneris paterna provisione consulere,mandamus,quatenus, si est ita, praedicto clerico prefatam ecclesiam cum redditibus inde perceptis restituas, et in pace eam possidere permittas.*

<< Restitutione autem facta, si quid adversus eum super praescripta ecclesia proponere volueris, corani Exonensi Episcopo delegato a Nobis per te, vel per sufficientem responsalem tuum cum eodem Renaldo ordine iudiciario poteritis experiri ».

Ageng seeundo loco speciatim Orator de *iniustitia privationis* ostendit, si ob delicta quae in iure considerantur privatio facta esset, non fuisse servatos punitionis gradus in iure praescriptos iuxta *cap.* 6. *Sees.* 21 *de Ref or.* ubi statutum est: *eos vero, qui turpiter et scandalose vivunt postquam praemoniti fuerint, coerceant et castigent; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos Beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones.... privandi habeant facultatem:* eandemque dispositionem iugiter fuisse a S. Rota et a S. C. applicatam. Facta itaque hypothesi vera fuisse impacta crimina, cum tamen servati non essent statuti punitionis gradus, eam privationis sententiam irritam fuisse.

Nec damnari tali poena potuise ob leves assertas culpas, cum nemo privandus sit Beneficio, nisi ob gravia crimina, eaque in iure expressa.

Quod si dici velit, privationem eausatam fuisse ex infirma valetudine vel inhabilitate; pariter nec valorem habere latam sententiam, cum per coadiutorem vel per vicarium fuisset prospiciendum iuxta Tridentinum in dicto *cap.* 6. *-sess.* 21, quod ita statuit: *Quia illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant, Episcopi, etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, coadiutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque eisdem pro sufficienti victus assignare vel aliter providere possint.*

Verum adserta crimina leviores culpas et Parochi inhabilitatem falso afferri contendit.

Imperitum et inhabilem eum dici non posse, qui cum laude studiorum curriculo peracto, per septem et viginti annorum spatium tot in locis versatus esset curam animarum exercens.

Leviores culpas vel non exstare, vel eiusmodi esse, ut facile veniam mererentur, dum homines etiam piissimi in illas possint incidere.

Ample autem Orator orationem suam aperiebat ad excludenda delicta asserta contra honestatem: idque tum in genere ob praeclara testimonia probatorum virorum, tum in specie de singulis accusationibus disserens.

Dubium

« An constet de causis remotionis a Paroecia, seu potius sit « locus reintegrationi in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa disceptata in comitiis habitis die 27 Iulii 1867 respondere censuit: *Negatine ad primam partem; ad secundam, attentis declarationibus per Sacerdotem* (Iosephum) *emissis, dilata, et scribatur Episcopo ad mentem.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Cum mens S. C fuisset, ut Episcopus media proponeret, quibus per congruam pensionem florenorum an. 250 a die remotionis Iosepho consuleretur, eaque mente Episcopo significata, curavit Antistes, ut apud civilem Praesidem hac pensione Iosephus donaretur: sed cum eiusmodi curae in irritum cessissent, et simul quaereret Antistes, ut processus instituereretur contra Parochum per tres Protonotarios Apostolicos, causa iterum die 12 Septembris 1868 coram S. C. proposita est, in qua novae epistolae Episcopi fuerunt consideratae et expensae: proposito autem dubio: « an sit standum vel recedendum a decisis in casu: » Rescriptum prodiit: *Dilata ad primam post proximam, et scribatur Episcopo ad mentem.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Iterum Episcopo ex mandato S. C. scriptum est: optare maxime S. C. ut modum inquirere ac proponere non differret, quo Parochus congrua pensione provideri possit, ad idque statum activum et passivum Praebendae parochialis, de qua agitur (relatis scilicet annuis redditibus, comprehensis incertis stolae et oneribus) transmittere curaret: ediceret praeterea, quamnam partem fructuum Oeconomo hactenus adsignaverit, denique quota pars pensionis super paroecia ac super fundis sive e Gubernio sive aliunde profectis imponi possit, eo consilio, ut pensio, quae Sacerdoti *(Iosepho)* assignari deberet, congrua dici haberique possit.

Antistes hisce mandatis obsequens rescripsit. Causam integram simul iterum in sua epistola exposuit, quae typis tradita proposita est coram S. C. die 4 Septembris 1869; atque iterum proposito dubio: « an sit standum vel recedendum a decisis in casu: » responsum prodiit: *In decisis, ad mentem, et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Ad privandomi Parochum canonice institutum e sua paroecia necessariam esse canonicam causam et canonicam procedendi" formam.

II. Graves accusationes et querimonias, quae contra Parochum curiae deferantur, considerandas esse simpliciter tamquam dicta Accusatoris, quae movere debent Iudicem non quidem ad iudicandum, sed ad inquirendum de earum veritate.

III. Inquisitionem autem fieri debere per canonicum processum super accusationibus, ut de earum veritate constare possit, admissis defensionibus accusati.

IV. Ñon omnia delicta etsi probata causam canonicam constituere ad privandum e paroecia Parochum.

V. Quaedam praeterea dari delicta, quae etsi ad privandum Parochum tandem sint idonea, tamen nisi praemissae fuerint repetitae admonitiones, quibus Parochus corrigi possit, non constituere sufficientem privationis causam.

VI. Quare frustra de his delictis instituéretur canonicus processus ad privandum Parochum, si ea praeterita iandiu fuissent.

VII. Neque causam privandi esse detectam inhabilitatem Parochi, cum privatio habeat gravis poenae rationem,

VIII. Posse tamen Parochum inhabilem aliquo modo removeri per coadiutorem seu vicarium eidem constituendum, qui congruam portionem habeat ex redditibus paroeciae vel aliunde profectis.

IX. In praesenti themate accusationes et querelas contra Parochum habitas fuisse a curia loco fere probationis: easdemque, licet probatae fuissent, non amplius idoneas esse potuisse ad privandum.

X. S. Congregationem habita ratione declarationis Parochi remotionem admisisse, ita tamen, ut congrua et perpètua pensio eidem aliquo modo assignaretur.

SPONSALIUM

Die 29 Maii 1869 et 21 Augusti 1869.

Compendium facti. Matrimonium mox inituro Antonio cum vidua Iosepha impedimentum, quod *nihil transeat* appellant, apud curiam apposuit Lucia iam aetate satis gravis, asserens datam sibi ab Antonio fuisse et repromissam a se nuptiarum fidem. Exorta hinc est **questio** inter eos, et productis tum a muliere reclamante, tum etiam a viro pluribus testibus, iisque formali examini suppositis, die 25 Aprilis" 1867 prodiit curiae sententia, qua pronuntiatam fuit: « *denegandam esse praefato Antonio. .. licentiam contrahendi matrimonium cum quavis alia muliere, firmo praeterea manente mandato, de non nubendo ab hac curia reláxalo die* 22 *Febr.* 1867 ».

Ab hac sententia appellavit Antonius ad S. Sedem, et supplici porrecta libello Sanctissimum rogavit, « ut dignaretur eli-« gere et nominare iudices in secunda instantia... in ea diocesi « ad examinandas processuales tabulas, et, si opus sit, ad admit-« tendas alias probationes praeter allegatas in prima instantia... « Se haec postulare, inquit, ad evitandos sumptus litis, quos ferte « ipse non posset, quique necessario requirerentur ad sustinen-« dam causam in tribunalibus romanis ». Erant ambo ex insula Melivitana.

Rogatus ac de re Episcopus favore prosequutus est Antonii preces: veruntamen a S. C. C. ita rescriptum est: *Quoad deputationem iudicis in partibus non expedire, et scribatur Episcopo, qui transmittat acta processualia, moneat mulierem ad deducendum iura sua, et Oratorem ad exhibenda documenta ac probationes de quibus in precibus: de caetero in casu paupertatis S. Congregatio iura partis impotentis tueri ex instituto non praetermittit.*

Omnibus, ut par erat paritum est, atque acta processus transmissa fuerunt. Exinde neque a viro neque a muliere quidquam ad rem faciens exhibitum est, si excipias folium, quo a muliere exceptio proposita est his verbis concepta: « a sententia curiae « Episcopalis appellatum est die 6 Maii 1867, et acta processus « remissa sunt ab Ordinario ad S. Congregationem ad instantiam « Antonii nonnisi die 2 Martii hoc anno 1868. Quare secundum

« codicem rerum civilium Gregorii XVI. §§. 969-70-71, eiusmodi « Antonii appellatio perempta est, cum introductio actorum facta « non sit infra semestre tempus ».

Disceptatio synoptica.

Duplex ex officio questio considerata est, quarum una de appellationis peremptione; altera vero de causa principe.

De peremptione appellationis adnotatum tantum est, quod licet quae allegarentur legis dispositiones verae essent, ad casum tamen applicandae non viderentur, praesertim ob §. 383 eiusdem codicis, ubi statuitur: *Nihil innovatur quoad SS. Congregationes ecclesiasticas, et regulas quae ab iisdem servantur.* Porro inspecto iure canonum ad prosequendam appellationem concedi integrum annum, cap. *Cum sit Romana* 5 *de Appellation.*

Ad causae meritum quod attinet, deducebantur in medium testimonia, quae testes a partibus producti, et rite in curia ecclesiastica examinati deposuerunt.

DEFENSIO LUGIAE. Testimonia quae militabant pro Lucia ad sequentes propositiones facile reducimus: Antonium frequentasse decem abhinc annis domum Luciae titulo sponsi Luciae: eum dixisse, se velle uxorem ducere Luciam: se tamen in praesentia facere id non posse, quod sororibus gravaretur; sponsam frequentasse quoque domum Antonii: mutua prandia et coenas habitas frequenter fuisse: actum fuisse de dote ex parte Luciae, quae determinata est: Antonium tamen locutum non esse de dote, quod uxorem ducere non posset. Haec ex una teste.

Altera testis, soror Luciae alteri iam viro coniuncta, eadem fere testata est, ac praeterea ait: se sciscitatam fuisse matrem Luciae, praesente Antonio, an hic illius sponsus esset, eamque id affirmasse, eundemque Antonium subiunxisse, *placet quidem* (italice: *per servirla):* testem admonuisse Antonium, ut id bene perpenderet, ne inde matrimonii poeniteret, cum aetate gravis iam Lucia esset; et respondisse Antonium, se hac de re cogitare debere; et eodem contextu statutam fuisse quantitatem dotis ex parte mulieris, tamen Antonium audientem nihil dixisse: eumdem fuisse praesentatum a sorore Luciae coram quodam Canonico tamquam sponsum Luciae, factaque a Canonico congratulatione,

Iosephum ei gratias egisse: quoddam singulare prandium factum fuisse ex parte mulieris intuitu matrimonii cum Iosepho.

Alter testis frater Luciae similia enarrans testatus est, Antonium praesertim a sua familia habitum fuisse ut sponsum Luciae: se Antonio dixisse: tu tandem non eris Luciam uxorem ducturus; et responsum habuisse, se non in conditione reperiri ducendi uxorem, sed id facturum quando reliquisset officium quo fungebatur: ad invicem se eos gessisse tamquam sponsos: testem sponsalia ideo iniisse cum sorore Antonii, quia Antonius Luciae sororis sponsus iam esset.

Alter testis miles, Antonii famulus, deposuit, se tenuisse eos fuisse sponsos : Eos se ad invicem visitasse : quadam die Antonium visitasse domum Luciae; et tum Luciam, tum eius matrem flentes reperiisse, ac matrem postulasse ab Antonio ut eas inviseret, neque earum oblivisceretur ; atque Antonium respondisse : *hoc negotium si Deus velit confidemus, ego te* (Luciam) *volui teque accipiam.* Item testis deposuit, duobus abhinc annis Antonium sibi fateri eam fastidio sibi esse: antea vero dicere, se eam tenere amare.

Alter testis miles ..testatus est praeter alia, se audivisse a sororibus Antonii dicere: eam anum Antonium esse uxorem ducturum.

Viceparochus testatus est, dum Matri Luciae moribundae assisteret, Luciam indicantem Antonium sibi dixisse: *hic est meus sponsus:* ipsum testem subiunxisse, *gaudeo,* et Antonium respondisse, *gratias.*

Haec erant testimonia adducta pro Lucia: quibus possitis, ex officio adnotabatur, eos testes etsi consanguinitate, affinitate vel amicitiae vinculo iunctos, non posse iure negligi; cum in huiusmodi negotiis, quae inter parentes et amicos agi solent, frustra alii quaererentur.

Porro eorum testimoniis inspectis satis constare sive de promissione a viro facta, sive de repromissione mulieris : non enim praescribi verba et modum quo sponsalia contrahantur, cum per solum consensum perficiantur; ac proinde sufficiat, ut de voluntate constet, sive per verba, sive per signa voluntas consensusque exprimatur, *cap.* 21 *et* 25 *de sponsal.* Immo ex indiciis et circumstantiis argui quoque posse a iudice sponsalium contractum.

Atqui, omissis caeteris, in preesenti themate haberi familiaritatem per decennium protractam causa contrahendi matrimonii, visitationes frequentissimis usque ad longam noctem productas, intervenisse constitutionem dotis, amicabiles transactiones.

Neque occurri posse, ea quae dixerit Antonius dicta non esse animo contrahendi matrimonii, ut in praesentia ipse fassus erat, cum « *nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit » I. 7 ff. de Supell. leg.* Praesertim cum omnia quae gesserit, per tot annos protracta, serium fuisse animum confia marent.

DEFENSIO- ANTONII. Testes per Antonium producti haec in iudicio testati sunt: Antonium locutum non esse de dote, quod diceret se eam uxorem ducere non posse. Alter, Antonium dixisse, verum non esse Luciam suam esse sponsam, idque a tribus vel quatuor abhinc annis se audivisse.

Alii pariter idem fere audivisse ab Antonio testati sunt, eademque Luciae retulisse.

Denique alter testis haec deposuit: « Familia Luciae adhuc « dicebat eos esse sponsos: ego sciscitatus sum Antonium, qui « mihi constanter respondit: se non esse eius sponsum, et tamen « eam derelinquere non posse ob clamores, quos ipsa elatura « esset. Post seriam admonitionem, quam eidem feci quinque « abhinc annis, ille mihi dixit, se timere Luciae fratres, qui « ipsum percutere minati essent. Lucia visitabat nostram domum « persuasam, se esse sponsam Antonii; nos autem eam admit- « tebamus simplici amicitiae titulo ».

Hisce adductis, actis superque esse inquit Antonius ad obligationem sponsalium denegandam, ipsaque testimonia ex adverso producta nihil aliud innuere nisi praevium tractatum ad ipsa sponsalia, cuiusmodi erant frequens accessus, amoris mutui signa et constitutio dotis: quae quidem testimonia minori pretio essent habenda, quum ipsorum testium maxime interesset, sororem iam superadultam matrimonio collocare.

Ceterum sponsalium obligationem, quae respicit hominis libertatem in re maximi momenti,luculentissime esse ostendendam; in praesenti autem themate frustra quaeri seriam promissionem et repromissionem: urbana tantum verba gratulationesque reperiri. Neque serio prolata accipienda esse, si quae inter hilarita-

tem vaporemque vini atque epularum forte prolata sint verba, ut gravissimus contractus conclusus censeri possit.

His aliisque animadversis, proposita sunt resolvenda.

Dubia

I. « An sit locus peremptioni appellationis in casu.

II. « An sententia curiae... sit confirmanda vel infirmanda « in casu ».

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii, causa cognita die 23 Maii 1869," respondere censuit:

Ad I. *Negative et amplius.*

Ad II. *Dilata et trasmittantur a curia episcopali documenta a Iosepho promissa.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. — Cum haec fuissent curiae per episto-stolam significata, respondit: Antonium accersitum declarare, se nova non habere documenta in medium deducenda.

Reproposita causa coram S. C. C. die 21 Augusti 1869, ad dubium: « An sententia curiae... sit confirmanda vel infirmanda « in casu » : resolutio prodiit: *Attentis omnibus, esse locum remotioni impedimenti, salvo iure favore mulieris, agendi pro damnis prout et quatenus de iure.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Obligationem sponsalium, quae consistunt in promissione ex una parte et in repromissione ex altera futuri matrimonii contrahendi luculenter esse probandam.

II. Non quamlibet expressam promissionem eiusmodi obligationem inducere, sed eam, quae ex firmo deliberatoque animo proficiscatur.

III. Agitur enim de obligatione in re gravissima, qua mulier et vir ad invicem ligantur ad perpetuum matrimonii vinculum sibi iniungendum.

IV. In praesenti themate, omnibus accurate perpensis, apparuisse quidem desiderium studiumque Luciae superadultae eiusdemque familiae, ut cogitatum matrimonium contraheretur; non vero apparuisse vicissim determinatam deliberatamque viri voluntatem cogitatum matrimonium tandem contrahendi.

V. Quare adfuisse quidem omnes praeordinationes ad contrahenda sponsalia; eaque tamen definitive contracta non apparere (1).

VI Colliges praeterea, in iudiciis ecclesiasticis, quae iuxta formam canonicam pertractari debent, frustra invocari leges peculiares latas pro causis civilibus definiendis.

(1) Ex hac causa dignoscitur discrimen, quod non raro intercedit inter iuris theoriam et praxim, seu iuris applicationem ad factum. Pignus enim darem, omnes ferme, qui tantum audiverint vel legerint simplicem theoriam, quam auctores de sponsalibus tradunt, si hanc causam diiudicare deberent, pro exsistentia sponsalium sententiam laturos.

CAPELLANIAE

Die 21 Martii 1868 et 21 Augusti 1869.

Summaria precum. Pius testator anno 1716 mandavit, ut ex suis bonis constitueretur *locus pius seu capellania perpetua in templo paroeciali in altari S. Leonardi in oppido G. cum onere perpetuo tot Missarum, quot essent annui fructus ex relictis bonis.* Statuit praeterea ut pro satisfactione Missarum praeferendi essent, si qui adessent, Presbyteri consanguinei; secus celebrarentur *ab aliis Sacerdotibus eiusdem oppidi et dictae patriae.*

Iuxta testatoris mentem capellania fuit instituta, eiusdemque onera fuerunt adimpleta: sed successu temporis numerus Missarum ab auctoritate ecclesiastica determinatus fuit ad sexaginta et octo Missas, nulla habita amplius ratione reddituum, qui singulis annis ex dictis capellaniae bonis perciperentur.

Anno 1862 post violentam suppressionem Regularium a Subalpino Gubernio patratam Iosephus Presbyter Regularis oppidum G. (ex quo ortum habuerat) petiit ibique, commorans postulavit, ut admitteretur ad participandam dictam capellaniam, quum esset Sacerdos eiusdem oppidi: atque ut ipse enarravit, in possessionem fuit admissus, omnibus servatis ecclesiasticis regulis.

Aegre id tulerunt reliqui Presbyteri eiusdem oppidi, praesertim vero Parochus; qui denique supplicem libellum exhibuerunt SS.mo Patri, ut declarare dignaretur, Presbytero Iosepho, utpote Regulari, ius non competere fruendi eadem capellania: atque praeterea Parochus postulavit refectionem damnorum ob fructus, quos hactenus Iosephus pefcepisset .

Cum preces SS.mus Pater ad S. C. C. trasmisisset rogatus fuit de more Ordinarius, qui, enarrata confirmans, monuit, fructus capellaniae, supputata synodali sleemosyna omnibusque oneribus, consistere quotannis in scutatis triginta.

ANIMADVERSIONES ADVERSUS IOSEPHUM. Praemittebatur, ad essentiam status religiosi requiri tria solemnia vota, obedientiae, castitatis et paupertatis, adeo ut .sine illis religio aliqua proprie dicta consistere non possit: S. Thom. 2, 2 *q.* 188, *art.* 1, item argumento ex *cap. Cum ad monast. de Statu monach, et Extran.*

Ioann. XXII. Quorundam. Ex voto autem paupertatis sequi, ut Regularis quidquam veluti proprium habere nequeat; quod passim est in iure sancitum, ut videre est nominatim in titulo Decretalium *De statu monachorum,* et expressius in Concil. Trid. *sess.* 25 *c.* 2 *de Ref. Regul.*

Hisce generatim animadversis, propius questionem Parochus haec animadvertebam videlicet, Iosephum nec esse testatori sanguine miletum,. de quo nulla quaestio; sed nec inter Sacerdotes oppidi C. posse iure adnumerari: idqtie contendebat evincere ex eo* quod, etsi Iosephus eo in oppido natus esset tamen; quum ad sacros ordines esset promotus in suo Ordine Regulari, et ob vota solemnia Deo nuncupata Religiosus adhuc maneret, non posset dici Sacerdos eius oppidi, quamquam extra claustrum vivere cogeretur; ideoque utraque conditione careret ad participandam capellaniam: eo vel magis, quod iam gauderet annua pensione 500 libellarum a Gubernio pensitanda Regularibus e coenobio expulsis.

Idem urgebat ex voto paupertatis et ex vi professionis religiosae, per quam, ut inquiebat Parochus, is amissiset non solum ius quidquam possidendi* sed etiam quaevis alia civilia iura, ita ut nec patriam, nec familiam amplius habere dicendus esset praeter religionem, quam esset professus: professionem enim religiosam aequipari morti, quae omnia solvit, prout auctores tradunt in *tit.* 31 *Decret, lib.* 3.

Mentem denique non fuisse testatoris, ut comprehenderet Sacerdotes Regulares: et de facto reguläre«, qui in eo oppido supervenerant post mortem testatoris, numquam ad eam capellaniam fuisse admissos.

DEFENSIO IOSEPHI. .Iosephus contra contendebat, per professionem 'religiosam non amitti naturalia iura, cuiusmodi esset ius originis, quum haec sint inalienabilia: proindeque satis sibi esse affirmabat factum nativitatis suae in dicto oppido, ut ex illo ius ad capellaniam haberet; nullamque afferri posse Ecclesiae legem, quae ipsum ab his iuribus excluderet, quibus gaudere deberet ut concivis testatoris.

Negabat, praeterea* mentem fuisse pii testatoris excludendi Regulares Sacerdotes indigenis; quum hac in re clara non esset mens testatoris, et dé favorabilius ageretur, quae ampliori ra> tione accipi possint.

Animadvertit praeterea, agi in praesentia de capellania cum simplici Missarum .onere, quaeque naturam simplicis pii legati haberet: et iuxta Doctores non esse incapaces Religiosos ad eas capellanías habendas; quin immo, ex superiorum auctoritate, Religiosos eas consequi posse non solum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis saecularibus, decrevisse S. C. G. in *Meliten.* 23 *Mtv** 1694, *et* 11 *Iun.* 1695 *et* 1 *Decemb.* 1696.

Adiiciebat denique, ex Pontificio generali Rescripto facultatem Religiosis e claustro deiectis hisce temporum calamitatibus factam esse Sibi curandi media ad vitam necessaria, etiam per aliquod Beneficium «eu capellaniam.

His propositis precibus in comitiis habitis die 21 Martii 1868, S. G. distulit respondere per consuetum Rescriptum *Dilata.*

Quaesitum interea est ex mandato S. Congregationis, ut accuratius et certius Ordinarius exponeret, utrum capellania, cuius est quaestio, conferenda esset alicui ex Sacerdotibus oppidi, ut contingere solet; aut eadem naturam potius haberet simplicis legati Missarum, cuius celebratio viritim dividenda esset inter Sacerdotes oppidi: et quaenam esset servata hactenus consuetudo hac super re. Insuper, quum Iosephus asseruisset, se servatis ecclesiasticis legibus possessionem cepisse ideo quaesitum est, utrum de plena capellaniae possessione ageretur, vel potius admissus esset dumtaxat ad celebrationem Missarum, et ad consequendam, partem pii legati.

Ordinarius respondens significavit, capellaniae institutorem voluisse, ut pro reddituum proportione tot Missae celebrarentur a Sacerdotibus consanguineis, et in eorum carentia ab aliis eiusdem oppidi: inde contingere, ut non unus, sed plures essent capellaniae Rectores eodem tempore ab institutore vocati ad fruitionem capellaniae ; neque postulari canonicam institutionem: ita quoque servatum esse, postquam esset determinatus Missarum numerus. Iosephum post Regularis sui Ordinis suppressionem rediisse in suum oppidum, atque petiisse a Rectoribus capellaniae, ut admitteretur ed eam participandam; illis contradicentibus, quod utpote religiosus dici non posset eiusdem oppidi, sive quod ob votum paupertatis possidere non posset, invocasse auctoritatem curiae, quae, questione examinata et perlecto Pontificio Indulto, quod autoritatem facit huiusmodi Regularibus habendi capellänias et Beneficia ad sustentationem, exhortata est Recto-

res, ne excluderent Iosephum a redditibus capellaniae: reapse fuisse admissum, suscepto quoque officio administrandi bona rustica integrae capellaniae ex Rectorum consensu, quum Parochus, qui tum erat administrator, exularet, et adhuc exulet. Haec Ordinarius.

Repropositis itaque precibus in comitiis habitis die 21 Au? gusti 1869, S. G. respondere censuit: *In praesenti rerum statu Sacerdotem* (Iosephum) *admittendum esse ad participationem capellaniae prout ceteri loci Sacerdotes: quo vero ad administrationem capellaniae, partes utantur iuribus suis coram Eminentissimo Archiepiscopo.*

Ex **QUIETUS COLLIGES:**

I. Per professionem religiosam Regulares ius amittere ad possidenda Beneficia Cleri saecularis, et ad ecclesiasticos eiusdem Cleri proventus percipiendos.

II. Id enim impedit non tantum paupertatis votum, quod vetat, quominus Regulares bona uti propria possideant (1); sed

(1) Expedit recolére particulam Constitutionis Clementis VIII. quae incipit ***Nullus omnino,*** **edita die 20 Martii 1601, pro reformatione Ordinis Servitarum: in ëa quoad votum paupertatis haec declarantur in § %** ***« Quod Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventusve, usus, eleemosynas, sive ex concionibus, ex lectionibus aut pro Missis tam in propria ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa, et quocumque nomine acquisita (etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones fuerint) tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur et conventui incorporetur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat iisdem fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia fratres excusare possit, quominus culpae et poenae ab eiusdem concilii Decretis impositae et ipso fatto incurrendae, obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent, huiusmodi dispensationes aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus ».***

ipsa status Regularis conditio, qua a reliquo Clero hisce in iuribus Regulares segregantur.

III. Cessante regulari ratione vivendi ex violenta dispersione, convenire, ut, salva votorum substantia, Regulares Sacerdotes admittantur ad haec iura Cleri saecularis participanda. Cui rei per pontificium Indultum prospicitur (1).

IV. Quare in praesenti themate nihil obstitisse, quominus Iosephus admitteretur ad participationem capellaniae sicuti ceteri oppidi Sacerdotes.

(1) Litteras S. Poenitentiariae Apostolicae, quibus ampliatae sunt facultates iam concessae pro Regularibus dispersis adduximus in *Vol. III pag. 151* in quarum § 16 ad rem nostram haec leguntur: « Concedit pariter Regularibus solemniter professis, ut capellanías, aut unum dumtaxat Beneficium ecclesiasticum, etiam residentiale, vel cum cura animarum de consensu et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus Superioribus suis in administrationem assequi et retinere legitime possint; quod tamen dimittere teneantur, statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint ». Confer quoque, si placet, quae scripsi de indulto saecularizationis in *Vol. IV, pag. 338.*

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

LEGATI PII

Die It Augusti 1869,

Compendium facti. Archiepiscopus Gaatimalensis Garzia Pelaez advocavit Guatimalam ex Belgio pias Sorores a B. Virgine nuncupatas pro christiana puellarum institutione :' item advocavit Religiosos Capuccinos ex Catalonia pro christiana puerorum institutione. Obtinuit autem a S. Sede facultatem tribuendi iisdem collegiis quaedam ecclesiastica bona.

Statuit quoque erigere maius seminarium ad tradendas scientias. Ut autem redditus assignaret vel augeret tum collegio puellarum, tum seminario erigendo, SS.mo supplicavit pro facultate donandi eisdem iura et bona, quamvis ex archiepiscopali Mensa sibi provenirent: atque anno 1860 Rescriptum habuit his verbis: *SS.mus facultatem tribuit Archiepiscopo oratori erigendi seminarium de quo agitur, nec non eidem indulsit, ut ad effectum de quo in precibus de suis bonis per actus inter vivos sive causa mortis etiam per testamentum disponere possit et valeat; salva tamen, quoad utensilia et sacras supellectiles, Constitutione S. Pii V. favore ecclesiae cathedralis* (1).

Hisce facultatibus munitus idem Antistes, anno 1861 testamento confecto, haeredem instituit animam propriam *ut suffragium haberet ex oblationibus pro his causis piis;* oblationes autem, quas pro seminario constituit, erant duodecim scutatorum millia

(4) Videsis constitutionem Sanctissimi D. N. -de testamento Eminentissimorum Cardinalium et Episcoporum editam 1 Iunii 1847, quam attuali in *Vol. III p. 219,* nec non quae ibidem scripsi *pag. 277* et *seqq.* atque causam agitatam in S. C. C. ibidem *pag. 238.* Confer quoque Concil. Trid. *sess. 25 c. 1 de Befor.*

pro quatuor alumnis *ex residuis fundorum.* Suam esse pariter voluntatem patefecit, *ut omnes quantitatês, quae ex decimis sibi pertinerent usque ad suae mortis diem, quas non perceperit in vita, adiudieareniur pleno iure collegio et alumnis Sororum Beatae Virginis.*

Anno 1866 per Codicillum suam voluntatem aliquatenus mutans constituit: *ut omnes redditus ex residuis decimarum sibi debiti usque ad mortis diem, quos in vita non perceperit, adiudicati intelligerentur aequis partibus tum collegio puellarum tum seminario maiori.* In alia vero scriptura testamento et codicillo iuncta, declarabat, ut quemadmodum residuum pedetentim unitur ita seminarii loca successive erigerentur: ut *residuum ex redditibus decimarum dividatur in duas partes inter collegium puellarum et Clericorum etc.*

Mortuo Archiepiscopo, Executor testamentarius dubitavit, an, praeter residuum *quartae decimarum,* colligere quoque deberet residuum' *quartae archiepiscopalis.* Quarta archiepiscopalis congi stebat in pecuniae summa, quam Archiepiscopus percipit ex portionibus super Beneficiis paroecialibus.

Novus Archiepiscopus rogatus, eos, quorum id intererat, sciscitatus est; atque illi, qui spoliis praesunt, existimarunt, illud quartae archiepiscopalis residuum pertinere ad Capitulum cathedrale : illi vero, qui seminario et collegio praeerant, existimarunt sibi pertinere una cum residuo quartae decimarum, adductis utrimque rationibus.

Ad ampliores voluntatis testatoris declarationes habendas rogatus est Exsecutor testamentarius, ut patefaceret, quaenam esset voluntas testatoris, quam forte cognosceret ex familiari ratione loquendi conversandique : qui declaravit, sibi non determinato modo testatorem locutum fuisse sive de quarta archiepiscopali, sive de quarta decimali; habuisse tamen voluntatem consulendi ex omnibus redditibus, qui eidem essent ob venturi, tum seminario tum collegio : non nominasse autem quartam archiepiscopalem, quod id non animadverterit. Haec autem pluribus validis indiciis Exsecutor confirmavit.

In tanto opinionum discrimine Archiepiscopus rem detulit Apostolicae Sedi iudicandam.

Disceptatio synoptica.

RATIONES PRO COLLEGIO ET SEMINARIO. Qui opinati sunt, quartam archiepiscopalem deberi his locis piis, innitebantur praesumptae testatoris voluntati, qui profecto utrique collegio favere intendit: nec non verbo *residui* hispanice *rezagos,* cuius sensu protendi quoque posset ad eam portionem, quae quartae archiepiscopalis nomine venit, quamvis testator nominavisset tantum decimas: ac denique ius accrescendi invocabant.

Eiusmodi rationes ex officio ita confirmabantur: quaestiones, quae moventur de legatis, plerumque esse facti «t non iuris, quum reducantur tandem ad cognoscendum accuratius voluntatem defuncti: idque locum praesertim habere in legatis piis, et testamentis ad pias causas: namque canonicas leges, secus ac civiles, considerare non solemnitates et formas, sed testatoris voluntatem, ita ut testes, scripturae et alia id genus non pertineant ad testamenti substantiam, sed constituant tantum modum, quo de voluntate testantis constare possit: quare voluntatem testantis ad causas pias, sive ea significetur scriptis, sive verbis et aliis quibusvis signis, eundem semper vigorem habere. Abbas in *cap.* 1 *succ. ab intest.* Reiffenst. *de testam, n.* 22, aliique.

Atqui constare ex multis gravibusque indiciis, Archiepiscopum defunctum praeordinasse firma voluntate omnes redditus ad eas sibi praedilectas institutiones collegii et seminarii: quod adeo certum esset, ut ipsum Capitulum, ceteroquin adversum, fateretur, si standum esset praesumptioni tantum voluntatis testatoris, se victas manus esse daturum.

Quod si testator nominaverit tantum decimas, id non *taxative* intellexisse, sed *demonstrative ;* idque apparere ex voce *residuum,* quo significare voluit quidquid residui ex redditibus sibi pertinentibus esset obventurum; residuorum enim nomine omnis pecunia continetur, ut perpendit Cuiacius in *Legem Iuliam peculatus, I.* 4. § *leg.*

Facta hypothesi in pio legato comprehensam facto ipso non fuisse quartam archiepiscopalem; eam nihilominus ex legis dispositione comprehendendam esse: namque, quum testator haeredem instituerit animam propriam, quod significat « *ut eius bona in operibus piis consumentur,* iuxta Barbosam *Repert. pract. conclus.*

Iur. can. verbo testamentum; quumque opera pia designaverit, haec videri representare haeredem institutum: instituto autem haerede, ad eum pertinere omnia testatoris bona relicta et iura, licet non nominata, quum nemo decedere possit partim testatus, partim intestatus.

RATIONES PRO CAPITULO ADDUCTAE. Observatum autem est pro Capitulo, causae piae privilegium referri tantum ad probationum solemnitatem, non autem ad factum voluntatis: atque hanc esse receptam opinionem, prout animadvertit Card. De Luca *de testam, disc.* 13 *n.* 5 his verbis: « Scribentes pro eadem ecclesia actrice « admittebant, hodie pariter certum ac receptum principium, « quod favor piae causae supplet quidem omnes defectus solem- « nitatum, quas in ultimis voluntatibus induxit ius positivum, « non autem defectum vel imperfectionem voluntatis : quoniam, « licet Bartolus in *I. in testam, etc.* dicat, ut testamentum, quamvis « in voluntate imperfectum, sustineatur favore causae piae... « contraria tamen opinio omnino verior est, magisque recepta, « quoniam iure naturae dispensari non potest, neque Ecclesia, « quae iustitiae atque veritatis est cultrix, absque domini certa « voluntate aliena bona obtinere non debet... Ideoque de hac « opinione amplius dubitandum non est, tum quia frequentiori « calculo recepta, tum etiam ob dictam nimium concludentem « rationem ».

Hisce autem positis, quidquid dicatur in re nostra de praesumptione et proposito voluntatis testatoris, id quidem utile fore, si de interpretanda voluntate patefacta ageretur, eaque extendenda ad consequentias iuxta testatoris mentem non vero ad stabiliendum actum voluntatis tandem non patefactum, de qua re sic laudatus De Luca, de *testament, disc.* 12 *n.* 15: « Ultima « enim voluntas tum dicitur perfecta, quando testator devenit ad « actum testandi, qui eo instanti seu momento perficitur; absque « eo quod perfectionem exspectet ab altero futuro actu, in quem « collatus sit, ita ut dicatur voluntas conclusiva, quae non sit in « via, sed in termino; ac alias quicumque actus, quamvis certam « testantis voluntatem praeseferentes, quoties in alium futurum « actum collati sunt, dicuntur importare praeparationem futurae « voluntatis adhuc ambulantis ac non reductae ad terminum, quo « casu piae causae privilegium nihil operatur ».

Si itaque quarta archiepiscopalis nullimode indicata sit in

testamento, quamcumque disceptationem de animi proposito esse amandandam, quum existimandum sit, eius voluntatem fuisse, ut aiunt, *in via,* non autem *in termino.*

Neque insistendum nimis esse significatam vocis *residuum :* quum verba testantium intelligenda sint secundum communem usum loquendi. Capitulum autem affirmare, ea in regione residuorum nomine, venire decimas, numquam vero quartas episcopales: eo vel magis, quod ipse testator vocem *residuum* coniunxisse cum *decimis.* Quod si adhuc dubitandum esset, legatum tamen ita intelligi debere, iuxta ea quae tradit Voet ad *Pandect. tit. de legat, et fid. n.* 17 scribens: « Si testator generis nomen « praemiserit, et generi quasdam species eo sub genere compre- « hensas subiecerit; si quidem id fecerit ignorans, ut dubius, an « tales species tali sub genere comprehensae sint, omne, quod « testator ex eö genere habuit, una cum speciebus enumeratis « deberi; nec minutum, sed magis species ex abundanti adiectas « videri, Ulpianus notat *I. quaesitum etc.* Sin sciverit, species « generi subiectas sub genere comprehensas esse, nec de subiectis « speciebus ulla iuris ambiguitas sit, quin ad genus tale perti- « neant, creditur magis, legatum generis ad species expressas « voluisse restringere, ut proinde praeter eas nihil amplius ex « genere legato praestandum sit ».

Denique-neque posse utraque loca pia ex iure accrescendi sibi integram vindicare haereditatem, iuxta ea quae scite animadvertit praesens Archiepiscopus. Hic enim suam aperiens mentem animadvertit: « Compertum enim videtur, ius accrescendi inter « haeredes nominatis collegiis minime competere, quippe non ut « haeredes instituti, sed potius ut legatarii vocati sunt in partem « bonorum defuncti, ut patet ex memoria testamentaria. Si ergo « legati tantum iure utuntur, minus adhuc liceret iis accrescendi « ius concedere, quod, non nisi deficiente uno ex duobus lega- « tariis'coniunctis, locum habere potest. Attentis aliunde Hispanis « legibus apud nos adhuc vigentibus, inconcussum est, eam bo- « norum portionem, de qua testator nihil in testamento legasset, « nullo modo accrescere haeredi instituto, minime adhuc lega- « tariis, sed statim ipso iure transire ad haeredes legitimos, « quibus ab intestato ius esset suscipere, et in casu, de quo agitur, « cathedralis ecclesia hoc ius merito sibi vindicat ».

Hisce aliisque animadversis, propositum est resolvendum

Dubium

« An residua quartae archiepiscopalis pertineant ad maius « seminarium et ad collegium Sororum a S. Virgine ; vel potius << ad capitulum metropolitanum in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, causa cognita die 13 Augusti 1869, respondere censuit: *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Propositum voluntatemque testatoris aliunde cognitam, et in testamento aliquo modo non significatam, posse quidem iuvare ad interpretandum id, quod significatum sit, non autem ad constituendum quod aliquo modo in eo non fuerit significatum (1).

II. Id habere locum non solum in testamentis ad profanas causas, sed etiam ad causas pias, etsi testamenta ad causas pias non alias exigunt solemnitates, praeter eas, quibus certo constare possit, talem fuisse ultimam voluntatem.

III. In praesenti themate, instituta a testatore anima propria haerede (quod secumfert, ut bona haereditaria in pia opera impendantur) duo pia loca considerari posse vel ut legataria vel ut haeredes (2).

(1) Confer causam, quam exposui in *Vol. I pag. 332 et seqq.*

(2) Dubium est, ut mihi videtur, an duo loca pia considerari deberent uti legataria, vel potius ut haeredes. Possunt considerari ut haeredes, quatenus testator vocavit quidem haeredem animam propriam; sed, quum anima non sit capax temporali haereditatis, sed tantum suffragiorum, quae ex bonis haereditatis ad pias causas relictis nancisci possumus, nominatis nonnullis causis piis, hae videntur repraesentare haeredem : et ideo duo pia loca a testatore indicata videntur sibi integram haereditatem potuisse vindicare. Sed e converso, videntur tantum legataria: nam qui haeredem instituit animam propriam, et nonnulla pia legata facit, indicata tantum parte haereditatis, eo ipso videtur reliquam partem remittere in potestatem eius, ad quem spectet voluntatem exsequi, dummodo in causas pias impendantur : quo casu dicta pia opera non potei ant iure sibi vindicare alteram haereditatis partem. Hoc autem posito, quum in praesenti themate in ea regione leges et mores admitterent, ut aliquis decedere posset partim testatus et partim intestatus, quum cathedralis ecclesia, quae inter causas pias merito recensetur, ab intestato quoque successisset, nihil magis iustum erat, quam ut illi leliqua haereditatis pars in testamento non designata attribueretur.

IV. Si ut legataria considerentur, nullo titulo potuisse sibi vindicare partem haereditatis non legatam.

V. Si ut haeredes considerentur, cum instituta sint *ex parte certa, cohaerede non dato,* ad habendam reliquam haereditatis partem obstitisse mores regionis, qui admittunt (contra sapiens romanum ius in iure canonico receptum) posse eundem partim testatum et partim intestatum decedere.

VI. Quare in parte intestata succedere debuisse Capitulum, quod tamquam haeres Archiepiscopi spoliis ab intestato successurum fuisset.

APPENDIX II

DE MEDIIS CANONIGE CONSTITUTIS AD ERIGENDA SEMINARIA DIOECESANA DOTEMQUE CONSTITUENDAM VOTUM EMINENTISSIMI RELATORIS ATQUE RESOLUTIONES PLURES EDITAE A S. Q. C. IN CAUSA MASSEN. DIE 17 DECEMBRIS 1836.

Causa Americana Guatimalensis, in qua pro erectione Seminarii archidioecesani Archiepiscopus defunctus sua bona contulit, in mentem revocavit causam ex professo agitatam ac plene definitam in S. C. C. die 17 Decembris 1836 de mediis canonice constitutis ad seminaria dioecesana erigenda atque dotanda. Eruditum Emi. Iurisconsulti Votum pro ea gravi causa editum integrum heic damus (1).

« Pius VII. Pontifex Maximus, qui Apostolicis suis litteris die 13 Februarii anno 1822 Massensem civitatem Episcopali cathedra duxit condecorant am, animo recolens, quam sit necessaria, et quo s udio a Tridentinis Patribu > fuerit commendata ecclesiastici seminarii istitutio, ut adolescentium aetas a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, nedum cavit, ut futurus Episcopus seminarium ab ipso libere regendum administrandamque quam cito erigeret, ibique is aleretur et ecclesiasticis doctrinis instrueretur puerorum numerus,

(1) Qui plura de hac re quaerant, consulant eruditum opus cl. Angeli Lucidi, quod, nuper editum ex hac typographia de Propaganda Fide, inscribitur: *de Visitatione Sacrorum Liminum:* in eo praeter causam, quam expostituri sumus, reperiuntur Litterae Apostolicae Benedicti XIII, *Creditae Nobis,* editae in Romana Synodo pro Italia et insulis adiacentibus; item peculiares instructiones, quae hac de re subsecutae sunt, praeter plura alia, quae exhibent praxim SS. Congregationum.

Quoniam autem de hoc recentissimo eruditoque opere mentio incidit, nolumus silentio praeterire, sub indicato titulo de Visitatione SS. LL. eo in opere comprehendi universam fere materiam canonici iuris, si excipias causas matrimoniales et criminales : ac praeterea uberem doctrinam et praxim vigentem ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium circa recentiora ecclesiastica instituta, quae dicuntur votorum simplicium. Opus denique perquam utile Episcopis, Vicariis Generalibus, ceterisque dioecesim canonice visitatoris. Tribus constat voluminibus in 8. In primis duobus illustratur eruditissime Benedictina Instructio super modo conficiendi relationem statuum ecclesiarum ; in tertio vero continentur ex integro documenta praecipua, quae ad duo priora referuntur.

quem dioecesis necessitas ac utilitas postularet; sed etiam aptas aedes, ac sufficientem bonorum dotationem, quam pius Mutinae Dux sese suppeditandum spoponderat, seminario episcopali concessit atque assignavit.

« Tria in Masst nsi dioecesi subinde erecta sunt seminaria ecclesiastica: unum in ipsa Massae civitate ad duodecim clericos theologia dogmatica et morali instituendos; alterum in civitate Castri Novi intra limites provinciae Caperonianae posita, ubi viginti quatuor Clerici extra seminarium degentes pauperiores et tardioris ingenii in theologia saltem morali erudirentur; tertium in oppido Pontebosii Lunensis provinciae, ut duodecim Clerici humanioribus imbuerentur literis. Suum cuique seminario Serenissimus Princeps tribuit censum, nimirum primo annuas libellas italicas quater mille, ad sexies mille protrahendas, quum primum aedes seminarii maiori amplitudine fuerint auctae, et alumnorum numerus ad viginti quatuor creverit : secundo annuas libellas quater mille, tertio demum libellas mille et octigentas.

« Dum vero praesulem Franciscum Zoppi, qui primus Massensem rexit ecclesiam, recreabat reficiebatque aedium huiusmodi erectio ; ilium tamen sollicitabat angebatque vehementer tenuitas reddituum, quippe qui vix aedium tuitioni, ac moderatorum famulosmque alimoniae et stipendiis pares invenirentur. In paupérrima enim dioecesi perpauci extant iuvenes, quorum singuli pensionem scutatorum quinque seminario Massensi, ac pensionem scutatorum quatuor aliis duobus seminariis seu collegiis ecclesiasticis quolibet mense pro alimentis pendere valeant ; ideoque plerisque adolescentibus ob inopiam interclusa conspiciebatur via ac ratio adeundi seminarium episcopale ; nisi vel gratuito, vel imminuta pensione reciperentur.

« Unum itaque tantummodo, illudque amplum in ipsa Massae civitate optasset Episcopus constitui seminarium, tum quia iidem moderatores, famuli, lumina, et alia id genus uni fere aeque ac tribus inserviunt seminariis, tum quia commodum ibidem pateret domicilium reliquis Clericis scholas dumtaxat seminarii frequentantibus, tum quia denique ob oculos ipsius Episcopi istorum non minus, quam seminaristarum disciplina consisteret ac floreret; praesertim quum loca Castrum Novum et Pontebosium inter montes sita adeo distent ab Episcopali sede, ut non possint a proprio pastore, nisi raro ac difficillime perlustrari. Quod tamen ipse meditabatur cupiebatque, illud ex variis rerum adiunctis

exsecutioni committere minime potuit. Quocirca ne seminaria frustra paterent, et postulationibus pauperiorum clericorum, qui alicuius subsidii consequendi spe ducti ecclesiasticorum studiorum curriculum inierunt, aliqua ratione faceFet satis, animum suum intendit ad seminariorum redditus augendos.

« Incassum Massensis Antistes verterat oculos ad Confraternitates, ecclesiarum fabricas aliaque loca, quae, utpote non ita pridem cunctis bonis expoliata, nullos vel exiguos, ac plerumque aere fidelium collatitio, referunt fructu. Redditus quoque Beneficiojum passim minus cong ui, an iis quoque parceret, diu haerentem Episcopum tenuerunt : sed tandem quum aliter, ob summam dioecesis paupertatem, numerum clericorum eidem necessarium alere nequiret, id unum superesse facile intellexit, ut ad taxae saltem minimae super Beneficiis imponendae remedium confugere! Hinc duobus ex cathedralis ecclesiae Canonicis totidemque ex Clero civitatis spectatis viris ad consilium accitis, edixit, ut taxa scutatorum trium pro singulis centenis et annis ab omnibus dioeceseos Beneficiariis penderetur.

« Ceteros suo exemplo praeivit ipsemet Antistes, qui ex Mensae episcopalis fructibus illico persolvit scutata quatuor ex singulis centenis, ea tamen lege, ut nullum exinde suis successoribus illatum censeretur praeiudicium. Episcopi vestigia aemulati sunt Canonici cathedralis ecclesiae et nonnulli ex probatioribus Parochis ac Beneficiariis: reliqui autem tametsi initio ne verbum quidem obiecissent, nonnulli vero etiam plausi ssent, postea tamen plures obtrudere coeperunt difficultates et quaestiones, quae taxae exactionem omnino interciperent, sin minus valde imminuerent. Quum ita se res haberent, praefatus Antistes Zoppi, antequam Episcopatui nuncium mitteret, obiectas quaestiones ad sacram Concilii Congregationem deferendas censuit, ut quid consilii sibi suisque successoribus esset capiendum, certo innotesceret.

« At quoniam EE. VV. Rmae, priusquam eiusmodi quaestiones in ordinariis comitiis dirimendae proponerentur, mihi ablegandas putaverint, ut rem perpenderem, Votumqne meum aperirem ; idcirco ut delato munere, eo, quo par est obsequio atque studio, perfungar, duo mihi agenda reor: nimirum primo qui in oborta quaestione ex sacrorum canonum censura sit sentiendum, ne aliter gerens sapientissimum EE. VV. iudicium antevertere videar; dein utrum Beneficiarios ad praestitutae taxae solutionem compellere,

seu potius eiusdem taxae executionem suspendere peculiaribus inspectis rerum circumstantiis magis expediat.

« Atque ut iuris quaestionem aggrediar, imprimis animadvertendum arbitror, numeratas controversias ad tria capita reduci posse. Sunt enim qui a taxae solutione se aliosque Beneficiarios plane exemptos contendunt. Sunt qui, exquisitis deductionibus Beneficiorum, redditus nonnumquam valde imminuunt, ac propterea taxam ad nihilum fere cohibent. Sunt demum alii, qui, religionem sibi inficientes, fructuum notulam iureiurando firmare detrectant. Singulorum itaque rationum momenta mihi expendenda existimo, ut suum cuique ius tribuatur.

« Ut exordiar ab illis, qui immunitatem a taxae solutione sibi cunctisque Beneficiariis conantur vindicare, nulla mihi subesse videtur causa cur seminariis inopia laborantibus universae dioecesis Beneficia opem ferre non debeant, donec saltem munificus Mutinae Dux eam constituat dotem, quae nedum fabricae tuitioni, ac praeceptorum famulorumque exhibitioni et cultui sufficiat; verum etiam necessario pauperiorum clericorum numero in aedibus seminarii alendo satis respondeat. Tridentina quippe synodus, cui tam pia ac tam sancta debetur seminariorum institutio, *ad collegii fabricam instituendam, atque ad mercedem, praeceptoribus et ministris solvendam et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus necessarios perferendas,* si in eam rem haud pares praesto essent designati redditus, illud omnino remedium Episcopis adhibendum mandavit, ut ex fructibus integris Mensae episcopalis, Capituli et *Beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiamsi iurispatronatus cuiusvis fuerint,* partem aliquam vel portionem detraherent, eamque collegio applicarent et incorporaren! Cui quidem Tridentini Concilii sanctioni concinit providentissima Benedicti XIII. constitutio, cuius initium « *Creditae Nobis* >, qua statutum fuit, ut « *tam pro erectione novi seminarii, quam pro supplemento reddituum seminarii iam erecti,* taxa conficeretur, *quae iuxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutatorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii; et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita ut numquam minor scutatis tribus, neque maior sit scutatis quinque pro quolibet centenario et anno, atque huic taxae omnia et singula Beneficia subiici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decrevit* ».

« Frustra autem obiiceretur, Massense atque alia duo Castri

navi et Pontebosii ab illo dependentia seminaria fuisse a serenissimo Mutinae Principe congrue instructa, proindeque locum non esse subsidiario taxae remedio, praesertim in dioecesi, cuius Beneficia exiguis sunt aucta redditibus: qui enim huius generis effundere! sermones, se rerum plane ignarum ostenderet. Bona quidem tradidit Princeps, sed ea, aiebat praesul Zoppi, aedium manutention^ moderatorum ac famulorum stipendiis, alimentisque tantum sufficiunt. Desunt itaque redditus ad alendum a'umnorum numerum necessarium dioecesi, quae constat una supra centum quadraginta paroeciis, praeter duo Capitula, viginti duo Beneficia curata in Parochorum adiumentum, et dissitorum populorum commoditatem instituta,plura Beneficia simplicia, ac tria seminaria.

« Frustra similiter quis confugium quaereret in pensione ab alumnis seminario solvenda. Praeterquam enim in egenti dioecesi vix aliquae reperiuntur familiae, quae ad integram pensionem pendendam opibus polleant; pauperibus profecto clericis, qui frequentiori numero in sortem Domini vocantur, licet ingenio et pietate praeditis, interclusus esset aditus ad seminarium, in quo commodius ac utilius religione bonisque artibus instruantur. Id sane a Tridentinae synodi lege quam longe abesset, quae si ditiorum filios, modo suo sumptu alantur, ac studium praeseferant inserviendi Deo et Ecclesiae, ab ingrediendo seminario non repulit, ad egenos tamen omni sollicitudine oculos convertit inquiens : *Pauperum autem filios praecipue eligi vult.* Adversum quoque teneret constitutioni Benedicti XIII. « *Creditae nobis* » *§ i,* ubi decretum fuit, ab omnibus et singulis Beneficiis solvendam esse taxam, ut seminarium *congruis redditibus ad alumnorum magistrorumque sustentationem necessariis instructum esset.* Immo redditus, pergit Pontifex *loc. cit.* § 4 eiusmodi esse debent quantitatis, quae satis esse possit sustentationi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum ; eum autem oportet esse numerum, qui respondeat necessitati totius dioecesis, quemadmodum legitur in encyclica epistola eiusdem Pontificis iussu ad omnes Italiae Episcopos transmissa.

« Miror autem vehementer non deesse, qui ad vitandum taxae onus in medium afferant consuetudinem. Esto enim : ante Massensis Episcopatus ac seminarii erectionem memoratae taxae haud fuerint obnoxii Parochi, aliique B eneficiarii : quidnam tamen adversus Massense seminarium nu-

per institutum opponere queunt? Ubinam titulus, actuum frequentia, ac tempus ad praescribendum, vel äd observantiam inducendam plane necessarium ? Si qua forte inolüisset consuetudo aut praescriptio, haec ne seminario quidem dismembratae dioecesis, multoque minus noviter erectae obiici posset. Tridentina namque synodus edixit, ut àd eam fructuum portionem exsólvendam omnes Beneficiorum possessores ab Episcopo loci compellérentur *quibusvis privilegiis, exemptionibus, consuetudine etiáití inímentórabili... hon obstantibus.* **Scitum autem est, irritas ac inanes esse consuetudines, quae leges aliquas in iisdem Tridentinae synodi capitibus contentas violent, prout docet fíened. XIV.** *inst. eccl. 60 tí.* **7 i ac late Pitonius** *de corttrOv. patron, alleg. 5;* **Card. Petra** *ad const* **4** *Catlisti III. sect 2. n. Û tom. 5;* **et adnotat. S. Congregat. Concilii** *in Bovinen.'Iurium Parochialium 27 Maii 1820. §. Animadvertendum ; ac in Arimineh. et Gaesenaten. Iuris qaaes'uandi 25 Februarii 1826 §. Consuetudo.* **Profecto eadem S. Gongregetio nihili faciens consuetudinem etiarn centenariam* cui iungebantur nonnulli Beneficiarii, eos âd taxant seminarii pendendam onv nino obstrictos* et Beneficia eatenus hon taxata similiter taxaifda esse pluries respondit, ac potissimum in** *Veliierna, taxae seminarii 24- Aprilis 1723; in Romana, taxae 9 Sept 1752 ad HI dub.* **et iii alia** *Veliterno, taxae seminarii, 16 Martii* **1771 §.** *Neque.*

Quocumque itaque se vertant Massenses Beneficiarii, taxae praestationem effugere nequeunt, donec seminarium dioecesanum ea augeatur censu, éjüi nedum ad fabricae tuitionem et ad magistrorum famulorumque mercedem, sed etiam ad egentium alumnorum alimoniam sufficere dèprehendátür. Sin autem Beneficiarii hatte praestationem exhibere renuerent, eos adigere posset Episcopus *per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris remedia, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis, sicuti sanxerunt Patres Tridentini^ Sees. 23 cap. 18 de Ref.*

« Haec de iure seminarii exigendi taxam ab omnibus, qua civitatis, qua diócesis^ Beneficiariis generatim dixisse satis superque arbitror. Nunc disceptare libet, num Beneficia exigui valoris, capellaniae ab eiusmodi taxae onere eximantur. Porro quod pertinet âd reddituum tenuitatem, nullam quidem ipsa praestare valet immunitatem. Etenim huic oneri omnia et singula Beneficia, nulla divitum, aut pauperum Praebendarum facta mentione, subiici voluerunt tum Patres Tridentini tum Benedictus XIII, immo egenis, non minus quam

divitibus^ sapienter prospexère ea lege, qua cautum èst, ttoh omnia Beneficia eftödem pecuniae vini contribuere debere, sed tantummodo pro ratione fructuum ex singulis Praebendis edlligendorum. Hinc quàmquam sibi mordicus assererènt, ***taxae exemptiones possessores plurium Beneficiorum , attenta paucitate illorum reddituum, quum viginti tria Beneficia simul reddant; deductis oneribus, animos dücatos 167: 77,*** prout videre licet in folio huius Sac. Congregationis in ***Tranen, taxae U Maii 1763 §. Demum;*** nihilominus proposito dubio XIV. « ttn ***possessores Beneficiorum teneantur ad taxam pro seminario»*** rescriptum prodiit : ***Affirmative, et amplius.*** Nec aliter censuit S. Congreg, in ***Romana, 26 Ianuarii 1697,*** et in ***Romana, taxae seminarii, 9 Augusti 1732,*** licet ob reddituum ad Beneficia spectantium amplam imminutionem statuerit, esse locum reductioni taxae in casu de quo ageretur.

« Si qui praeterea huiusmodi exemptione gauderent, istis profecto forent accensendi Parochi, conciliari Congrua destituti : id tamen adeo a veritate alienum esse patet, ut instructio, anno 1726 a S. Cong. Concilii uria cum supra memorata encyclica ad Episcopos missa, animarum quoque curatores taxae seminarii subiectos denünciet, licet instructos tenui Praebenda, « dovendosi consideraré (sunt ipsa instructionis verba) che Sono stati principalmente istiiuiti i seminarii per allevare i chierici, ed abituarli alla cura delle ànime. Nè possono i Parrochi pretendere esenzione per il motivo che l'annua rendita della parrocchia non ecceda la congrua di cento scudi, conforme ha altre volte risoluto la S. Congr. del Concilio ».

« Hanc exemptionem üim solummodo Parochi aliique Beneficiarii iure sibi adsciscere non prohibentur, quum ex suis Praebendis adeo exiguos colligunt fructus, ut aureos florénoi septem quotannis haud excedant, quemadmodum respondit S. Congr. Concilii in ***Dertusen. 11 Augusti 1605, lib. K) decret, p. 120,*** his verbis : « *obtinentes **Beneficia tam simplicia** quam **curata, quamvis tenuis va**lons **exsistant nec ad conservationem sufficientia, debent pro ratione fructuum seminario contribuere, nisi taita sit tenuitas, ut iuxta Extrdv. Bonifacii VIII. iicipien.*** Declarationes Ut decim. Cap. Unie. ***non teneantur solvere decimas Papales.*** » Iam vero Pontifex in cit. Extravag. haec sanxit: ***Saeculares clerici, quorum ecclesiastici redditus et proventus annui summam septettì florenorum auri non excedunt, eandem deciman non praestabunt.*** Igitur si decima papalis pendatur oportet, quando alicuius

Beneficii annuus valor summam praetergreditur septem florenorum, in nostro similiter themate erit praestanda seminario statuta taxa, quin aliquid negotii facessere queat reddituum temutasi Immo si quis pluribus potiretur Beneficiis, quorum nullum prae valoris exiguitate taxae praestationi subesset; attamen praefata exemptione perfrui vetaretur, si eorundem Beneficiorum annui fructus septem florenorum vim excederent; quemadmodum perpendit S. C. ***in Tranen. Taxae, 14 Maii 1763 §. Demum;*** **nam in memorata** ***Extravag. unie, de Decim.*** **decernitur, spectandam esse personam possessoris, non autem ipsa Beneficia, siquidem pergit Pontifex : «** ***Si vero una persona plura habeat Beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam florenorum auri attingat, simul tamen collecta in minimis proventibus summam memoratam excedant, quotquot vel quantumcumque modica fuerit, de omnibus et singulis decima persolvetur.***

< Ad capellanías quod attinet, quaestionem omnem perimit ea facilis et obvia distinctio, qua traditur, cappellanias ecclesiasticas, quae auctoritate Episcopi erectae in titulum conferuntur, ac eodem iure quo Beneficia ecclesiastica censentur (Lotter ***de re benefic. 1.1 q. 3. num. 5;*** **S. G. C.** ***in Montis Alti capellaniae, 22 Augusti 1796.*** **§i** ***Plura; et in Camerinen. capellaniae, 15 Martii1828. §. Precibus)*** **taxae praestationi esse omnino obnoxias; capellanías autem laicales, seu amovibiles, quae nulla intercedente Episcopi auctoritate sunt institutae, quaeque piis Missarum legatis aequiparantur (S. Cong. Conc,** ***in Anconitana capellaniae, 12 Maii 1770; et in Firmana capellaniae, 29 Aug. 1772. §. Contendit)*** **ab eiusmodi onere esse plane exemptas ; ut diserte declarat commemorata Instructio. Namque §.** ***4-*** **n.** ***12*** **inquit:** ***Le coppellarne devono contribuire al seminario se sono perpetue e se conferiscono il titolo, ma non già quando sono amovibili.*** **Concinit S. C.** ***in Sabinen. 23 Iunii 1640 ad II dub., in Romana, taxae seminarii, 6 Decembris 1794.***

« Ne itaque in re undique perspicua diutius immorer, sermonem meum convertam ad methodum, quam in cuiusque Beneficii efformandis tabulis accepti et expensi servari oportet, ne meticulosi nimia anxietate torque antur in firmanda fructuum notula, et ne alii, quae seminarii sunt minime quaerentes, proventuum quantitatem indebitis deductionibus plus quam par est imminuant. Iamvero plures in porrectis precibus, et pleraeque parvi momenti excitantur quaestiones, quas singulas, si prosequi vellem, Votum meum in volumen, excre-

sceret, vestraque abuterer patientia. Praecipuas igitur complectar.

« Nemini sane dubium, tabulas accepti et expensi a cuiusque Beneficii possessore iureiurando esse firmandas, et curiae episcopali exhibendas. Etenim Instructio Benedicti XIII. §.19 ait: « Acciò per bene imporre la tassa si cammini colla maggior possibile sicurezza, dovrà ciascun Ordinario imporre a tutti quelli che sono obbligati al pagamento di essa, esibire nella sua cancelleria dentro un termine conveniente la notula giurata delle annue rendite, che detratte le spese, ricavano dai Beneficii, o beni da loro posseduti ed obbligati alla predetta tassa, come per appunto si tratta nella esazione delle decime Papali. « Similiter translatitium est in iure, ad metiendum cuiusque Beneficii annuum valorem, haud huius alteriusve anni, sed integri decennii fructus esse spectandos, quemadmodum suadet communis doctorum sententia ac tribunalium praxis. Card. de Luca *de pens. disc. 6. n. 13* Rot. in *Ravennaten. Spolii super fructibus* 17 *Aprilis 1761 §. 5 cor. Cornelio ;* S. Cong. *in Papien. 20 Februarii 1723 §. Primum; et in Firmana pensionis, 17 Martii 1827* §. *Nec fidem,* adeo ut ne ipsi quidem Massenses Beneficiarii id inficiari videantur. Quod ab iisdem in disceptationem addtfcitur, illud est, utrum Beneficiorum redditibus sint accensenda, ac propterea taxae sint obnoxia emolumenta parochialia, ac ea praesertim, quae incerta stolae albae et nigrae passim vocantur.

« Ad hanc quaestionem, quae ex doctorum dissidentia satis implexa dignoscitur, enucleatius dirimendam, operae pretium existimo hic referre quid hac super re edicat memorata Instructio. Nimirum §. *3 num. 10.* haec leguntur : « Proseguendo il discorso dei Benefizii curati, ossiano parrocchiali, fa di mestiere l'avvertire, che la tassa deve cadere sopra T annua fìssa entrata delli medesimi, *e sopra ancora quei proventi, che si dicono certi ed incerti, ma non sopra le rendite totalmente incerte,* secondo un'altra risoluzione della S. C. del Concilio in *Panormitana, mense Octobris 1587, lib. 5 decret, pag. 32 a tergo.* » Nemo hinc non intelligit, incerta quoque Parochorum emolumenta inter beneficiarios proventus recenseri, ac taxae seminarii esse obnoxia, dummodo tamen sint certa de incertis, non autem omnino incerta. Omnis igitur quaestionis cardo in eo positus est, ut emolumenta certa de incertis ab iis, quae plane incerta sunt, apte discernantur.

« Huic enodandae quaestioni viam sternit triplex emolumentorum distinctio, quam passim tradunt auctores de Parochorum

congrua agentes. Iam vero quaedam habentur emolumenta, quorum licet incerta sit quantitas, certa tamen est eorum substantia et quantitatis praestatio, ut sunt decimae vini, olei, frumenti. Giräld *ad Barbos, de off, päroch.p. 1. c. 2 n. 154, et in Append. 2, c. 1Ì5 n. 34;* Gonzal. *ad R. 8. Cancel.* §. 7 *prooem, n. 185;* Frane. Leo. *ih Thesaur. For. c. 31.* Nonnulla sunt mere incerta et eventualia quae pendent a sola populi devotione et libera voluntate, ceti oblationes in benedictione domorum, aut mulierum post partum, vel etiam a labore personali, ut eleemosynae, quae dantur pro cantu Missae, Vesperarum, et alia id genus; Rigant. *ad reg. LV. Cane. n. 120;* Card. de Luca *de benef. disc. 90 n. 7 ;* S. Congr. *in Papien. 2 Maii 1722 §. Faldamenta, et in Brictinorien. Congruae, 14 Decembris 1782. §. Perperam.* Alia tandem sunt emolumenta, quae iure percipiuntur, ut proventus baptismales, matrimoniales, funerales, et alia hoiusmodi, quae non pendent a libera fidelium voluntate, se 1 ex debito solvuntur, ac propterea, sin plane certa, sunt tamen aliquatenus certa « quum, ut ait Gard, de Luca *de Paroch. disc: 18 n. 12,* quem sequuntur Pito i. *discep. eccl. 46 n. 4,* Girald. *ad Barbos, de offic, et potest, paroc. p. 1. cad 2 n. 154,* S. C. Conc. *in Camerinen. Restaurationis 17 Decembris 1763, §. Perperam,* non possit populus non mori, non nasci, non baptizari, atque non contrahere matrimonia.

« Porro primi generis emolumenta taxae seminarii esse Obnoxia nemo inficiari potest, quum eadem vocari quidem soleant incerta, sed revera certa omnino sunt, licet modo maiora, modo minora* non secus ac fructus praediorum, qui nunc uberiores, nunc parciores colliguntur, prout fert agrorum et annorum fertilitas. Hanc s me ob causam emolumenta eiusmodi in Congruam Parochorum, nemine dissentiente, conferuntur. Secundi tandem generis emolumenta prorsus eximuntur a contributione iaxae, quum eadem sint omnino incerta, et fieri possit, ut nullatenus percipiantur; proindeque inter eos proventus merito sint accenserida, quae a, memorata instructione vocantur *rendite totalmente incerte.* Quaestio solum institui potest de emolumentis tertii generis. Haec quidem veluti mere incerta a doctoribus passim existimantur, ac propterea in Congrua Parochorum computari non posse autumant, licet non desint, qui conirarium sentiant, innixi constit. S. Pii V. cuius initium *Ad exsequendum, 1 Novembris 1567.,* ac etiam praxi S. Cong. Conc., quae in exquirenda relatione super quantitate reddituum ad metiendam Parocho-

rum Congruam mandare soleat, ut Episcopi referant de paroeciarum fructibus, comprehensis incertis stolae albae et nigrae. Quod vero ad nos attinet, emolumenta quoque tertii generis sunt profecto a contributione taxae immunia declaranda. Etenim in commemorata instructione, quae doctorum opinioni est plane anteferenda, immo pro lege habenda, cautum legitur, taxam haud esse solvendam *sopra le rendite totalmente incerte secondo un'altra risoluzione della S. C. del Concilio in Panormitan. mense Octobris1587, lib. 5. decret, pag, 32 a tergo.* Iam vero, perquisitio ^regestis Decietorum eiusdem Congregationis, datum est reperire ipsam adamussim Resolutionem in *cit. Parnomitana.* Parochi sane conquerebantur *de taxa seminarii, quum eorum redditus incerti provenirent ex funeribus et matrimoniis.* Sacra autem Congregatio rescribendum c nsuit, « *incertos redditus parochialium non esse pro seminario taxandos.* » Patet igitur, tertii quoque generis parochialia emolumenta, qualia sunt quae percipiuntur occasione baptismatum, matrimoniorum ac funerum, taxae seminarii minime esse obnoxia.

« Quod vero pertinet ad onerum deductionem, animadvertendum puto, impendía duplicis esse generis : alia nimirum, quae in re unde fructus proficiscuntur, ceu ad agrorum culturam; vel extra rem, veluti ad perferenda onera Beneficii aguntur. Quae in re fiunt, eadem esse generatim detrahenda, nemo plane ignorat, Etenim taxa est seminario pendenda ex Beneficiorum fructibus, aliisque ecclesiasticis redditibus, ut loquitur Tridentina synodus *Sess. 23 cap. 18 de Reform,* fructus autem intelliguntur deductis impensis, quae quaerendorum, ut in arando; colligendorum, ut in triturando; conservandorumque, ut in conducendis in horrea, eorum gratia fiunt, quemadmodum ait *I. Si a patre 39* §. *Fructus etc. de petit, haered.* ibique Glossa : quod namque in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus "diminuere debere *ad tex. iu I. 46 ff. de usur.* Et huic iuris communis censurae concinit nedum *cit. Extr. declarationes §. in solvendo,* sed etiam saepius commemorata Instructio §. *1 n. 5.,* ubi habetur « che F annua entrata regulativa della contribuzione, ossia tassa del seminario, è quella che sopravanza, detratte le sole spese necessarie per la percezione dei frutti. » De impensis vero, quae extra rem aguntur, loquens eadem Instructio statuit « che parimenti per fissare l'annua entrata, si debbano dedurre quegli obblighi soli, che sono stati imposti avanti il Sacro Concilio di Trento.»

« Quae quum ita sint, ut quo-

rundam Beneficiariorum obiecta diluantur, et quod iustitiae et aequitati consentaneam est, decernatur, illud hic quaeritur, utrum detrahenda sint stipendia famulorum, si eorum opera utantur Beneficiarii nedum ad famulatum ipsis exhibendum, sed etiam ad Beneficiorum fructus colligendos; item impendía itinerum, si Beneficiarii extra parociam ad fundos invisendos, praesertim tempore messis, se transferre adigantur ; similiter ientacula et munuscula, quae operariis fruges domum deferentibus dari solent; itidemque lucrum cessans sortis, quam Beneficiarius impendere debuit, ut praedia semine, pecore, aliisque similibus ad culturam necessariis instruerentur ; denique damnum, quo saepe Beneficiarii afficiuntur ob coloni, aliorumque debitorum paupertatem.

« Ut aliquid de singulis quaestionibus dicam, in primis notatu dignum existimo, sumptus necessarios et consuetos fructibus Beneficiorum perpetuo inhaerentes esse quidem deducendo s, non autem incertos extraordinarios et voluntarios, veluti docent Barbos. *de paroch. part. 3 cap. 29 n. 16.* Rigant. *ad reg. 53 cancel, n. 100. ; et Card.* de Luca *de benef. dis. 90 n.* 40. Dein ut a stipendio famuli exordium sumam, inquiratur oporte', utrum stipendium illud famulo solvatur, quia ipse Beneficiarii famulus est, eiusque personae inservit; vel potius quia ipse Beneficiarius illius opera utatur, quemadmodum aliis Operariis uteretur ad agrum serendum, colendUmque. Si Beneficiarius famulum suum occupet in praediorum cultura loco alterius operarii, stipendium eidem exsolvendum pro ratione laboris et operae iure ex fructibus est deducendum : penditur siquidem viro illi non tamquam famulo Beneficiario inservienti, sed tamquam cuhis alteri operario. Porro operariorum impensas necessario minuere fructus Beneficii, ac propterea esse detrahendas, aperte colligitur ex supra relatis testibus, ac traditur ab Antonel. *de regim. cui. lib. 3 cap. 9 n. 5.* At merces data viro, qui Parocho famulatur, vel eum iuvat in administatione bonorum paroeciae, minime est subducenda, ceu docent Antonel. *loc. cit. et* Piton. *Discep. eccl.* 40 *num. 5.* Voluntaria enim censentur impendia,quae fiunt ob ea munera, quae Beneficiarius per se ipsum potest explere. Card. de Luca *de benef. disc. 90 n. 80;* Merlin *décision. 307, 28.* Hanc quoque ob causam non sunt detrahenda itinera Beneficiarii, si ad agrum se conferat, ut fructibus colligendis utilius advigilet; labor enim et vigilantia Beneficiarii in gerenda bonorum administratione inhaeret iuri percipiendi fructus Prae-

bendae; ideoque tempus et incommodum ipsius Beneficiorum fructus imminuere nequeunt: immo si ipse factori, aut administro stipendium praeberet pro bonorum administratione istud haud foret detrahendum, nisi necessitas administri liquido patesceret, Piton, *loc. cit.* Barbos, *de Par. part. III. cap. 29 num.19.*

« Secus vero iudicandum putarem de ientaculis et munusculis, quae dari solent operariis fruges in horreum, vel domum Beneficiarii conducentibus. Profecto huiusmodi impendía nec voluntaria, nec extraordinaria sunt, sed necessaria et consueta, ideoque valorem Beneficii imminuunt. Et sane ex *cit. L Si a domino 36 §, de petit, haer ed.* fructus intelliguntur qui supersunt deductis quoque impensis, *quae conservandorum* (ut in conducendis in horrea, ceu ibidem explicat Glossa) *eorum gratia fiunt;* frugum siquidem exportarlo in horreum, vel domum est veluti messis perfectio et absolutio. Quapropter eadem Z. *Si a patre §. fructus,* cautum est, huius generis impensarum deductionem, naturali ratione ita expostulante, locum habere non solum in bonae fidei possessoribus, verum etiam in praedonibus. Quod vero attinet ad sortem seminum, ovium pecorum aliarumque rerum, quas patrio more vocant *scorte,* eius quidem, praesertim si haud levis sit momenti iuxta locorum qualitatem et consuetudinem, rationem habendam, ita ut fructus dicatur ille, qui remanet, lucro sortis deducto, tradit Rota *decis. 266 n. 2 part. 7. recent., et* Card. de Luca *de benef. disc. 9 n. 79.* Quum enim huiusmodi sors ad instruendos fundos sit necessaria, ideoque partem eorum constituat, ad uberiorem fructum ex illis assequendum quam maxime pertinet, ac Domino suo frugifera esse debet, sicut firmat Rota *coram Gamberini decis. 33 num. 14,* Aequitati igitur apprime congruit deductio lucri ob pecuniam a Beneficiario impensam ad fundos pecore, aliove apparatu pro cultura necessario instruendos. Aliter vero censendum de iactura, quam Parochi et Beneficiarii interdum ferre coguntur ob colonorum debitorumque inopiam. Praeterquam enim huiusmodi damnum extra rem contingit, nec accenseri valet inter onera « che sono stati imposti avanti il Sagro Concilio di Trento » ut verbis utar saepius memoratae Instructionis, illud quoque accedit, quod praefata iactura eventualis, accidentalis et aliquando culpabilis est, ac propterea valorem Beneficii imminuere nequit, quemadmodum allatis doctorum sententiis superius innui.

« Quo quum mea pervenerit oratio, fateor, hanc fore animi

mei sententiam si praepositae quaestiones ex sacrorum canonum iure essent dirimendae. Verum perpendendum superest, utrum ex prudentiae regula expediat, ut Decretum antistitis Zoppi in tanta Beneficialem reddituum tenuitate, et Massensis Cleri egestate ab hoc Sacro Ordine confirmetur, ac praestitutae taxae solutio exsecutioni mandetur. Sane vix huic operi manus admovi, illico perspexi, Decretum antistitis Zoppi optimo quidem inniti iuris fundamento; ac finem, quem ipse sibi proposuit in taxae indictione, summis esse laudibus efferendum: at circumspectis temporum, personarum rerumque adiunctis, illud etiam intellexi, perdifficilem, molestam que reddi taxae eiusmodi exactionem. Quare quum Romam advenisset praesul Franciscus Strani Massensi ecclesiae praeficiendo, eum rogavi, ut quid hoc super negotio sentiret, ingenue patefaceret : at quoniam ipsi neque dioecesis, neque res satis innotescerent, factum est, ut eum valde haerentem invenerim. Postquam vero ad suam residentiam se contulit, loca dioecesis oculis conspexit, cunctarumque rerum, quas scire opus erat, certior factus est, gravia, nec sane despicienda protulit argumenta, ne taxae solutio praecipiatur. Ut vero EE. VV. huiusmodi rationum momenta latius pateant, opportunum esse dùco, eius relationem hic integram exscribere, quae sic se habet.

« Commendatione sane cumulandum, et pastorali sollicitudine vere dignum fuit praedecessoris mei opus, quo ut taxam huius dioecesis Beneficiis imponeret, omni studio est conatus. Et optandum quidem erat, quod illud secundo eventu conficere potuisset: at tot obstacula, difficultatesque tantas nactus est, ut illud inabsolutum relinquere debuerit. Mihi autem ad hanc cathedram accedenti huius operis exsecutio tam impervia visa est, ut malis, quae ex ipsa possent oriri (quaeque ipsi civili gubernio gravem essent displicentiam allatura), prospiciens, illud aggredi non sim ausus.

« Et re quidem vera ex relationibus, et ex ipsa mea experientia coniicere potui, Beneficia parochialia, necnon canonicalia, paucissimis exceptis, adeo redditibus esse destituta, ut vix, et saepissime ne vix quidem, ad congruam Beneficiariorum sustentationem attingant, etiamsi nonnulla regali munificientia Ducis Mutinensis aliquod obtinuerint augmentum. Addatur insuper summa pecuniae raritas et maxima ipsius colligendae difficultas ob locorum asperitatem, et totius commercii defectum. Addantur innumerae harum paroeciarum necessitates,

quarum ecclesiae plerumque sufïellectilîbus carent; aèdes parochiales fere omnes vel labuntur, vel restauratione indigent; pauperes multi numero maxima indigentia laborant; addantur bonorum expoliationes, quas omnes Confraternitates, ecclesiarumque opera passa sunt atque pia instituta, nec ipsis quidem exceptis Beneficiis iurispatronatus, inter quae plurima Gallico, Italico ac Lucensi imperantibus guberniis, ipsis patronis pro medietate iniqua venditione relaxata fuerunt. Addantur denique ipsae hominum fraudes nitidum Beneficiorum redditum non raro occultantium, et ceterae aliae difficultates subeundae pro taxa exigenda; et ex his omnibus facile erit colligere, laboriosi operis et contentionis semper plenam palaestram paratam esse pro exiguo redigendo redditu atque semper incerto ob varias vicissitudines, quibus subiacet.

« Aliunde iam exsistit in hac civitate seminarium regali Francisci IV. Ducis Mutinae munificentia erectum pro alumnis theologiae studio operam dantibus, cui pro dotatione quatuor millia italicarum libellarum, si alunni sint minores numero viginti quatuor, et si hunc numerum excedant, similium libellarum sex millia annuatim constituit. Insuper mille et ducentas annuas libellas italicas ex aere proprio pro honorario complexivo professorum theologiae dogmaticae, et moralis; et aedium mánutentioni hactenus propriis sumptibus prospexit, firmam habens voluntatem, seminarium hoc bonis immobilibus dotare, quum primum ea acquirendi opportuna se praebeat occasio. Viginti sunt hoc anno alumni, quorum quisque viginti quinque libellas italicas pro menstrua pensione solvit. Exstat pariter in hac civitate collegium Clericis regularibus S. Pauli, ex laudata Francisci IV. munificentia bonis immobilibus optime provisum, in quo iuventus a primis legendi et scribendi principiis usque ad philosophicas disciplinas inclusive probe educatur. Aliud seminarium exsistit in civitate Castri Novi provinciae Capranicae erectum, et dotatum bonis immobilibus beneficio eiusdem Principis, et ipsius alumni viginti numero pro menstrua pensione solvunt tantum libellas italicas viginti. Redditus dotationis ascendunt ad quatuor millia libellarum italicarum, et iuvenes praeceptis grammaticae et rethoricae et philosophiae scientia imbuuntur, et ad rectam morum religionisque normam informantur, $ub disciplina ecclesiastici superioris ab Ordinario electi.

« Et maxima animi mei exultatione hoc ipso temporis momento, quo haec scribo, piissimo Prin-

cipis chirographum propria manu exaratum ad me pervenit, quo mentem suam mihi pandit, quae est, ut quam citissime aliud seminarium aperiatur in Lunensi provincia suo subiecta dominio, pro quo iam nonnullis abhinc annis aedes, ac supellectilia parata fuere, sed ob multas obortas vicissitudines nondum apertum. Pro eius dotatione bona immobilia acquirere iam -tentavit; at contractum suspendere debuit, quia necessaria cautione destitutum, et interim donec alia exoriatur occasio, ex aere proprio expensas, quae occurrere poterunt, se soluturum promittit.

« Non equidem ignoro, huiusmodi pia instituta locis dissitis posita et procul ab Ordinarii residentia, variis subiacere difficultatibus, et illi maxime, quae impedit sedulam Episcopi vigilantiam: sed munificentissimus Princeps haec exigit ea motus ratione, ut singulae hae pauperrimae regiones aliquo modo sint necessaria educatione provisae, ac beneficiorum eiusdem participes, et interim pueri in illis parvis seminariis educati, si ecclesiasticae militiae nomen dare exoptaverint, in hoc seminarium &e recipiant, ut studio theologiae vacent, suamque vocationem perficere possint.

« Haec omnia expendenta mihi visa sunt, ut S. Congregationis E.mi Patres, quomodo horum seminariorum ac dioecesis res se habeant, cognoscere queant, et ex his colligere « *utrum taxa pro seminario sit confirmanda, necne* ». Huius quaesiti solutionem reverenter eorundem E.morum Patrum sapientissimo iudicio submitto numquam praeteriturus quidquid per eos fuerit decretum ».

« Quamobrem sive Beneficialem reddituum tenuitas, sive taxae exigendae difficultas spectetur, melius forte existimo, si taxae suspendatur exactio. Hisce accedit, quod Mutinae Dux vere pius ac munificus dotem tribus seminariis iam constituerit, nec sit dubitandum, quin eam ita brevi sit aucturus, ut pauperiores Clericis sin gratuito, at certe pensione valde imminuta in Episcopali seminario alantur et instituantur.

« Hinc hodierni Episcopi opinioni mea quoque adhaeret sententi a, quam tamen sapientiori EE. VV. iudicio libenter submitto. Dirimenda itaque veniunt dubia.

I. An taxa pro seminario sit servanda, seu potius suspendenda in casu.

Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

II. An taxam solvere teneantur Beneficia iurispatronatus etiamsi laicalis in casu.

III. An etiam Beneficia exigui valoris in casu.

IV. An parochiae, quarum valor est annuis scutatis centum inferior in casu.

V. An capellaniae mere laicales in casu.

VI. An, et quae emolumenta incerta Parochorum sint taxae oboxia in casu.

VII. An ex fructibus Beneficiorum sint prius deducenda impendía nedum pro agro colendo, et fructibus colligendis, sed etiam pro frugibus in horreum, vel domum Beneficiarii exportandi in casu.

VIII. An detrahenda ientacula, et munuscula dari solita operariis easdem fruges domum deferentibus in casu.

IX. An deducendae expensae itinerum Parochi extra fines paroeciae se conferentis ad invisenda praedia, et ad alia negotia gerenda in casu.

X. An subducendum stipendium administri Parochum adiuvantis in gerenda bonorum administratione in casu.

XI. An detrahendum stipendium famuli, si suam impendat operam in agris quoque Beneficii colendis, fructibusque colligendis in casu.

XII. An sit detrahendum lucrum cessans seminum, pecoris, et aliarum rerum, vulgo *delle scorte,* in casu.

XIII. An sit deducenda iactura ob colonorum, aliorunque debitorum inopiam in casu.

XIV. An ad annuum Beneficiorum valorem dignoscendum sit ducendum calculum per decennium iu casu.

XV. An notula reddituum sit a Beneficiariis iureiurando firmanda in casu.

Die 17 Dec. 1836 E.mi Patres rescripserunt.

Ad I. *Arbitrio Episcopi facto verbo cum SS.mo: ad reliqua dubia iuxta votum E.mi relator is, nempe:*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative, quatenus Beneficii redditus excedant summam septem floremorum auri de Camera*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative super incertis tantum, et detur Decretum ut in Panormitana mense Octob. Î687.*

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Ad IX. *Negative.*

Ad X. *Negative, excepto casu necessitatis.*

Ad XI. *Affirmative quatenus occupet locum alterius operarii.*

Ad XII. *Affirmative.*

Ad XIII. *Negative.*

Ad XIV. *Affirmative.*

Ad XV. *Affirmative iuxta votum in omnibus E.mi Relat.*

APPENDIX III

DE BEATA IULIANA CORNELIONEN!, SANCTA NUNCUPATA, IN ORDINE AD INSTITUTIONEM FESTI AUGUSTISSIMI CORPORIS DOMINICI.

Haec omnia quae sequuntur, ad verbum deprompsimus ex summario quod Sacrorum in Belgio Antistites S. Congregationi exhibuerunt in causa, quam superius exposuimus.

Iuliana, Henrico patre et Frescendi matre anno Cristi 1193 nata, et aquis baptismi regenerata *Retinnae,* in pago ditionis Leodiensis primum educata fuit, et deinde S. Augustini religionem professa in coenobio et nosodochio quod erat ad pedem Montis Cornelionis (a cornis ibi crescentibus dicti) in *Leodiensis* oppidi vicinitate. Ibidem, concurrentibus in eam monialium votis, constituta Priorissa anno aetatis verisimiliter tricesimo, circa annum 1253 per malorum hominum invidiam cum sociis in exilium pulsa, haesit aliquandiu apud moniales Cistercienses *Roberti-Montis, Vallis-Be-n edictae* et *Vallis-B. Mariae.* Inde, magno animo iniustas persecutiones ferens, abire coacta fuit *Namarcum,* ubi in extrema paupertate cum suis vixit. Defunctis pie duabus ex comitibus, BB. Agnete et Ozilia, tandem cum B. Isabella benigne recepta fuit a venerabili domina Himana, germana sorore Conradi de Hochstade archiepiscopi Coloniensis et abbatissa monasterii *Salesinae* seu *Salsiniae* prope castellum Namurci. Sed ingruente bello, et disperso ipso Salsiniensi conventu, dicta abbatissa virginem Christi, quam hospitio receperat, deduxit ad oppidum *Fossae* Sabim inter et Mosam. Iuliana igitur reliquum vitae Fossae peregit in reclusorio ecclesiae contiguo, atque ibidem sancte, uti vixerat, obiit feria sexta post pascha, die V. Aprilis anni 1258, aetatis anno sexagesimo sexto. Sequenti die corpus eius exanime, currui impositum a Nonno Goberto monacho, qui Fossam ex Villario advenerat, translatum fuit, comite abbatissa Salsiniensi, ad coenobium *Villariense* ordinis cisterciensis in Brabantia Gallicana, et ibidem, sicut vivens Iuliana ordinarat, in pace Christi depositum fuit prope altare maius ecclesiae. Sed de his omnibus, deque miraculis S. Iulianae intercessione patratis, plane consulendus est scriptor Vitae eius coaevus in *Actis Sanctorum* Bollandianis, Aprilis tom. I ad diem V.

eius mensis, pag. 443-477. Addere iuvat quaedam ex illius vitae praefatione.

« Sed forsitan quis dicat: Si temporibus istis inest tanta sanctorum virorum inopia, mulierem sanctam quis inveniet? Proferam, si placet, unam virginem, quam nostrum saeculum quasi lilium germinavit, virginem, qualem dicit Apostolus, sanctam corpore et spiritu. Iuliana haec est, quae ante paucos dies ab hoc saeculo nequam assumpta, digna est, ut pro aedificatione fidelium ad memoriam revocetur. Ipsa est quae corporalis fragilitatis, sed et sexus oblita, ad perfectionis ardua cucurrit et apprehendit. Cucurrit per profundissimam humilitatem, et in carne debili et pene inutili summam apprehendit perfectionem. Hanc igitur virginem qualicumque stylo reducam ad medium, de vita eius et conversatione sancta, de exercitio profectuque virtutum, de affectionibus suis et revelationibus sibi factis paucissima conscribendo... Quae vero conscripta sunt, a venerabilibus et fidei dignis personis cognita sunt et relata ». Pag. 444.

Porro lib. II, cap. II, idem auctor de celebri visione S. Iulianae facta scribit quae sequuntur:

« A tempore iuventutis suae, quoties Christi virgo Iuliana orationi incumbebat, magnum sibi signum et mirabile apparebat. Apparebat, inquam, ei luna in suo splendore, cum aliquantula tamen sui spherici corporis fractione... Revelavit ei Christus, in luna praesentem Ecclesiam, in lunae autem fractione defectum unius solemnitatis in Ecclesia figuram, quam adhuc volebat in terris a suis fidelibus celebrari. Hanc autem suam esse voluntatem, ut... institutio Sacramenti Corporis et Sanguinis sui quolibet anno semel solemnius ac specialius recoleretur quam in Coena Domini... Haec quum Christus Virgini suae revelasset, iniunxit eidem, ut hanc solemnitatem debere fieri mundo annuntiaret «. Pag. 459.

Iuliana igitur, caelesti visione frequenter recreata et a divino Sponso monita, deesse Ecclesiae solemniorem et generalem SS. Eucharistiae festivitatem, primo, annis plus viginti a prima visione elapsis, rem omnem patefecit religiosissimo iuxta et doctissimo Sacerdoti, Ioanni a Lausenna, Canonico ad S. Martinum Leodii. Hic humilem suique diffidentem virginem cohortatus est, ut de habitata revelatione theologos consuleret, et quid factu opus ab Episcopis peteret.

Recurrerunt itaque (ut multos alios taceamus, « vita et scientia ad instar siderum micantes, « uti ait antiquissimus vitae S. Iuliane scriptor) ad eruditissimum Cancellarium Parisiensem; ad tres S.

Theologiae lectores ex ordine Praedicatorum, scilicet fratres Aegidium, Ioannem et Gerardum; ad fratrem Hugonem, tunc eiusdem ordinis Priorem Provincialem, qui postea pro meritis ab Innocentio IV. condecoratus fuit Romana purpura et legati apostolici dignitate, celeber sub nomine Hugonis a S. Caro, presbyteri cardinalis tituli S. Sabinae, item ad Guiardum (alias Guidonem) de Lauduno, Episcopum Cameracensem, et ad Robertum a Torota, ex Lingonensi Leodiensem Episcopum. Praesertim in consilium adhibitus fuit Jacobus Pantaleon, natu Trecassensis, tum Archidiaconus Leodiensis, dein Episcopus Vidunensis (1252), Patriarca Hierosolymitanus (1255), tandemque post Alexandri IV. obitum in Petri cathedram evectus sub nomine Urbani IV. (1261). Probata fuit omnibus sanctimonialis Cornelionensis visio de nova instituenda Corporis Christi festivitate. « Praedictae siquidem personae omnes ait laudatus hagiographus, diligenter auditis, intellectis et examinatis meritis negotii memorati, uno spiritu pronuntiaverunt, non posse inveniri in lege divina rationem efficacem, quare reverendi Sacramenti specialis festivitas fieri non deberet. Dignissimum autem fore ac iustissimum, necnon ad honorem Dei cedere, ad profectum etiam et gratiam electorum, si memoriam institutionis ipsius Sacramenti solemnius ac specialius, quam usque ad illud tempus, annis singulis mater Ecclesia celebraret. Cuius sententiae concordiam quum Christi virgo cognovisset, gratias egit Deo, quod voluntatis suae responsum posuisset iii ore tantarum ac talium personarum ». Auctor vitae S. Iulianae coaevus, aupud Bolland 1. cit. pag. 460

Consilii divini, quod Iulianae per signa supernaturalia revelatum fuerat, promotores exstitere praecipui: *Robertus a Torota,* Episcopus Leodiensis, duo Cardinales legati, *Hugo a S. Caro* eiusque successor Petrus Capoccius, dictus *Cardinalis S. Georgii* in Velabro, et tandem *Urbanas Papa IV.*, qui quidem, quum Urbevetere cum curia Apostolica degebat, consti luti onem promulgavit, qua generalis festivitas decernitur; et *S. Thomae Aquinati,* tum in eadem urbe sacras disciplinas tradenti, in mandatis dedit, ut ecclesiasticum officium, quo iam Ecclesia utitur, conscriberet. Sed de horum omnium magnis in Ecclesiam meritis consulantur Bollandiani ceterique eruditi, qui de S. Iulianae vita aut de origine festivitatis scripserunt.

Robertus a Torota, quem supra laudavi mus, ad utrumque vasti ssimae suae dioeceseos clerum epistolam dedit anno Domini MCCXLVI,

quo statuit, ut de ineffabili Altans Sacramento quotannis in singulis ditionis suae spiritualis ecclesiis celebretur solenne Eucharistiae festum. Obiit Fossae 19 Octob. 1246. « Antequam e vita mi- « graret, ait Benedictus XIV., vo- « luptatem eam eepit, ut novum « huius solemnitatis officium co- « ram se celebrari videret ». Parem, quin immo longe maiorem laetitiam experta fuit S. Iuliana, tum superstes. Haec vero, priusquam in caelum abiret, arcanum caeleste aperuit et divini consilii exsecutionem enixe commendavit familiari amicae, nomine Evae, quae tum ad S. Martinum in Monte Leodiensi reclusa vitam agebat.

Itaque mortua S. Iuliana, Urbanus IV., edita constitutione, quae incipit *Transiturus ex hoc mundo,* et cui ex regestis Vaticanis diem H Aug. anni 1264 adsignat Benedictus XIV., statuendum duxit, ut de vivifico Altaris Sacramento quolibet annospecialior memoria in Ecclesia ageretur. « Etenim intelleximus olim, ait < Pontifex, dum in minori esse- « mus officio constituti, quod fue- « rat quibusdam Catholicis divini- « tus revelatum, festum huiusmo- « di generaliter in Ecclesia cele- « brandum ». Quibus verbis haud dubie significat Urbanus IV., se antea, dum in Cathedrali Leodiensi munus archidiaconi gerebat, Omnipotentis Dei voluntatem intellexisse^ et nihil dubitare, quin (ut verbis utamur martyrologii Cisterciensis pagina 12 referendis) « Iuliana, divinis revelationibus « illustrata, festum sacratissimi « Corporis Christi institui cura- « verit ».

Deinde laudatus Pontifex ad Beatam Evam, utpote quondam divae Iulianae, tum vita defunctae, piam adiutricem, litteras dedit in forma Brevis Apostolici *(Scias o filia),* in quibus ei constitutionis suae promulgationem annuntiat. « Et scias, addit Pontifex, quod « nos huiusmodi festum cum om- « nibus fratribus nostris S. R. E. « Cardinalibus, necnon eum om- « nibus Archiepiscopis, et Epi- « scopis, ceterisque Ecclesiarum « Praelatis, tunc apud Sedem A- « postolicam commorantibus (ad « ad hoc ut videntibus et audien- < tibus de tanti festi celebritate « salubre praeberetur exemplum) « duximus celebrandum ». Quae Brevis Apostolici verba refert quoque Benedictus XIV. in praeclara commentatione *De festis D. N. Iesu Christi.*

Breve Apostolicum ad Evam reclusam Urbevetere datum fuit die 8 Septembris 1264, paulo ante mortem Urbani IV; hic enim postridie kalendas Octobres eiusdem anni e vita migravit. Nec silentio heic praetermittere licet Urbanum IV. ad Evam simul cum Brevi, destinasse admirabile et

plane divinum officium, quod ab Angelico Doctore, S. Thoma Aquinate, in laudem SS. Sacramenti fuisse compositum, praeter alios rerum ecclesiasticarum peritos, affirmat Benedictus XIV. in opere *de Festis.*

Quum, sàeviente bello in Italia, festivitas annua Corporis Christi, ab Urbano IV. instituta, ita passim negligi coepisset, utnon alibi quam in dioecesi Leodiensi celebraretur, UrbaniBullam intermortuam excitavit et observari denuo praecepit Clemens V. in Concilio Viennensi anno 1311 (1). Ipsam vero Clementis constitutionem confirmavit eius successor Ioannes XXII. Porro Martinus V. (anno 1429) et Eugenius IV. (anno 1433) atque alii Pontifices haec omnia, apertis largiter S. Ecclesiae thesauris, confirmanda censuerunt et latius extenderunt.

Solemnitatem Iubilaei saecularis inusitata pompa et ingenti animarum bono celebravit anno 1846 Illustrissimus et Reverendissimus D. Cornelius Richardus Antonius Van Bommel, dignus Roberti successor et TheodoriAlexii Iosephi immediatus praedecessor. Fas nobis sit iis, quorum interest, legenda proponere, quae anno 1846 Leodii scripta sunt in opusculo: *Les origines de la Fète-*. Dieu, par V. Dechamps, de la Congrégation du Tres-Saint Rédempteur.* Pagina 158 ita loquitur auctor: « C'est la gloire de Liege « de pouvoir dire à l'univers: « C'est de moi qu'est partie cette « éclatante protestation de la ca- < tholicité contre l'apostasie fu- < ture des sectes du 16e siècle; « c'est moi qui ai donné le branle « à ce gran mouvement de foi qui < dure toujours et qui durera jus- « qu'à la fin des temps. Oui, c'est « avec une sainte fierté qu'en mon- « trant le sanctuaire du mont Cor- « nillon où pria Julieune, et la « basilique de Saint Martin où la « grande voix de la papauté vint « trouver Eve, la pauvre recluse, « pour lui annoncer l'extension « de la Fête-Dieu à l'Eglise uni- « verseile; c'est avec une sainte « fierté que Liège peut dire seule « entre toutes les cités chrétien- « nes: Voci la soiree du grand « fleuve d'adoration et d'amour « qui arrose les deux mondes ». Edit. 2. Tornaci anno 1864.

Haec satis: referemus fortasse in alia Appendice praecipua documenta, quae ostendunt antiquitatem extensionemque publici cultus S. Iulianae in Ecclesia tributi.

(i) dementiti. *Si Dominum I 3 t L 16.*

EPISTOLA. SANCTISSIMI PATRIS AD ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTERIENSI!*

VENERABILI FRATRI HERNICO EDUARDO

ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI

PIUS PP. IX.

Ven. Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Per ephemerides accepimus, Doctorem Gumming Scotum quaesivisse a te, num in futuro Concilio dissidentibus facienda sit potestas ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrentur; te autem respondente, id a Nobis esse decernendum, ipsum hac de re ad Nos scripsisse. Verum si postulantem non latet catholicorum fides de magisterio *t divino Servatore nostro commiso Ecclesiae suae et de huius infallibilitate propterea in definiendis quaestionibus de dogmate et moribus; dubitare nequibit, quin Ecclesia ipsa pati non debeat, revocari rursum in disceptationem errores, quos sedulo expendit, iudicavit et damnavit. Nec aliud ei suadere possunt litterae Nostae. Dum enim diximus « *nemo inficiavi ac dubitare potest, ipsum Christum Iesum,* « ut humanis ' omnibus generationibus redemptionis suae fructus applicaret, « *suam Me in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam,* idest unam, « sanctam, catholicam, apostolicam, *eique necessariam omnem contulisse pote-* « *statem, ut integrum inviolatmmque custodiretur fidei depositum,* ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur : » hoc ipso diximus *extra disputationis aleam* constitutum esse primatum non honoris tantum, sed et iurisdict onis Petro eiusque successoribus ab Ecclesiae Institutore collatum. Atqui in hoc nimirum cardine tota quaestio versatur inter catholicos et dissentientes quoscumque; et ex hoc dissensu veluti e fonte omnes acatholicorum errores dimanant. « *Cum* enim *eiusmodi societates careant viva illa* « *et a Beo constituta auctoritate,* quae homines, res fidei morumque disciplinam « praesertim docet, eosque dirigit ac moderatur in iis omnibus quae ad aeternam «salutem pertinent; tum *societates ipsae in suis doctrinis continenter varia-* « *runt,* et haec mobilitas atque instabilitas apud easdem societates numquam « cessat. » Sive ergo qui te interrogavit sententiam consideret, quam de infallibilitate iudici sui in definitione rerum spectantium fidem et mores tenet Ecclesia, sive quae Nos de non revocando in dubium Petri primatu et magisterio scripsimus ; intelliget illico, nulli damnatorum errorum patrocinio locum esse Sosse in Concilio f nec Nos acatholicos invitare potuisse ad disceptandum, sed Sumtaxat, ut « occasionem amplectantur huius Concilii, quo Ecclesia catholica, « cui eorum maiores adscripti erant, novum intimae unitatis et inexpugnabilis «vitalis sui roboris exhibet argumentum; ac indigentiis eorum cordis repon« dentes, ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi « esse non possunt. » Si ipsi, divina gratia afflante, proprium discrimen percipiant, si toto corde Deum quaerant; facile abii cient praeconceptam quamvis adversam opinionem, et omni statim disceptandi cupidine deposita, redibunt ad Patrem, a quo iamdiu infeliciter discesserunt. Nos autem laeti occurremus ipsi, eosque paterna caritate complexi, gaudebimus, Ecclesiam universam gratulari Nobis, quod filii Nostri qui mortui erant revixerint, et qui perierant sint inventi. Id certe a Deo poscimus enixe; et tu, Ven. Frater preces tuas iunge Nostris. Interim vero divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem tibi totique Dioecesi tuae peramanter impertimus ».

Datum Romae apud S. Petrum die 4 Septembris 1869. Pontificatus Nostri anno XXIV.

PIUS PP. IX.

EX S. OONGBEGATIONK CONCILII

NULLITATIS SUBSTITUTIONE PATRIMONII SACRI

Die 4 Septembris 1869.

Compendium facti. Petrus **N.** ad maiores ss. ordines fuerat promotus titulo patrimonii ab eius patre et acunculo constituti, Sacerdotio initiatus ab Episcopo Beneficium quoddam obtinuit quod olim parochiale, postea, paroeciis in ea regione suppressis, vicariale evasit et amovibile ad nutum Episcopi.

Iustis de causis deinde ab Episcopo petiit, ut ditum Beneficium loco familiaris patrimonii substitueretur; atque Decretum a curia fuit emissum die 11 Augusti 1858, quo substitutio facta est, adiecta quoque clausula, qua curia sibi reservabat prospicere iuxta ss. canones ob amovibilitatem eiusdem Beneficii.

Petrus, eo Beneficio in titulum habito, suis curis et impensis extraordinariis eius redditus auxit.

Vertente anno 1863, quum ad aures Episcopi nonnullla pervenerint, quae Petri mores nominisque aestimationem laederent, Episcopus eidem suasit, ut vicariali illi muneri renunciaret, ne si processus fieret, eius fama periculo exponeretur.

Petrus Episcopi suasionibus obedit, et Beneficium resignavit; ne vero absque ordinationis titulo remaneret, petiit, ut de eodem Beneficio pensio annua assignaretur flor. 130: Beneficium enim illud extraordinariis instaurationibus factis reddit modo flor. 489 quotannis.

Sui voti compos aliqua ratione factus est Petrus: namque, emisso Decreto, concessa ei est de dicto Beneficio interim annua pensio flor. 105: tamen fuit adiectum, ut pensio haec tamquam aerarialis, uti vocant, eidem conferretur, hisce verbis : *ut ius percipiendi dictos annuos florenos* 105 *eiusdem indolis sit habendum, ac haberi practice solet ius ex titulo patrimonii ae-*

rarialis : quamobrem Petrus exigere non poterit dictam pensionem, sive in toto, sive in parte, nisi per declarationem ab hac curia emittendam de trimestri in trimestre tempus.

Res ita processerunt usque ad annum 1867. Hoc enim tempore Iosephus, qui illi Beneficio suffectus fuerat, aegre ferens dictae pensionis annuae gravamen, Episcopo supplicavit, ut ab ea liberaretur: idque petiit ea praesertim de causa, quod Petrus, in alia urbe commorans et cuidam Collegio ad docendum addictus, redditus perciperet quotannis libell. 777 praeter victum et habitationem.

Eius precibus haud indulsit Episcopus: attamen sequenti anno quum Iosephus id instantius efflagitaret, ut saltem ab illa pensione solvenda interim liberaretur, usque dum scilicet magistri munere in dicto Collegio Petrus fungeretur, die 8 Martii 1868 Decretum obtinuit, quo interim ab ea solvenda pensione liberatus est.

At vero id aegre tulit Petrus; atque ideo S. Sedi preces porrexit, quibus petiit, tum ut subrogatio facta patrimonii sacri die 11 Augusti 1858 irregularis declararetur; tum ut infirmaretur Decretum, quo privabatur consueta perceptione pensionis.

Servatis servandis, duo dubia S. C. C. fuerunt proposita, quae in calce prostant.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO CURIAE. Ad primum quod spectat dubium, allegata *Notificat.* 6, *n. 1.* Prosperi Lambertini seu Benedicti XIV. cuius Notificationis verba sic latine sonant: « in dictis terminis *(ne-« cesitatis et utilitatis Ecclesiae)* admittent ordinationis titulo etiam « Officiaturam seu capellaniam amovibilem, dummodo sufficiens « sit iuxta synodalem taxam, atque dummodo ille, qui ius ha-« bet nominandi, nostra auctoritate *(episcopali)* obligetur ad non « amovendum, qui nominatus fuerit usque dum hic vivat, vel « usque dum vivere alia ratione potuerit, idest sive ratione Be-« neficii sive patrimonii, ed dummodo detur idoneus fideiiussor, « qui sese obliget ad alendum Ordinatum, si hic impediatur aut « non possit Missam celebrare » : contendit curia, Praebendam etsi vicarialem atque amovibilem constitui optime posse in ordinationis titulum, si necessitas atque ecclesiae utilitas id sua-

deànt; eo vel magis id locum habere, si accedat Ordinarii Cautio de suo supplendi: dubium autem non esse, in ea dioecesi dictam necessitatem et utilitatem dari, quippe quum omnes fere, qui Sacerdotio initiarentur, pauperes essent et Presbyterorum penuria eadem dioecesis maximopere laboraret.

Quod si Petro adsignata fuerit pensio quantitate minor, quam postulasset, id non sine ratione factum esse: eum enim ita Vicariae illi renunciasse, ut dicendus sit potius ab ea remotus, quum vitam nimis liberam traduceret : instaurationes Beneficio a se sponte factas eiden Beneficio cedere, non autem Beneficiario: contra vero, quum dé pensione in ecclesiastico Beneficio imponenda agitur, de gravamine agitur, quod minimum, quantum fieri possit, esse debet, exsistente lege, *ut Beneficia sine diminutione conferantur;* eam ideoque impositam fuisse pensionem, quae adamussim responderet synodali taxae.

Ceterum, Petrum fuisse, qui substitutionem patrimoni familiaris in illud Beneficium postulaverit, eundemque postulasse deinde pensionem, qua adsignata, per longum temporis spatium siluit ; nemini autem licere contra factum proprium insurgeret

Quoad secundum dubium ex parte curiae animadversum est, eam pensionem adsignatam fuisse Petro tamquam *aerarialem,* id est quae eius indolem praeseferret, quam practice praesefert ius inhaerens titulo patrimonii aerarialis : eam autem esse indolem aerarialis patrimonii, ut, si quando Presbyter aliunde habeat quomodo sustentari congrue possit, gubernium pensionem subtrahat : neque reprobatum exsistere eiusmodi titulum ; immo eodem titulo uti solere omnes Episcopos illius provinciae, ad quam curia, de qua agimus, pertineret.

Hisce autem positis, duo esse distinguenda, id est *factum perceptionis* pensionis, et *ius* seu *titulum* percipiendi: per Decretum suspensam fuisse quidem perceptionem pensionis ; at titulum mansisse immotum, ita ut, si Petrus tandem non haberet aliunde unde vivere congrue posset, eadem pensio rependenda eidem esset. Quum autem Petrus aliunde nunc congrue viveret, deesse rationem, cur eidem ea adsignata reddituum quantitas pensitanda foret.

IURA PETRI. Hic e converso initio contendit irregulärem fuisse substitutionem patrimonii familiaris in Beneficium ad nutum amovibile.

Ad normam enim ss. canonum titulum sacrae ordinationis esse debere natura sua perpetuum, ceu communiter tradunt sacrorun canonum Expositores; atqui Vicariam patrimonio substitutam talem non fuisse.

Praeterea, admissa uti legitima ea dicta substitutione, contendit Petrus, sine ulla causa petitam de Beneficio dimisso pensionem fuisse imminutam: in comperto enim esse, Beneficium illud curis impensisque extraordinariis ex proprio censu factis conditionem immutasse adeo, ut ex florenis 359 quos amea tantum redderet, nunc florenos 489 tribueret: quod si exploratum sit in iure, meliorationes in fundo alieno factas fundo ipsi cedere, non minus exploratum esse principium, neminem lucupletari debere cum aliena iactura: unde merito Canonistas cum Rodoamo, *de reb. eccles, non alien, q.* 17,- tradere, impensas et meliorationes, quae fiant in rebus ecclesiae, quaeque faciant res maioris valoris, quem non habuerint tempore concessionis, non non debere esse sine aliqua consideratione, quum factae sint ut plurimum cum impensa, industria, labore et temporis iactura Beneficiarii: se autem impendisse inquiebat in illud vicariale Beneficium florenos 2450.

Quoad secundum dubium contendit, curiae Decretum, quod perceptionem adsignatae pensionis suspendit, esse infirmandum. Certum namque esse, neminem privari posse ecclesiastico Beneficio, etsi amovibili, sine rationabili causa: ergo, nulla- praehabita rationabili causa, neminem privari posse pensione de Beneficio aliquo rependenda; quippe quum certum sit, pensionem adsignatam suora Beneficium loco Benefici cedere, eiusdemque Beneficii regulas sequi: Garzias *de Benef. cap.* 5 *n.* 121.

Neque suffragari posse curiae, distinctionem inter *ius* percipiendi pensionem, et *factum* perceptions; quun haec subtilis distinctio ss. canonibus non sit conformis. Namque quum pensio non sit aliud nisi Beneficii pars, quum Beneficium non sit aliud nisi *ius percipiendi fructus,* etc. eum destitutum iure pensionis esse dicendum, qui actu pensionem percipere legitime prohibeatur: intime scilicet cohaerere, iuxta ss. canonum doctrinam, ius percipiendi cum facto perceptionis.

Praeter haec et alia utrimque adducta, nonnulla adiiciebantur ex officio circa doctrinam de titulo s. ordinationis. Animadversum scilicet est, ignotum fuisse in Veteri Ecclesiae disci-

plina titulum familiaris patrimonii, quo nunc Ecclesia utitur: namque, iuxta veterem disciplinam, neminem sacris ordinibus initiari potuisse, nisi alicui ecclesiae esset adscriptus, ex cuius proventibus congrua alimenta perciperet. Patrimonii familiaris titulum tum invalescere incepisse, quum in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. statutum sit : « *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in uliqua ecclesia convenientia ei stipendia militiae clericalis assignet, nisi forte talis, qui ordinetur, exstiterit, qui de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere* »; prout legitur in cap. *Episcopus, de Praebend.*

Hoc ipsum confirmasse Trid. Concilium, ut videre est in *cap.* 2 *sess.* 23 *de Refor.* Hisce autem legibus positis, ss. canonum Expositores solere inferre, titulum patrimonii vel pensionis subsidiarium dumtaxat esse ; maxime post allegatam Tridentinam dispositionem, quum ob eam sublata censeatur ea indifferens facultas in Cap. *Tuis, de Praebend.* concessa, qua quisque ordinari antea aeque potuisset, sive ad titulum patrimonii sive Beneficii.

De titulo autem patrimonii in canonica disciplina statutum probatumque esse, ut illud in bonis stabilibus et frugiferis constitueretur, non autem tamquam legitimum patrimonium haberetur illud, quod consistat in proventibus ex ingenio ac industria Ordinandorum ; de qua re, proposito dubio coram S. C. C. *in Siguntina, SS. Ordinum,* anno 1589 mense Octobri, his verbis : « Si quis tantum habeat quod ex industria vel honesto la-
« bore lucratur, puta, quod sit musicus, magister grammaticae,
« pictor, scriptor, aut alterius licitae professionis, idque sit suf-
« fidens ad sustentationem vitae, poterit ne promoverei ? S. C. respondit: *Negative* (1. 11 Decret, pag. 53).

Nec in bonis" mobilibus et se moventibus patrimonium consistere regulariter posse, ut traditur in *Monopolitana,* 18 Novembr. 1769 §. *Patrimonium,* et explicatur apud Riganti *ad Reg.* 24 *cancellariae* §. 5 *et seqq.* Tum autem in bonis mobilibus constitui posse patrimonium, quum haec bona mobilia immobilibus merito aequiparentur.

Reperiri quidem inter ordinationis titulos demandatum Capellani munus, censas perpetuos : sed quando id exigat neces-

sitas vel ecclesiae utilitas, atque ita, ut, si agatur de amovibili Capellani munere, cuius redditus synodalem taxam exaequet, ille, qui ius nominandi habeat, fidem suam, interveniente Episcopi auctoritate, praestet: eum, qui nominatus fuerit, mansurum donec vita hic fungatur, inxta ea quae scripta quoque leguntur in allegata *Institutione* 26 Prosperi Lambertini seu Benedicti XIV.

Hisce itaque animadversis, proposita sunt resolvenda.

Dubia.

I. « An et quomodo subrogatio patrimonii sacri ab Epis eo-« po facta die 11 Augusti 1858 adprobanda sit in casu:

« Et quatenus affirmative

II. « An Decretum ab Episcopo latum die 8 Martii 1868 sus-« tineatur in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 4 Sept[a]mbris 1869 respondere censuit : Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

Ï. Non esse dubium, Episcopi auctoritate subrogari posse Beneficium ecclesiasticum loco patrimonii familiaris.

II. Neque dubium pariter esse, Beneficium ad nutum Episcopi amovibile auctoritate eiusdem posse constitui in titulum s. ordinationis

III. Collatio enim Benificii amovibilis, ab auctoritate Episcopali libere absoluteque facta alicui in titulum s. ordinationis, eo ipso naturam induere videtur illius perpetuitatis, quae cohaerere debet cum dicto titulo.

IV. Nec dubium esse, congruam pensionem de Beneficio ee - clesiastico collatam esse posse titulum s. ordinationis.

V. Immo tum Beneficium amovibile, tum pensionem sub conditione sive implicita sive explicita posse conferri in titulum s. ordinationis, ut utrumque tale esse cesset, si alium legitimu m substituendum titulum Ordinatus consequatur (1).

(1) Confer causam, quam adduxi in *vol. II. p. 535* et alteram in *vol. IV p. 353.*

VI. Non posse tamen legitimum s. ordinationis titulum sitb conditione conferri, ut cesset aut suspensus maneat, quin alius titulus legitimus rite substituatur.

VII. Eamque conditionem, si adiecta aliquo modo fuerit, tamquam non adiectam censeri.

VIII. Neque constituere legitimum s. ordinationis titulum proventus industriales.

IX. In praesenti themate triplicem factam fuisse tituli substitutionem : primam patrimonii in Beneficium ; secundum Benefici in pensionem : tertiam pensionis in proventus industriales, quamquam haec tertia ad tempus facta fuerit.

Xl. S. Congregationem admisisse primam et secundam; reprobasse vero tertiam.

Die 23 Ianuarii 1869.

Cfmpendium facti. In regione C. dioecesis N. exstat paroecialis ecclesia, cuius regimen concreditum est Archipresbytero èt sex coadiutoribus Presbyteris, qui habent proprias Praebendas regio patronatui subiectas.

Exstat praeterea in eadem ecclesia quaedam Massa communis reddituum, quam aequali portione participant una cum Archipresbytero et dictis sex coadiutoribus simplices quidam Presbyteri indigenae, qui servitio dictae ecclesiae, obtenta venia adscribuntur, et titulo adscriptionis eidem ecclesiae sacris ordinibus initiantur : eaedemque portiones, et quidquid aliud superveniat ex funeribus similibusque officiis, inter praesentes diribentur.

Duo postremi adscripti Presbyteri ex veteri consuetudine in intimis chori subselliis sedere, et in Missis Vesperisque solemnibus ministrorum officio fungi tenentur.

Inter eiusmodi adscriptos Presbyteros cooptatus fuit Franciscus quo tempore sacros ordines suscepit, anno scilicet 1832. Verumtamen .brevi in huiusmodi servitio mansit : nonnullis enim post mensibus, obtenta ab Episcopo venia, e patria per annum discessit se transferens cum suis laribus in aliud oppidum alterius dioecesis, quin umquam officia ultimis Presbyteris adscriptis inhaerentia praestiterit.

Non constat, utrum absentiae veniam ad longius tempus obtinuerit : certum in facto est, eundem Franciscum in patriam re vertisse post quinque et triginta annos. Vicarium Capitularem adiit, a quo postulavit, ut in dictam ecclesiam *iterum cooptaretur.*

Vicarius Capitularis annuere eius votis optavisset; at Clerus dictae ecclesiae, ad quem supplex libellus fuerat remissus, Presbyterum Franciscum recipiebat quidem, ita tamen, ut ultimum locum haberet inter Presbyteros adscriptos, ac si tum primum receptus esset.

Franciscus aegro animo id tulit, et, rationibus adductis, a Vicario Capitulari petit, ut interposita auctoritate iuberet, se

in Clerum cooptandum esse eo loco et gradu, quem sua aetas ab anno sacrae ordinationis postularet.

Quum itaque sua iura deduxissent coram Vicario Capitulari tum Clerus dictae ecclesiae, tum Franciscus, Vicarius, re perpensa, Decretum edidit sequentis tenoris :

« 1. Quum constet Franciscum N. a sua patria abfuisse triginta annos et amplius, quod ad praescribendum plus quam satis sit: 2. Quum non constet intervenisse consensum Cleri, et, quod magis est, non constet intervenisse Ordinarii consensum: 3. Quum ob diuturnam absentiam ab ecclesia sua oriatur vehemens praesumptio, se tacite renunciasse cuivis iuri, quod sibi pertinuisset ratione incardinationis antea factae ; eademque praesumptio validior evaderet ex primo supplici libello, quo se persuasum ostenderat nova indigere cooptatione: 4. Quum e converso non tantum ageretur de iure praecedentiae, sed potius de certo onere evitando, quum ultimi Presbyteri peculiaribus oneribus subiiciantur: 5. Quum aperiretur aditus fraudi et dolo, si Franciscus ceteris praeferretur, qui posterius essent ordinati, quod quisque Presbyter id utiliter repetere posset: his rationibus innixi adprobamus deliberationem a Clero factam, atque mandamus, ut ea exsecutioni mandetur sive quoad primam, sive quoad secundam partem.

Quum hoc Decretum non arriserit Francisco, appellavit ad S. Sedem, ac, servatis de more servandis, controversia coram S. C. C. proposita est.

Disceptatio synoptica.

IURA CLERI. Cleri Patronus multa conscripsit praeter necessitatem in Cleri eiusdem defensionem, quorum validiora capita haec sunt. Animadvertit imprimis agi in hac iudicii sede non de reintegratione *ex iure* assequenda: 1. quod Franciscus contestatus esset litem super instantia, qua *ex gratia* petierat, ut in ecclesiam iterum reciperetur; idque quaestionem iuris excludere : 2. quod concessa a Clero gratia receptionis, ipse egerit apud Vicarium Capitularem contra secundam "partem resolutionis Cleri, qua ultimus locus eidem concedebatur: 3. quod penes S. C. ex serie actorum idem ex gratia petere appareret, quamquam agere velle ex iure videret rr, per verba *ut supplicans reintegretur in*

omnibus suis iuribus. Inquit autem Orator, horum verborum rationem non esse hebendam, ex notissimo principio, quod in iudiciis incipiemus quasi - contrahitur ; proindeque libellum post litis contestationem mutari amplius non posse.

His praemissis animadvertit, Franciscum per suam diuturnam absentiam quodvis amisisse ius, quod per adscriptionem acquisierat; quod eruere studebat ex variis iuris capitibus, ut ex *Cap. Extirpandae §. Qui vero, de Praebendis,* in quo statutum legitur : « *Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius ecclesiae cura requirit... alioquin illa se sciat auctoritate huius Decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit et possit, quod est, adimplere ».*

Item in *cap. Ex gestis, de Clericis non resid.* in quo habetur Decretum Leonis III. in synodo editum, quod sic se habet: *In synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli Beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, et in alienis usque hodie demoratur.*

Porro quum Franciscus non modo quinque annos, sed quinque et triginta annos ecclesiam deseruerit, eo ipso esse suo iure privatum ; saltem ex tacita renunciatione, quum haec fieri possit non solum expressis verbis, sed etiam apertis factis, quae elQquentiora sunt verbis. Renunciationem autem id efficere, ut Beneficium vel quodvis aliud ius, cui renunciatum fuerit, iure repeti amplius non possit ex priori titulo.

Hoc autem quaestionis capite sic resoluto, eo ipso secundum quaestionis caput concidere inquiebat : namque quum Franciscus ius, quod per adscriptionem obtinuerat, amisisset, nullo iure exigere potuisse praecedentiae gradum.

At vero, quum Franciscus quandam Resolutionem S. G. Rituum in sui defensionem invocaret emissam in causa *Triventina Praecedentiae,* die 29 Martii 1659, quae sic legitur in Gardelliniana collectione: « S. R. G., prout in similibus, declaravit: *Inter simplices Sacerdotes nulla gaudentes Praebenda, anterioritatem suscepti ordinis Presbyteratus inspiciendam esse, nulla inter eos habita ratione prioritatis in Ordine Subdiaconatus vel Diaconatus.* Et ita in terra Alfidenae Triventinae Dioecesis servari mandavit »: respondit Defensor, eam Resolutionem in presenti

quaestione invocari non posse, quum ea locum haberet, quando duo vel plures, qui eadem die possessionem ceperint, de eorum praecedentia disputent; non vero ubi detur ascensus ex infimo ad superiorem gradum, quo casu considerare debere tempus captae possessionis inter eos, qui ratione S. Ordinationis sint aequales, ceu eadem -S. C. respondit in causa *Urbis, S. Mariae ad Martyres,* eodem die et anno.

DEFENSIO FRANCISCI. Contendit Franciscus, se esse integrandum in exercitio omnium iurium suorum; integrationem enim esse concedendam illi, qui in possessione, seu in quasi possessione versetur.

Iamvero se in quasi possessione suorum iurium mansisse, quum e patria discessurus veniam ab Episcopo petierit, obtinueritque, ut legitime abesse posset; quumque eandem veniam iterum obtinuisset anno 1847.

Neque occurri posse dicendo, veniam indultam fuisse ad annum, eoque elapso exspirasse : namque, quum Episcopus semper de sua absentia tacuisset, eundem tacite eam veniam prorogasse censendum esse.

Praeterea in themate agi de deiiciendo a possessione: certum autem esse, neminem iure a possessione deiici posse, nisi prius constitutus sit in mora, id est nisi designatus eidem sit terminus, quo moram purgare possit; si nolit, eo termino elapso, possessionem amittere.

Praeterea Franciscus observantiam invocabat, afferens nonnulla exempla Sacerdotum, qui licet ab ea ecclesia et patria demigraverint per longum temporis spatium; nihilominus,quum reversi fuissent, in iurium suorum exercitium restituti essent: neminem autem ignorare inquiebat, quanti facienda sit observantia et consuetudo in huiusmodi quaestionibus de praecedentia.

Denique innitebatur Resolutioni S. C. SS. Rituum, quam superius exposui.

His aliisque animadversis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo Decretum curiae episcopalis sit confirman-
« dum, vel infirmandum in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita die 23 Ianuarii 1869, respondere censuit: *Decretum esse confirmandum et amplius* (1).

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Eos, qui alicui ecclesiae sint adscripti, in qua detur ad honores ascensus, seu praecedendi ius, non posse ascensum sibi iure vindicare, si eo tempore, quo factus sit ascendendi locus, non resideant.

II. Neque interesse, an abfuerint (dummodo non perfunctorie) legitime, vel illegitime; quun ascensus ad honores dari soleat ratione servitii ecclesiae tum actu praestiti, tum actu praestandi.

III. In praesenti themate Presbyterum Franciscum, ob absentiam ad longissimum tempus sponte productam, in eum videri incidisse casum, quo, iuxta SS. Canones* non solum ius praecedentiae amittitur, ssd ipsum adscriptionis ius difficile saltem vindicatur.

IV. Eum enim, qui ad longum tempus ab ecclesia sua, cui inservire tenetur, sponte discedat, censeri ipsam deseruisse, et facto ipso suis iuribus renunciasse.

(1) Mirum fortasse alicui videri potest, quod Sancta Sedes sese immisceat in huiusmodi quaestiunculis de praecedentia aut similibus: at vero nemo mirabitur, si animadvertat, maxime conferre ad ecclesiasticam disciplinam, ut parva quoque ecclesiastica iura non pessumdentur. De hac re praeclarum dedit exemplum S. Leo Magnus in epistola ad Episcopum Dorum, quam data occasione retuli in *Vol. III, pag. 308 in adnot. 2.*

FUNERIS EMOLUMENTORUM

Die 24 Augusti 1869.

Compendium facti. Abbas Generalis Ordinis P. Romae morbo eflictabatur. Recuperandae valetudinis causa ad aliam urbem se contulit, quae distat triginta fere milliariorum spatio, quaeque per viam ferream Romae iungitur. In eam urbem perveniens, atque in coenobio alterius Regularis Ordinis C. commoratus, brevi et inopinato decessit. Celebratae in eadem ecclesia Ordinis C. fuerunt exequiae, quibus denique, absolutionis funebris dandae causa, interfuit ipse loci Episcopus.

Hoc funere peracto, Regulares Ordinis N. cadaver sui superioris Romam deferre voluerunt, ut solemniori ritu parentalia Romae persolverent. At vero obstitit Rector paroeciae, intra cuius fines coenobium dictum exstat, contendens, sibi pertinere tum quartam funeris, tum iura adsociationis cadaveris. Quum tamen promissum eidem fuerit, eius emolumenta et iura sarta tectaque mansura, Regularium votis cessit.

Verum, renuentibus postea iisdem Regularibus N. quartam funeris et praecipue emolumenta adsportationis rependere, Parochus preces S, C. C. porrexit; iisdemque precibus de more ad Ordinarium ablegatis pro informatione et voto, informatione habita, Decretum, ut moris est, prodiit: *Ponatur in folio, et scribatur Ordinario ut moneat partes, rem disceptatum iri in plenis comitiis; ideoque posse ambas, si velint, ulteriores exhibere deductiones in termino dierum quadraginta.*

Disceptatio synoptica.

IURA PAROCHI. Contendens Parochus sibi emolumenta funeris deberi, recolebat, eius intentionem esse in iure fundatam, ut Canonistae loquuntur (1), quam quisque fidelium intra paroeciae fines decedens ad paroecialem ecclesiam ratione funerum sit ducendus per Parochum, intra cuius paroeciam decesserit, ibique

(1) Quid significet eiusmodi ratio dicendi consueta apud Canonistas, dixi in *Vol. I. pag. 623 in adnotat*

tumulandus, praestitis integris funerum emolumentis, quae ad iura parochialia pertinent, dummodo sepulturam alibi non elegerit, iuxta textum Decretalium in *cap.* 1 *de sepulturam cap. Dilectus, de Capellis monachorum,* in *cap.* 2 *de Parochiis,* atque in *Glementin. Dudum, § Verum.*

Quod si alibi sepulturam sibi elegerit, praestandam esse portionem canonicam ecclesiae paroeciali iuxta locorum consuetudinem determinatam, quae *quarta funeris nuncupatur.*

Quamvis autem in Religiosos, qui in proprio coenobio moriantur, Parochus iura funerum sibi vindicare non possit; sunt enim a iurisdictione Parochi exempti: attamen in iure statutum esse, Religiosum extra coenobium morientem, cuius ecclesia sui Ordinis, in qua tumulandus sit, longe distet, tumulandum esse in paroeciali ecclesia, intra cuius limites ille decesserit, si alibi sepulturam non elegerit.

Iamvero subdebat Parochus, Superiorem Generalem, de quo agimus, extra proprium coenobium mortuum fuisse, atque in paroecia, quae longissime distaret ab ecclesia, in qua iure tumulandus fuisset; ac praeterea sepulturam non elegisse: ergo in ecclesia paroeciali eum sepeliri debuisse, quemadmodum ceteri fideles iuxta textum in *cap. Religiosi, de Sepulturis in* 6.

Quare, si aliter factum sit, sibi deberi emolumenta tum quartae funeris, tum associationis.

Neque occurri posse dicendo, ipsum non fuisse proprium defuncti Parochum, neque eidem administrasse sacramenta: namque eum, qui moritur sepultura non electa, eo in loco tumulari voluisse censeri, ubi decesserit, testante, Reiffenstuel, qui de Regularibus loquens, *Hh.* 3 *tit.* 28 *n.* 18 *de sepult,* scripsit: « quod « si in huiusmodi casu sepulturam sibi non eligant, sepeliendi « sunt in parochia, in qua moriuntur ». Neque alterum obstare quum non per Parochum steterit, quominus sacramenta moribundo administraret.

Multo minus occurri posse dicendo, commode Romam transferri potuisse cadaver, quasi vero ex hac commoditatis ratione nihil Parrocho deberetur iuxta textum *in cap.* 5 *de sepult, in* 6: namque iuxta sensum iuris, Religiosum in loco remoto decedere censeri, quando distet a suo monasterio per iter unius diei : Donatus *de sepult, in ordin, ad regul. tract.* 10 *q.* 2, ubi scripsit : « Si autem petas, quando dicatur Religiosus mori in

«loco remoto: dico tunc dici, quando eius cadaver distat e suo « monasterio per dietam, hoc est per iter unius diei, et non « amplius ».

IURA REGULARIUM. N. E converso Regalares Parocho denegantes tum quartam funeris, tum iura associationis adducebant indicatum textum in cap. *Religiosi de Sepulturis in* 6., in quo statutum legitur: *Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint-remoti, quod ad ea, quum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.* Subiungebat autem, Auctores quidem tradere. Religiosum tum dici mori in loco remoto, ita ut commode transferri non possit, quando eius cadaver distet a suo monasterio per iter unius diei, seu ita distet, ut ad monasterium deferri non possit, quin simul putrescat aeremque inficiat: Ferraris *verb. sepult, n.* 41 ; at vero haec in praesenti themate nullimode habere locum, quum nec urbs, in qua Superior Generalis decessit, adeo a Roma distaret, ut nop posset spatio unius dei Romam eius cadaver deferri ; nec delatio incommoda esset, praesertim per viam ferream, quae longissima quoque et ardua itinera brevissima ac plana reddit.

Hisce autem positis, consequi, nihil Parochum posse iure petere, idque iandiu declarasse S. C. Episc, et Regul. in *Bononien.* 2 Iulii 1620. Quum enim quaesitum esset: « An Religiosi morientes extra monasterium in domo eorundem parentum (ut saepe accidit Canonicis Regularibus); si Parochi administraverint iisdem extrema sacramenta, possint eorundem Superiores deferre noctu cadavera ad propriam ecclesiam, nullo, verbo Parocho facto, nulloque repenso paroeciali emolumento » : S, C. Respondit: *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam Parochis incomultis,* Eandem S. C. declarasse quoque in *Puteolana* 22 Maii 1615, Parochum, qui infirmo Regulari Viaticum et extremam unctionem ministraverit, non posse exigere paroecialia emolumenta.

Dubium.

« An et quae emolumenta solvenda sint in casu ».

RESPONSIO. & Congregatio Concilii, re cognita die 21 Augusti 1869, respondere censuit: *negative in omnibus.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Parochum, in cuius paroecia Regularis fortuito decedat, non posse sibi vindicare iura funerum, etsi contingeret, ut eidem Regulari infirmo extrema sacramenta deferre debuisset.

II. Neque Parochum ius habere sepeliendi in sua ecclesia Regularem fortuito decedentem in eius paroecia, quando commode trasferri possit ad aliquam Regularium suorum ecclesiam.

III. Regulares enim, qui non fuerint violentia dispersi, et exempti sunt a paroeciali iurisdictione, et proprium habere censentur sepulcrum, quod nec declinare possunt (1).

(1) Confer quoque causam, quam exposui in *Vol. I. pag. 163*

PRAESTATIONIS FUNERARIAE

Die U Augusti 1869.

Compendilim facti. Multis abhinc annis dissidium inter Parochum oppidi N. et populum eius curae commissum exstitit. Dissidii origo ex eo repetenda est, quod Episcopus contra oppidanorum vota, unicam, quae id temporis exstabat, paroeciam sub invocatione S. ioannis in duas diviserit: quarum una antiquum titulum retinuit S. Ioannis; altera vero oppidi N. sub invocatione SS.mae Trinitatis erecta fuit. Divisionem hanc aegre tulerunt oppidani novae paroeciae SS.mae Trinitatis addicti; quare, ut Episcopi Decretis aliquo modo obsisterent, defunctorum cadavera in ecclesiam matricem S. Ioannis asportabant, ibique solemnia funerum persolvebant.

Istiusmodi agendi ratio patula erat iurium paroecialium violatio : ad quam compescendam Episcopus decrevit, ut Praepositus (hoc nomine ille Parochus appellatus est) SS.mae Trinitatis compellere posset eos ad solvendam taxam libellarum decem, *qui sibi fas putaverint deferre cadavera, ut haec sepelientur extra paroeciam, ita tamen, ut Parochus dictus exsequeretur funus in sua ecclesia, ac si praesens esset cadaver.*

Decretum istud confirmatum est regia quoque auctoritate, atque in vulgus editum fuit anno 1832. Ab eo tempore usque ad annum 1854 res sine dissidio processit.

Quum lues asiatica per universam prope Italiam annis 1854 et 1855 grassaretur, plures illus oppidi N. incolae occubuerunt, qui, ut moris est in huiusmodi rerum adiunctis, ad publicam tutandam salutem, sine ritu ullo aut funere sepulturae traditi fuerunt iussu et cura civilis autoctoritatis.

Verum Praepositus, de quo agimus, postea Decreto allegato innixus, asserens, per se non stetisse quominus defunctis in eorum obitu iusta funebria persoluta fuerint, a parentibus demortuorum emolumenta taxata in episcopali Decreto expetivit: quum nonnulli ex his solvere detrectassent, eos ad laicum iudicem rapere non dubitavit, a quo amicam sibi retulit sententiam.

Hac de re indignati paroeciani, ad S. G. G. provocarunt, et supplici oblato libello petierunt « utrum in conscientia possent « impugnare Parochi petitionem, vel deberent parere huic novo « exemplo ». Praeterea petierunt ut definiretur, utrum eorum Parochus exsequias paroecianorum protrahere suo arbitrio posset; easdemque exsequi, quando ipse maluerit, ut emolumenta peteret.

His precibus acceptis, Decretum de more editum est : *Episcopo, pro informatione et voto, audito. Parocho in scriptis: et referat, quommodo sese gesserint in iisdem rerum adiunctis alii tum propriae, tum adiacentium dioecesium Parochi.*

Episcopus huic mandato faciens satis, inter cetera rescripsit: in adiacentibus dioecesibus rem processise, ut in sua dioecesi, excepta paroecia de qua agimus: Parochos scilicet locorum quae infecta fuerunt asiatico morbo, nihil a defunctorum parentibus vel heredibus quaesivisse, quum nullum funus iisdem ex prohibitione Gubernii praestitissent.

Disceptatio synoptica.

IURA A PAROCHO INVOCATA. Invocavit Parochus *cap.* 1 *de sepulturis,* in quo haec statuit Leo III. « *Nos instituta maiorum patrum considerantes, statuimus, unumquemque in maiorum suorum sepulcris iacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus, propriam elicere sepulturam et etiam alienam: Dominus enim et Magister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem iudicii illi ecclesiae dari censemus, in qua caelesti pabulo refici consuevit, ut, iuxta Apostolum, sint consolationum socii, ut fuerunt passionum, et sic demum ubicumque libitum fuerit eligat sepulturam...* »

Invocabat deinde et praecipue Decretum Episcopi ab auctoritate quoque laica confirmatum, quod superius exposui: idque eo vel magis in themate locum sibi vindicare ait, quod, asiatica lue saeviente, non sine vitae periculo sacramenta administraverit. Quare, sive iusta solemnia fuerint celebrata sive non, emolumenta funerum sibi deberi contendit.

Quod si ex dicto Decreto semper deberentur Parocho emolumenta funeralia, quoties eidem culpae tribui non possit exse-

quiarum omissio; multo magis ea deberi, quando Parochus se paratum exhiberet ad illas exsequias persolvendas.

Neque obiiciendam esse ait aliarum dioecesium praxim; tum quia illarum subditi sponte solemnia funerum pro defunctis parentibus celebranda demandarint; tum quia alii Parochi amplioribus fruerentur redditibus,, quibus abunde suis necessitatibus consulere possent: quum e converso eius redditus quingentas libellas annuas vix attingerent, quae neque pro honesta vitae sustentatione sufficerent.

IURA PAROECIANORUM. Contra vero paroeciani unice insistentes Decreto supra dicto, inquiebant, per illud Decretum fraudem fuisse cohibitam paroecianorum contra Parochi iura: iamvero in praesenti themate paroecianos nullam commisisse fraudem; sed coactos fuisse cervicem submittere publicae auctoritati, quae defunctorum cadavera absque ullo funere in publicum constitutum coemeterium transferenda mandaverit, reluctantibus quoque defunctorum parentibus.

Adducebant praeterea eiusdem dioecesis et finitimarum praxim, ex qua certum erat, nullos Parochos petiisse a suis paroecianis praestationes funerarias pro defunctis in illis rerum adiunctis.

Animadversum praeterea est, petitionem Parochi neque cohonestan posse ex tenuitate reddituum, quum in aliis similibus paroeciis ea quoque ratio locum habere potuisset; atque licet fixus redditus tenuis esset, non ita incerti redditus, quum de paroecia ageretur trium animarum millium.

Dubium.

«An et quomodo sit locus solutioni emolumentorum in casu».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, re cognita die 21 Augusti 1869, respondere censuit: *Decretum Episcopi anni* 1832 *non afficere Capellanum de quo agitur; ideoque negative in omnibus.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Episcopi Decretum, cui forte accedat laica auctoritas, naturam suam non immutare, sed manere episcopale Decretum.

II. Decretum emissum ad cohibendam tantum aliquam fraudem, cessante ratione fraudis, et ipsum cessare: *adaequata* enim ratione legis cessante, et ipsa lex cesset oportet.

III. Ex praesenti Resolutione non solum Decretum recognitum esse iam viribus destitutum; sed licet viguisset, applicari enarrato facto non potuisse.

IV. Quare subintrare ex duplici causa ius commune seu communem consuetudinem, quae non eo usque protenditur, ut in huiusmodi lugendis afflctionum eventibus, Parochi cogere possint defunctorum heredes ad rependenda emolumenta funerum (1).

(1) Dixi: *non eo usque protenditur* etc. namque, quum inter christianos populos ab antiquo invaluerit illa piissima consuetudo deferendi cadavera ad templum cum precibus, Psalmis, associatione Clericorum, candelis et cereis ardentibus, Missasque celebrandi et alia huiusmodi ; receptissimum evasit apud imis Interpretes, ut mandari non debeat exsecutioni ultima defunctorum voluntas in ea parte, in qua iuberent eorum corpus humari sine ullo honere ab Ecclesia instituto: atque invaluit quoque consuetudo praesertim in Urbe, ut si funus non fieret, sive quia defunctus id non praeordinaverit, sive quia heredes id neglexerint, Parochus exigeret emolumenta funeris iuxta singulorum dignitatem, gradum, facultates, etc. De qua re exstat magistralis S. Rotae decisio coram Molines in *Romana Funeralium* diei 15 Iunii 1699, quam integram dabo in alio fasciculo, quae saltem ad historiam inris funerum multum conferet.

MISSAE PRO POPULO

Die 4 Septembris 1869.

Compendium facti. In urbe N. exstitit olim paroecia Prioraus S. Michaelis, cui ab immemorabili tempore adnexae fuerunt duae aliae paroeciae: una S. Venantii, altera S. Petri.

Parochus S. Michaelis a remoto tempore prospiciebat duabus illis paroeciis unitis per Capellanum seu Coadiutorem. Hic Capellanus festis praesertim diebus S. Venantii ecclesiam petebat, Missam aliaque paroecialia munera expleturus.

Verum, venientibus annis, hic agendi modus Parocho gravis, et paroecianorum S. Venantii praesertim desideriis haud respondens videri coeptus est. Quare inter hos et illum, inita conventione, statutum fuit, ut Capellanus amovibilis ad nutum Parochi continue apud ecclesiam S. Venantii residere teneretur, aedificatis prius vel refectis populi sumptibus paroecialibus aedibus. Hac de causa adsignati fuerunt Capellano redditus in determinata frumenti tritici quantitate, partim a Parocho, partim vero a S. Venantii paroecianis rependenda.

Res ita processisse videntur usque ad annum 1825. Eo enim tempore Episcopus, Apostolicis praeditus facultatibus, Prioratum ecclesiae S. Michaelis suppressit atque incorporavit ecclesiae plebanae S. Facundini eiusdem urbis *cum omnibus iuribus, pertinentiis, honoribus et oneribus adiunctis.*

Antiquitus, ut dixi, Capellanus a Parocho constituebatur: sed hodie' haud amplius ab ipso, sed ab Episcopo praeficitur, et unius ecclesiae S. Venantii curam gerit. Ratio, et annus quo id fieri coeptum est, latet, prout latet, utrum et a quo Missa pro populo applicata fuerit. Nec mirum si haec ignorantur, quandoquidem, gallico dominante milite, archivium ecclesiae S. Michaelis flammis traditum fuit. Illud tamen unum certum apparet, post annum scilicet 1849 per Episcopos onus Missae pso populo Capellano demandatum fuisse; sed Episcoporum iussa numquam exsecutioni mandata sunt.

Quamobrem, anno vertente 1868, hodiernus Episcopus in actu S. Visitationis Decretum edidit quod sequitur: « Quum ex « actis SS. Visitationum huius dioecesis, et praesertim 8 Octo-

« bris 1573, 28 Novembris 1615, 2 Novembris 1638 constet eccle-
« siam S. Venantii esse vere paroecialem ecclesiam, dicimus Pa-
« rochum eiusdem ecclesiae ad Missam pro populo teneri. Et
« quum in S. Visitatione ibidem per Nos peracta 6 Novembris
« anni praeteriti de huiusmodi adimplemento certiores facti non
« fuerimus, iniungimus, ut, infra duos menses a Data huiusmodi,
« actualis eiusdem ecclesiae Parochus de adimplemento certos
« nos reddat, vel absolutionem ab omissis a S. Sede Apostolica
« obtineat: volentes insuper ut in posterum applicetur... prout
« de iure. »

Ex huiusmodi episcopali Decreto Capellanus S. Venantii, se gravatum existimans, preces S. Congregationi obtulit, quibus postulavit, ut declararetur: I° an pro populo S. Venantii applicari deberet diebus festis Missa; vel potius satis esset Missa, quam applicaret Plebanus S. Facundini: et quatenus affirmative ad primam partem : 2° an Missa applicari deberet a dicto Plebano, potiusquam a Rectore ecclesiae S. Venantii.

Hoc accepto libello, de more Episcopo rescriptum est, ea de causa, ut, transmisso exemplo Decreti editi in S. Visitatione et audito Plebano S. Facundini, referret, an ecclesia S. Venantii constitueret veram paroeciam in titulum erectam, seu potius esset mere succursalis; suamque in re panderet sententiam.

Mandatis obsecutus Episcopus inter cetera rescripsit: «Naturam et characterem ecclesiae S. Venantii ut agnoscere m, quae praesto sunt monumenta investigavi. Quod si tempus in quo haec ecclesia illi S. Michaelis unita fuit sciri non potest, certum famem est, ante annum 1573 id evenisse. Ex actibus enim S. Visitationis Apostolicae anni 1573 habetur, quod tunc iam haec unio exsisteret, et dum hoc habetur, habetur etiam, dictam ecclesiam esse paroecialem; legitur siquidem: *non intermitiendo eandem Visitationem devenit ultimo ad proecialem ecclesiam S. Venantii adnexam Prioratui S. Michaelis.* Quae clarius ex praescriptionibus Priori S. Michaelis tum factis: voluit enim ille Episcopus per Coadiutorem provideri Ecclesiae S. Venantii, quam paroecialem vocat, et residere hunc Coadiutorem iussit. Utrumque ex sequentibus eruitur; *Ipse Prior adjungat sibi aliquem Coadiutorem idoneum pro officiatura et cura duarum paroecialium S. Venantii et S. Petri adnexis suo Prioratui, et extra terram deserviat per substitutum, qui assidue resideat in loco ipso S. Ve-*

nantit et suppleat necessitates loci S. Petri, quum utraque paroecia in filiarum numero non-, di ff erat Nec aliter habetur in S. Visitationis actibus anni 1615, quum legatur: *Visitator se contulit ad paroecialem ecclesiam S. Venantii unitam Prioratui S, Michaelis:* reprehenditur Prior, qui non providet dictae ecclesiae per Capellanum residentem *in aedibus presbyteralibus ad hunc effectum parochianorum sumptibus constructis.* In S- Visitatione ab eodem Episcopo peracta anno 1638 dicitur ecclesia supradicta, *Membrum S. Angeli,* et vocatur ecclesia cum animarum cura per haec verba: *ecclesia praedicta est curata, et cura exercetur a Gapellano amovibili ad nutum.* Idipsum legitur in S. Visitatione alterius Episcopi ubi habetur: *Ill.mus... se contulit ad ecclesiam paroecialem S. Venantii membrum prioralis ecclesiae S. Michaelis. »*

Episcopus iuxta mandatum percontatus est Plebanum S. Facundini, qui rescripsit: «coniunctam fuisse ecclesiae plebànae S. Facundini, uti filialem, eam ecclesiam S. Venantii: eandem ecclesiam et terram esse partem paroeciae [eius Plebaniae; id clare erui ex iure quod Plebanus pro tempore haberet exigendi omnes decimas a Paroecianis; ex obligatione, quam idem Plebanus haberet dandi illis candelas die festo Purificationis: erui quoque ex titulo Capellani-Curati quo appellaretur Presbyter, qui eam ecclesiam administraret ; ex exemptione (prout fertur) qua |frueretur idem Presbyter, applicandi Missam pro populo diebus festis ante annum 1849: id denique erui ex quadam por tione, quam illi paroeciani rétribuèrent Capellano-Curato sub titulo officiaturae seu residentiae. Eiusmodi notitias ostendere, Plebanum S. Facundini esse quoque Parochum ecclesiae S. Venantii. Se autem, notitiis deficientibus, rationem adducere non posse, cur post annum 1849 pro Capellano-Curato eius ecclesiae inceperit applicatio Missae pro populo ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE EX OFFICIO SUNT ANIMADVERSA. Commemorata Tridentini Concilii doctrina *cap.* 1 *sess.* 23 *de Refor.,* in quo Patres describentes pastorale munus edixerunt: *Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum' cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prae-*

ìdicatione etc.pascere: **commemorata doctrina S. C. G. iugiter declarante, onus applicandi Missam pro populo in Parochos incumbere ratione paroecialis officii, id confirmante Const. Benedicti XIV.** *Cum semper oblatas:* **animadversum est, saepe quaestionem agitatam fuisse, num Parochi duabus paroeciis unitis praepositi duplicem applicare, sive per se, sive per alios, Missam tenerentur; et S. Congregationem constanter respondisse, Parochos ab hac obligatione haud esse solutos, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, ceu, discusso articulo, declaravit** *m Lucen. Applicationis Missae pro populo, die* **26** *Febr.* **1774. Proposito enim dubio: « an Parochi duabus paroecialibus ecclesiis praepositi teneantur « Dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque ecclesia, « sive per se, sive per alium, applicare pro populo in casu» E.mi Patres respondere censuerunt :** *affirmative, exceptis tantum paroeciis unitis unione plenaria et extinctiva ; et scribatur Episcopo iuxta Instructionem.* **In hac Instructione rescribi iussit ad Lucensem Episcopum:** *«Sacram Congregationem numquam dubitasse, quod Parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo singulis diebus Dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis paroecialibus, quae vel aeque principaliter vel subiective coniunctae atque incorporatae sunt ; quum applicatio unius tantummodo Missae pro populo locum habeat in iis paroecialibus, quae invicem adeo unitae, coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterutrius evaserit.*

Hoc posito, illud inquirendum esse in themate observabatur, qua unione copulata fuerit ecclesia S. Venantii cum ecclesia antiquitus S. Michaelis, nunc S. Facundini. Quod ut accuratius disquireretur, consideratae sunt variae unionis species, quae in huiusmodi quaestionibus solent considerari.

Consideratum est, iuxta canonicam iurisprudentiam tres distingui unionum species ex diversitate modi, quo Beneficia uniuntur : alia enim uniri *accessorie* **seu per modum** *subiectionis,* **quando unum ita adnectitur alteri, ut, mediante ea adnexione seu incorporatione, evadat** *membrum subiectum, inferius, accessorium, adhaerens illius ac dependens ab eo cui unitur,* **de quo exemplum est in textu in cap.** *Quia monasterium, de Religiös, domib,* **et Glossa id tradit in** *cap.* **1,** *Ne sede vacant,* **verb.** *Uniendo,* **ibique Fagnanus** *n.* **3, Gonzalez** *ad Reg.* **8** *Cancell.* **aliique.**

Alia uniri *aeque principaliter,* quando duo Beneficia seu duae ecclesiae vel plures ita connectuntur, ut neutra alteri subiiciatur, sed unaquaeque sua iura, privilegia, praeeminentias ac titulos retineat ; de qua unionis specie ita loquitur Gonzalez *ad Regulam* 8 *Gancell. Glos.* 5 §. 7 *n.* 29: «tertio modo fit unio duarum dioe- « cesium vel ecclesiarum quoad caput et gubernatorem, ut utraque « remaneat cum suis propriis bonis et iuribus distinctis separatis « et non communicatis prius, sed habeat unum dumtaxat Epi- « scopum et Rectorem, et quaelibet retineat sua privilegia et iura « et statuta, ut accidit in Episcopatu Viterbiensi et Tuscanensi ; « quia licet sint duae dioeceses, unus tamen solus Episcopus est. « Et quum Episcopus rescribit super concernentibus iurisdictionem « et administrationem Episcopatus Viterbiensis, se nominat Epi- « scopum Viterbiensem et Tuscanensem: si vero supar concernen- « tibus Episcopatum Tuscanensem, se inscribit Episcopum Tu- « scanensem et Viterbiensem, semper anteponendo nomen illius « dioecesis in qua consistit res de qua agitur ».

Consonat Leuren. *For. benf. p.* 3 *sect.* 2 *v.* 1 *q.* 83 *n.* 2, qui rem ita declarat: «verum idipsum distinguendum: videlicet ut « unus sit Rector duarum ecclesiarum, dupliciter fieri potest: « nempe vel accidentaliter in hac persona tantum ex quadam « particulari commendatione, ipsarum ecclesiarum statu nulli- « mode immutato (quam etiam unionem potius de facto, quam. « de iure, uti et personalem tantum et accidentalem vocat Card. « De Luca *ad Trid. disc.* 8 *n.* 33); vel ex perpetua unione di- « ctarum ecclesiarum, Card. De Luca in *Misceli, disc.* 1 *n.* 38 « Qui etiam ibidem ait, hanc posteriorem unionis speciem in « cathedralibus praesertim magis in usu esse, quae tunc vere « et de facto inter se habentur pro duabus invicem distinctis, « quamvis unum habeant Gubernatorem, qui quoad se dicitur « unus et idem, sed quoad eas habetur pro duplici homine di- « verso seu discreto ».

Alia denique uniri *incorporative seu promiscue,* scilicet quando unum vel plura Beneficia ita uniantur, ut de duobus vel pluribus unum tantum efformetur et in unum corpus coalescant; quae quidem incorporativa vel promiscua unio fieri potest per specialem subiectionem unius ad alteram per quandam absorptionem, vel promiscue per quandam adaequationem, ex quibus unionibus resultat privilegiorum communicatio, ita ut remaneat et commu-

nicetur id, quod in alterutro Beneficio seu ecclesia unita maius fuerit: Pitonius *discept, eccles.* 9 46; etpraesertimRecIus.jp. i *tit. lì de iripl. union, n.* 130 *et seqq.*

Posita hac triplici unionis specie, quaerere sibi solere Auctores, quaenam species unionis in dubio sit praesumenda: atque tradere, in dubio praesumendam esse unionem aeque principaliter factam, non autem accessorie et subiective, quum haec unio reputetur odiosa; multoque minus promiscua, quum haec praeterea rarior sit: Garzias *de Benef. p.* 12 c. 2 *n.* 7; Leuren, *for. benf. p.* 3 *sect.* 2 c. 1 g. 881, aliique.

Ad dignoscendum vero utrum unio censenda sit accessorie vel aeque principaliter facta, inspiciendum imprimis esse tenorem litterarum, quibus Beneficia uniantur, eosdemque Auctores tradere, ecclesiam uniri accessorie per verba: *Ecclesiam vel Beneficium illi Beneficio unimus, adnectimus vel incorporamus :* contra vero aeque principaliter uniri per verba: *illud et illud Beneficium unimus.* De qua re tamen adnotandum, quod, licet quandoque verba, prout sonant, soleant indicare unionem accessorie factam, attamen magis substantia et mens sonsideranda sit, quam nuda verba, ita ut ad arguendam unionem aeque principalem, ne verbum quidem *incorporamus* aliquando difficultatem ingerere valeat: Pignatell. *t.* **1** *consult.* 223 *n.* 13.

Hisce consideratis, inquirendum supererat, quanam unione copulatae fuerint paroeciae de quibus agimus. Atque animadversum est, subiectivam videri peractam fuisse unionem, quum ecclesia S. Venantii titulum servaverit; paroecialis appellata iugiter fuerit; distinctum populum haberet; tamquam membrum alterius habita, quae quidem, et cetera eiusmodi simul iuncta excluderent tum secundam, tum tertiam unionis speciem.

Exsistente autem eiusmodi unione, consequi, Missam pro populo S. Venantii esse celebrandam : neque consuetudinem adversus exercitium huius pastoralis muneris posse suffragari, Benedicto XIV. edicente in allegata Constitutione : « *Decernimus et declaramus... quod licet antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo in ipsorum paroeciis obtinuerit, ut Missa pro populo non appii-, caretur, eadem nihilominus in posterum ab ipsis debeat applicari* ».

Sed inquirendum tamen supererat, ad quem spectaret eiusmodi onus, an ad Capellanum-Curatum, vel potius ad Rectorem S. Facundini. De qua re animadversum est, certum esse; eos

omnes, qui actualem animarum curam exerceant, ad Missam pro populo applicandam teneri, sive Parochi sint, sive oeconomi, sive Capellani, sive ad breve tempus deputati, vel ad nutum amovibiles : Benedictus XIV. in dicta Const. *Cum semper oblatas,* et S. C. C. passim ; nomitatim vero in *Terracinen.* die 4 Martii 1799, in qua proposito dubio : « An Capellani-Curati amovibiliter a « Capitulo deputati pro exercitio curae animarum teneantur « diebus Dominicis et festis Missam applicare pro populo », responsum fuit: *Affirmative.*

Quare Capellanum S. Venantii, quum actu exerceret animarum curam, debere ipsum Missam pro populo non tantum celebrare, sed etiam applicare, concludebatur.

Nihilominus ponderatum est, rationes-in praesenti themate non deesse, quae aliud suaderent: spectata namque rei origine, Rectorem S. Facundini habuisse integram et actualem paroeciarum unitarum curam, quum usus fuerit altero Presbytero tamquam Coadiutore seu Vice-Parocho : idque patere quoque tum ex iure eligendi, deputandi removendique Capellanum, quo per saeculum et amplius potitus fuerat; tum ex iure exigendi universas decimas a populo S. Venantii, nec non ex onere subministrandi candelas diribendas die Purificationis B. M. Y. sacra: e converso tenues esse redditus pro Capellano constitutos, neque videri in his redditibus assignandis comprehensum fuisse onus applicandi Missam pro populo S. Venantii, quae, uti fertur, antea non applicabatur.

His aliisque consideratis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et a quo applicanda sit Missa pro populo diebus Do- « minicis et festis in casu».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita die 4 Septembris 1869, respondere censuit: *Affirmative in ecclesia S. Venantii expensis Parochi S. Facundini.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. In singulis paroeciis singulas applicandas esse Missas pro populo Dominicis festisque diebus.

II. Neque interesse, an paroeciae unitae fuerint alteri tamquam principali: quousque enim paroeciae aliqua reali ratione distinctae maneant, ius illud paroecianorum habendi sibi applicationem Missae, singulis paroeciis inhaerens, haud cessat.

III. Quare Parochum, qui plures paroecias unitas regit, tot pro populis Missas applicare debere, quot sint paroeciae unitae sibi subiectae (1).

IV. Excipi tantum casum, quo ea ratione paroeciae fuerint unitae, ut, suppressis quoque titulis, una prorsus ex plurium commixtione aut absorptione evadat.

V. Neque suffragari contrariam inductam consuetudinem etsi immemorabilem. Ea enim consuetudo adversaretur muneri pastorali, quod originem suam repetit a divino iure; quamquam ex ecclesiastica lege sit Presbyteris ex parte commissum atque determinatum (%).

VI. Onus applicandi Missas pro populo in eos omnes incumbere, qui actu exercent animarum curam, sive eam exerceant nomine proprio, sive nomine alieno.

VII. Eos tamen, qui nomine alieno animarum curam exerceant, retributionem habere debere a Parocho titulari, si in redditibus adsignatis eiusmodi onus consideratum non fuerit.

VIII. In praesenti themate, paroecias ita fuisse unitas, ut titulo et re distinctae manerent.

IX. Parochum titularem per Capellanum vicarium prospicere paroeciae S. Venantii, adsignatis eidem redditibus, qui non comprehenderent onus celebrendi Missam pro eo populo.

X. Quare, urgente Capellanum officio applicandi eam Missam, Parochum titularem rependere debuisse, iustitia exigente, eiusdem Missae eleemosynam.

(1) Confer causam quam exposui in *Vol I. pag.* 1, et ea quae scripsi ibidem *pag. 50 et seqq.* Confer quoque causam ibidem *pag. 602.*

(2) Confer causam de applicatione Missae pro populo ex professo pertractatam in S. Congreg, de Propaganda Fide, cuius synopsim exposui in *Vol I. p. 389.*

ABSOLUTIONIS ET INDULTI

Die 4 Septembris 1869.

Summaria precum. Causam quandam retuli in *vol. I. pag.* 65, quae versabatur circa plures consuetudines, quae inoleverant in Capitulo cathedralis ecclesiae N. percipiendi scilicet quotidianas distributiones, quando Canonici abessent ratione alicuius ecclesiastici muneris a chorali servitio alieni; ut erant munus Rectoris, munus docendi in Seminario, officia nonnulla in Curia episcopali peragenda, etc. quae recolere possunt, qui velint, eam causam iterum legentes. Quum autem pluribus de causis illae Resolutiones, tum datae, non fuerint exsecutioni mandatae, Archiepiscopo exulante, quum, ex superveniexitibus novis rerum adiunctis, Archiepiscopus, praeter absolutionem a Canonicis imploratam, postularet, ut illi, qui in Seminario docerent et curiae operam suam impenderent, percipere possent distributiones quotidianas tempore absentiae iuxta eiusdem Archiepiscopi conscientiam, quum deessent redditus tum seminario, tum curiae: S. Congregatio, re perpensa die 4 Septembris 1869, ita rescripsit: *Praevia absolutione et condonatione quoad praeteritum, pro gratia indulti abessendi a choro pro diebus et horis favore Rectoris et Magistrorum Seminarii tantum; dummodo nihil emolumenti in pecunia recipiant, amissis distributionibus quae inter praesentes distribui solent, ad triennium, facto verbo cum SS.mo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Licet evidens ecclesiae utilitas inter causas numeretur abessendi a choro et distributiones percipiendi, iuxta cap. *Consuetudinem de Clericis non residen, in* 6° : attamen nomine ecclesiae intelligi eam ecclesiam, cui servitium chorale debetur.

II. Latiori sensu intelligi posse ecclesiam universam, vel etiam dioecesim, ita tamen, ut hoc in casu Apostolicum indultum sit necessarium ad distributiones tempore absentiae légitime percipiendas.

————&n————

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

LUCIONEN»

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

LUDOVICI MARIAE GRIGNON DE MONTFORT

INSTITUTORIS CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM MISSIONARIORUM SOCIETATIS MARIAE, VULGO NUNCUPATAE SPIRITUS SANCTI, ET PUELLARUM SAPIENTIAE

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum; nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum de quo agitur.

DECRETUM. «Inter Viros quos ad Apostolicum Ministerium obeundum iugiter ad haec usque tempora praeclarissima Gallorum gens genuit atque aluit, erit recensendus Venerabilis Ludovicus Grignon. Hic anno MDCLXXIII. primam aspexit lucem in Britanniae minoris Pago Montfort, a quo cognomen sumpsit. Pueritiam et adolescentiam in timore Domini piissime transegit, donec, emenso prius Rhedonibus litterarum et philosophiae curriculo, Parisiis penes Sodales Sulpicianos theologicis disciplinis excultus, Sacerdotio meruit initiari. Coepit illico pauperibus in Hospitiis collectis fidei rudimenta tradere, eorumque curam suscipere. At misertus infidelium in tenebris et umbra mortis sedentium, ad eorum salutem convolare exoptabat; voluit tamen almam nostram adire Urbem, ut Apostolorum Limina inviseret, suumque propositum Summo Pontifici Clementi XI. sa. me. significaret. Ab ipso tamen audivit, ad Galliae potius quam ad barbarorum utilitatem curandam fuisse a Deo selectum, ut ad-

versus Iansenianam haeresim tunc' late grassantem strenue dimicaret. Hisce excitatus verbis in spiritu et virtute Eliae zelo exarsit pro Domo Dei, et in Galliam reversus .Missionarii Apostolici munere auctus Sacro Missionum Ministerio quoad vixit se plane devovit: eo quidem successu, ut pene innumeros peccatores quantumvis perditissimos ad salutis tramitem, plurimosque haereticos ad Christi ovile perduxerit; oppidorum mores passim immutaverit, ac Iansenianam luem a Clericis propulsaverit. Duo insuper instituit Sodalitia: unum Presbyterorum a Sancto Spiritu nuncupatum, qui sacris Missionibus per varias Galliae regiones sedulam impanderènt operam; piarum Virginum alterum, quibus a Divina Sapientia nomen indidit, voluitque ut quibulisbet pauperum necessitatibus ipsae opem ferrent. Demum strenuus hic Eliae imitator, ob grave laborum pondus viribus destitutus, persecutionibus divexatus, calumniis lacessitus, opprobriis saturatus ad vitae exitum pervenit. Ecclesiae Sacramentis munitus est, et vehementer cupiens dissolvi et esse cum Christo, in eius osculo placidissime obdormivit IV. kalendas maias anno MDCGXVI. Fama sanctitatis eius, quae dum viveret tot inter obtrectatorum convicia semper floruit, post obitum per universam Galliam magis in dies diffusa est. Instructis itaque auctoritate Ordinaria in Dioecesi Lucionensi processibus, iisque probatis, Summus Pontifex Gregorius XVI. sa. me. in pervigilio Nativitatis Deiparae anno MDGCCXXXVIII. ,Commissionem Introductionis Causae propria manu signavit. Expeditis dein litteris remissorialibus, conditi sunt processus Apostolici in eadem Lucionensi- Dioecesi. Sancita eorum validitate, dubium de virtutibus Venerabilis Servi Dei Ludovici agitari coepit, iuxta probatum morem, a Sacrorum Rituum Congregatione, locumque habuere Antepraeparatoria Comitia penes Cardinalem Clementem Villecourt cl. me. V. idus ianuarii anno MDCGCLXVI. Deinde iterum propositum fuit dubium in Praeparatorio Coetu apud Pontificales Vaticanas Aedes collecto XVII. kalendas augusti anno MDCCCLXVII. Quum autem ad tutiorem causae exitum assequendum instasset Postulator, ut alia Praeparatoria Comitia cogerentur, haec, venia a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. impetrata, habita sunt XIV. kalendas martias hoc anno MDCGCLXIX. Postremo disceptatum est de virtutibus eiusdem Servi Dei in Generalibus Comitiis, quae coram eadem

Sanctitate Sua instituta sunt in iisdem Vaticanis Aedibus VI. kalendas augusti eodem vertente anno, in quibus Reverendissimus Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani, Cardinali Clementi Villecourt, qui e vivis excesserat, suffectus, idem proposuit dubium *« An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate, tum in Deum, tum in Proximum, nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, et ad effectum de quo agitur?* et R.mi Cardinales et Patres consultores suas ex ordine protulerunt sententias. Verum Sanctissimus Dominus, exceptis suffragiis, adhortatus est Suffragatores, ut secum interim funderent preces' ad impetrandum a Divina Sapientia lumen et consilium, quibus huiusmodi gravissimum expediretur negocium.

« Tandem hodierna recurrente die invictissimo caelestis militiae Principi Sancto Michaeli Archangelo sacra, Sanctissimus Dominus, postquam in privato Vaticani Palatii Sacello Sacrum fecit, in nobiliori eiusdem Palatii Aula solium conscendit, et ad se accivit R.mum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, simulque Reverendissimum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Páracciani Episcopum Tusculanum, Causaeque Relatorem, una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus edixit « *Ita constare de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum, ac de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Ludovici Mariae Grignon de Montfort in gradu heroico, in casu, et ad effectum dé quo agitur, ut procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum.*

« Decretum eiusmodi in vulgus edi et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit tertio kalendas octobris anno MDCCCLXIX ».

C. Episcopus Portuens. et S. Rufinae
CARD. PATRIZI S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Signi.

Dominicus Bartolini S. C. R. Secretarius..

APPENDIX IV.

DE EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS AD ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTERIENSEM DATA DIE 4 SEPTEMBRIS 1869; DEQUE NONNULLORUM PROTESTANTIUM RESPONSIONIBUS.

Occasione Epistolae SS.mi Patris ad Archiepiscopum Westmonasteriensem, quam retuli in fasciculo praeterito pag. 112, legere curavi, quae in publicis ephemeridibus Anglicanis ad eam epistolam referuntur. Ex quibus deprehendi, ortam antea fuisse quandam opinionum discrepantiam inter aliquos Protestantes in Anglia de sensu earum Litterarum, quas SS.mus Pater scripserat ad Omnes Protestantes et Acatholicos die 13 Septembris 1868, quamque retuli in *Vol. IV. pag. 131.* Alii enim existimabant, per eas Litteras Apostolicas invitationem fuisse factam Protestantibus, ut partem haberent in oecumenico indicto Concilio; alii vero accuratius eas perlegentes id negabant.

**Doctor Cumming, qui ad Presbyterianam sectam pertinet Archiepiscopum Westmonasteri ensem ea de re sciscitatus est, atque litteris mutuo datis, denique idem presbyterianus doctor, cogitans in arenam posse descendere in oecumenico Concilio ad disputandum, epistolam dicit scripsisse ad SS.mum Patrem, eamque misisse ad E.mum Cardinalem Patrizi, quam per ephemerides postea evulgavit his verbis: « Sancte Pa-
« ter, Protestantes et alios ab Ec-
« clesia Romana divisos et segre-
« gatos ad Concilium oecumeni-
« cum invitare tibi placuit. Gra-
« ti as per fervi das agimus et toto
« corde in Concilio a te indicto
« adesse desideramus. Ut certior
« fiam, quae et quanta libertas
« loquendi nobis concedatur, in
« pluribus epistolis ad Reveren-
« dissimum Doctorem Manning
« hoc anno litteras misi. Ille Re-
« verendissimus et doctissimis
« urbanitate plurima de hac re
« hisce verbis mihi rescripsit:
« Responsum de modo agendi tibi
« dare nequeo. Hoc reddere potest
« sola suprema auctoritas >. Te
«igitur Sancte Pater enixe et pre-
« cario rogo, ut si tibi placet cer-
« tiòr fiam, utram nobis detur in
« Concilio loquendi libertas et
« causas reddendi, quibus inducti
« Protestantes ab Ecclesia Roma-
« na sunt separati et divisi.**

**« Sanctitatis Tuae
« me servum profiteor**

**« Iohannes Cumming D. D.
« Ecclesiae
< Scoticae Presbyterianus »**

Evulgata hac epistola atque reliquis huic epistolae adiectis, Sanctissimus Pater mittere dignatus est ed Archiepiscopum Westmonasteriensem eam epistolam de qua loquimur: qua pariter per ephemerides evulgata, idem doctor Cumming atque nonnulli ephemeridum scriptores suas ideas patefecerunt.

Ea namque fuisset horum virorum intentio, ut facultas ipsis fieret in Concilio de rebus iam definitis disputandi ; et ea de causa, ut *vestigia fierent retrorsum,* non intelligentes, depositum veritatum revelatarum, quod catholica Ecclesia immaculate custodit atque definire tenetur, ne pertrahantur fideles in insurgentes in dies errores, nullatenus posse mutari.

Si quaeras in iisdem ephemeridibus, cur vestigia retrorsum sint facienda, nonnullas reperies indicatas rationes, ironicis saepe acribusque dictis commixtas, quae fere omnes non sunt aliud nisi parvulorum iandiu confracta iacula adversus rupem catholicae Ecclesiae et Apostolicae cathedrae emissa.

Atque ut praecipua referam, quae commemoratione digna esse videntur, hoc principium inscriptorum cogitatione versatur: « te-« nendum non esse tamquam ve-« rum, nisi id, quod unicuique « conscientia propria patefaciat >. Hoc autem positio, redarguunt laudatam Romani Pontificis epistolam tamquam indicentem absolutam separationem numquam conciliabilem inter Protestantes et catholicos; quippe in ea epistola principium oppositum statuatur, tenendum firmiter esse tamquam verum et infallibile, quod Romanus Pontifex aut Ecclesia catholica definiant.

Inter iacula, quae adversus rupem Romanae cathedrae, emittunt, veluti maximum est iudicium latum de Galileo eiusdemque doctrina.

Denique calumniantur atque obiurgant Romanam cathedram, tamquam studiose quaerentem sub suam veneficam, ut aiunt, atmospheram Protestantes pertrahere.

Expedit referre, quae inter cetera scripsit auctor articuli anglicanae et vulgatissimae ephemeridis, cui titulus *The Mail (seu The Times),* numero 15, 505, die 21 Septembris 1869, in quo praecipuus quaestionis status exponi videtur Eius verba latine conversa sic sonant : « Quaestio ver-« satur in iuribus conscientiae et « libertatis nationalis, socialis et « individualis. Quando Lutherus « dixit, se *aliter facere non posse,* < quam iuxta suam conscientiam « agere, etiamsi Papa ipsum dam-« nasset, ipse enunciavi! essentiale « principium oppositionis inter

« Papatum et cetera christianita-
« tis corpora. Moderna societas
« respondere posset iuri in ea epi-
« stola (Romani Pontificis) asserto
« simili omnino ratione: *non ali-
« ter facere non possumus praeter
« id, quod facimus.* I*apa dicit,
« non posse denegari aut in du-
< bium revocari, Fundatorem Ec-
« Iesiae absolutam commisisse
« auctoritatem Petro. Nos respon-
« demus, non solum id posse re-
« vocari in dubium, sed in facto
« reapse de eo dubitatum, quin
« immo et negatum. Nihil tam
« certum dici haberi que potest,
« quod in dubium revocari non
* possit: ex quo tamen non con-
« sequitur, ut veritas sit irreperi-
« bilis, sed ut homines agere de-
beant iuxta propriam conscien-
« fiam, utque discussio libera
« atque continua habeatur. Hic
« est ipse ille aer quem respira-
it mus, quique numquam deseri
« poterit causa amplectendi ve-
« neficam atmospheram Papalis
« aut ecclesiasticae infallibilitatis.
« Si dicta epistola sit indicatio
« aliqua incitationis Concilii,
« atque si exitus huius magni
«conatus Romanae Eclesiae sit
« proclamatio aeternae separa-
« tionis a quavis idea non ca-
« tholica, Papa certe officium
« inaestimabile mundo explevit,
« quamquam oppositum illi, quod
« ipse sibi repromittit. Ipse effecit,
« ut homines semel pro semper
« persuasi evadant, sperandam
« non esse cum eius Ecclesia con-
« ventionem vel consociationem,
« atque libertatem cogitandi sen-
« tiendique Protestantium (quid-
« quid de ea sit in abstracto con-
« siderata, utrum desiderabilis
« vel non) esse unicam condi-
« tionem possibilem perduratu-
« ram » (1).

Doctor Cumming, qui in arenam, ut ipse ait, descendere cogitaverat coram catholica Ecclesia per Praesules in concilio coadunata, quendam propositionum seu postulatorum elenchum in ephemeride *The Times* inseruit, quae non aliud continent nisi specimina neniarum, quas tribus

(1) '• The question is that of the rights of conscience and of national, social, and individual freedom. When Luther said that « he could do no other » than act on his conscience, even if the Pope conderaned him, he enunciated the essential principie of antagonisti) between the Papacy and other bodies o Christians. The modero world may reply to the claim asserted in this letter in precisely similar language. « We can do no other » than we do. The Pope says « it cannot be denied or doubted » that the Founder of the Church committed absolute authority to Peter. We réply, not only that it can be doubted, but that it is, in fact, both doubted and denied. There is nothing so certain as to be beyond all possibility of doubt, and the resuit is, not that thrut is unattainable, but that men must act on their

abhinc saeculis Protestantes obiecerunt catholicae Ecclesiae, quaeque in quovis catholicae theologiae opere ad usum tironum conscripto confutatae solent reperiri. In.hoc tamen singularis est ille propositionum seu postulatorum elenchus, quod ea venditet tamquam nova, quasi vero catholici doctores numquam de iis scripserint, atque ea penitus ignoraverit: ideo doctor Cumming a Concilio oecumenico postulat solutionem atque lucem.

Nonnulla indicabo, quae in dicto elencho continentur. Prima propositio versatur circa celebre testimonium, quo Christus Dominus remuneratus est praeclaram confessionem Petri per verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* **Praefatus doctor contendit, sub nomine** *petrae* **Christum Dominum indicasse seipsum, non autem fecisse Petrum petram. Haec est nenia prima. Deinde succedit postulatum primum, quo illequaerit: Poterit ne Concilium explicare, cur Petrus habuerit uxorem, et e converso Romani Pontifices cetterique Praesules et Presbyteri uxorem ducere non audeant? Postulatum secundum: Poterit ne Concilium explicare, cur Petrus, Vicarius Iesu Christi, a Paulo reprehensus,non excommunicaverit ipsum Paulum', sed e converso morem suum emendaverit? Haec et alia id genus ipse postulat.**

Sed adeas, doctor carissime, Parochum quemvis catholicum, qui te docebit, et lucem, quam neque Concilium tibi dare forte posse autumas, uberrimam a Parocho habebis.

Expedit nihilominus, nonnulla breviter expendere, quae indicavit auctor articuli ephemeridis *The Times,* **quem retuli.**

DE LIBERTATE CONSCIENTIAE

Vos itaque asseritis, non posse vos agere praeter conscientiam, quemadmodum, Lutherus dixit, quem ut magistrum vestrum hac in re invocatis. Sed heic quaerere possem, quid conscientiae nomine

consciences in regard to it, and that discussion must be free and continuai. This is the very air we breathe, and it will never be exchanged for the poisoned atmosphère of Papal or ecclesiastical infallibility. If this letter is an indication of the tendency ot the Council, and if the result of this great effort of the Roman Church be to proclaim an eternai séparation from ali « non-Catholic » thought, the Pope will hâve cofferred on the world an inestimable service, though in* the opposite way to that which he expects. He will bave convinced men, once and for all, that compromise or alliance with his Church is hopeless, and that the free thought of Protestantium, whether abstractedly desiderable or not, is the only condition any longer possible ".

intelligatis; namque solemne quoque est inter catholicos, se agere non posse nec debere contra conscientiam. Immo fatemur, posse in re facti contingere, ut agere teneamur contra ipsam latam auctoritatis ecclesiasticae sententiam; quandoquidem forum externum, ut loqui solemus, non semper cohaeret cum foro interno : et quoties forum internum in oppositione sit cum foro externo, primum sequi tenemur. De qua re consulendi sunt Auctores nostri catholici de morali teologia agentes.

Verum, si nomine conscientiae intelligatis rationis placitum uniuscuiusque, quod tamquam suprema et independens agendi norma sit habendum, assertio vestra non solum nulli rationabili fundamento innititur, ac erronea facile ostenditur; sed ea parumper per hypothesim ut vera admissa, funditus eo ipso everteretur totum Christi Domini aedificium, ita ut christianum nomen esset e terra delendum, corrueretque non solum fidei depositum, sed ordo ipse naturalis; namque et in ordine naturae obiectiva quaedam immutabilisque norma exstat, quae a placitis hominum nullimode dependet.

Ne autem videar haec, quae asserui, omnino indemonstrata relinquere, admisso per hypothesim vestro principio, fateri deberemus, depositum veritatum revelatarum, quod complectitur ea omnia, quae homo credere et agere debet ad aeternam consequendam salutem, non ut obligantem normam credendi agendique traditam hominibus fuisse, sed tamquam theoriam aliquam, ad quam considerandam homines invitati essent, ut inde, quid melius unusquisque sentiret, ad libitum teneret.

Ex quo consequeretur, Christum Dominum non constituisse Ecclesiam, id est eam mirabilem societatem, elemento humano et divino constantem, tot praeclaris parabolis praenunciatam et illustratam, quae unum constitueret corpus ordinatum et compactum ; sed in facto constituisse atque rénovasse Babelicam turrim, cui nomen Ecclesiae dedisset. Frustra constituisset magisterium, quod depositum veritatum revelatarum vigilanter custodiret, suam pollicitus in docentibus a se constitutis et designatis adsistentiam usque ad consummationem saeculorum. Falso dixisset : Qui crediderit salvus erit, qui non crediderit condemnabitur. Frustra Apostoli tanto labore, tantaque sedulitate et constantia doctrinam Christi evulgassent, atque adeo proprio eam sanguine confirmasset, ea nimirum firmitate, ut Paulus ad Galatas scribens edixerit;

Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui Vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium. Quod non est aliud nisi sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo an Deo. An quaero hominibus placere[1]*? Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem.* Frustra haereses damnavissent, quum haeretici iuxta dictum Lutheri principium neque dari potuissent. Frustra Apostoli Episcopos ordinassent, iisdemque ecclesiis praepositis commendassent, ut depositum vigilanter custodirent, aliisque sedulo traderent.

Consequeretur insuper, deceptos fuisse tot doctissimos viros ingenio virtuteque praestantissimos, qui lapsu saeculorum ad instar siderum emicuerunt, suas intendentes vires ad sacrum depositum immaculate custodiendum, omnigena scientiarum cultura fidelibus explanandum, atque adversus haereses in dies succrescentes strenue tuendum, vitamque suam conformandam iuxta leges evangélicas aut evangelica consilia, ut perfecti evaderent Dei homines: stultos existimandos esse innumeros illos viros, qui tot exquisitissimis cruciatibus subacti, mortem potius subire, quam veritates revelatas ab Ecclesia acceptas diffiteri maluerunt, ne vitam aeternam amitterent. Haec et alia consequerentur, quae ne indicare quidem eruditis opus est. Quamobrem si Protestantes non frustra christiano nomine gloriarentur atque sincera voluntate quaererent, eam utrum ipsi viam sectentur, quam Christus Dominus sectandam docuit ad salutem humani generis, non possent illico non videre, falsam eam esse, quam sectati sunt et sectantur; atque hoc primo lumine collustrati, gratia divina praelucente et coadiuvante, facile essent visuri, non haberi in humano genere aliam Christi Domini Ecclesiam, neque haberi posse, praeter eam, e cuius sinu iniqua haeresis eos divulsit, nullum dari posse aliud veritatum revelatarum depositum praeter illud, quod possedit et possidet, custodivit et custodit catholica Ecclesia.

Quando itaque dicitis, non posse vos agere aliter, quam iuxta vestram conscientiam ut independentem normam, enunci atis principium, quod totam subvertit revelationem, ita ut non nisi illusorie ipsum Christianorum nomen vobis usurpatis.

E converso Romanus Pontifex

vobis per laudatam epistolam significans immutabilitatem doctrinae catholicae definitae non ä iquid novi dixit, sed ingenue repetiit, quod ab Apostolis Ecclesia excepit per continuam traditionem. Ex quo perspicere deberetis, Pontificem vos alloquentem haud velle auctoritatem potestatemque suam protendere, ut vos iactatis, sed sollicitum de humani generis salute, invitatione sua vestrum curare reditum in sinum catholicae Ecclesiae, a qua estis avulsi, ut in arcam salutis redeatis.

Videtis inde, quantum discriminis intercedat inter illud *non possumus,* quod vos pronunciatis, et illud *non possumus,* quod Romanus Pontifex vobis adsignificavit; quippe quum primum, quod est humanum Lutheri inventum, absolute pendet a voluntate vestra; alterum, qu d est Christi Domini mandatum, neque a voluntate catholicae Ecclesiae aut Romani Pontificis pendet. Quod quidem Paulus ipse ad Ephesios scripsit, cap. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummatiotionem Sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circamferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate^ Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos traditerunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.*

DE PRIMATU HONORIS ET IURISDICTIONIS PETRO COLLATO IN UNIVERSAM ECCLESIAM CHRISTI DOMINI.

Romanus Pontifex scripsit, *extra disputationis aleam constitutum esse primatum, non honoris tantum, sed et iurisdictionis Petro eiusque successoribus ab Ecclesiae Institutore collatum:* vos autem respondens, non solum non posse non dubitari, sed reapse in facto de eo dubitatum esse, immo et negatum.

At animadvertite, quaeso, heic non quaeri, utrum in facto de eo fuerit dubitatum aut negatum, sed quaeritur utrum *iure* dubitatum negatumve sit. Namque inter omnes veritates revelatas, quas forte modo ipsi tenetis, nullam reperietis, quam ab haereticis non fuerit aliquo tempore negata, aut saltem in dubium revocata. Immo, nonne quaedam veritates quoque habentur, de quibus disputatio fuit inter ipsos catholicos, priusquam Ecclesiae magisterium aut explicite definiverit, aut saltem, communissima invalescente doctrina, audaces opiniones non oppresserit? Num idcirco dicendum erit, eiusmodi veritates extra dubitationis aleam non esse positas?

Quaerite itaque, utrum *iure* denegari possit aut dubitari, Fundatorem Ecclesiae commisisse Petro primatum tum honoris, tum iurisdictionis. Neganti enim aut dubitanti résistèrent tum classica SS. Scripturarum testimonia, tum facta plura in Scripturis enarrata, tum plurima et solemnissima historica facta, quae explicari intelligique nullimode valerent, nisi supponeremus, Petrum fuisse auctum dicto primatu inter ipsos Apostolos. In comperto namque est, duplici modo posse facta demonstrari: aut per aperta testimonia, aut per alia facta, quae explicari intelligique non possent, nisi verum supponamus factum illud, de quo quaeritur.

Non est heic locus tractatum 'biologicum dandi, neque id facere opus est, quippe quum doctissimi viri id iam praestiterint, omnesque Protestantium cavillationes adversus Petri primatum iandiu penitus disiecerint. Placet nihilominus aliquod vestigium de Petri primatu inter Apostolos, et proinde in universam Ecclesiam, ex SS. Litteris recolere, omissis classicis testimoniis.

Si Petrus inter Apostolos non obtinuisset primatum tum honoris, tum iurisdictionis, puto id melius nos cognoscere non posse, quam ex Apostolo Paulo, praesertim in epistola ad Galatas. In ea namque epistola totus erat Paulus, ut sibi auctoritatem conciliaret, quoad posset maximam, adversus fideles iudaizantes, qui contra ipsum Paulum invocabant auctoritatem Petri ceterorumque Apostolorum. Paulus enim ingenio fervidissimus in ea epistola tradit totam sui Apostolatus gestionem, in eo maxime intentus, ut ostenderet, evangelium, quod praedicaret, se non accepisse ab homine, sed per revelationem Iesu Christi; ideoque mereri se maximam fidem.

Poterat ne occasio opportunior dari fervidissimo Pauli» ingenio, ut suam vindicaret independentem auctoritatem, atque

deleret opinionem, quae de potissima Petri auctoritate in ecclesiam universam invaluerat, dicendo, frustra eos invocare auctoritatem Petri, quum eidem potior auctoritas prae ceteris omnibus a Christo Domino collata non esset? Sed Paulus non solum haec non dixit; sed immo talia significavit, ut et veram esse opinionem nascentis catholicae ecclesiae de auctoritate Petri ostenderet, suamque ab eo necessariam dependentiam in doctrina et communione fateretur.

In hac Pauli epistola (ex qua inepte Protestantes nonnulli, inter quos doctor Cumming, argumenta contra Petri primatum peti posse putant) duo illa effata preformata continentur, mutuo inter se cohaerentia, quorum unum S. Ignatii Martyris (epist, ad Smyrn. n. 8). *Ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est ecclesia:* et alterum S. Ambrosii (in Psal. L. n. 30) « Ipse est Petrus, cui dixit Christus : tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. *Ubi ergo Petrus ibi Ecclesia* ».

Et re quidem vera in toto contextu capitis primi et secundi eiusdem epistolae partim implicite, partim quoque explicite suam fateri cogitur a Petro dependentiam in"munere Apostolatus, atque simul ex ipsa dicendi ratione patefacit in catholica nascente Ecclesia, sive apud circumcisus, sive apud gentes, Petrum fuisse virum famosum, eiusque auctoritatis, ut ceteris omnibus esset norma credendi.

Ita Paulus c. *1 v. 15:* « Cum *autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni lerosolymam ad antecessores meos Apostolos.* Sed quis te cogebat, Paule, lerosolynâm venire ad antecessores tuos Apostolos? Cur eos praeferre videaris illis ipsis, qui tibi iuncti erant carne et sanguine? Nonne satis tibi esse debuerat revelatio Filii in te, ut illum evangelizares in gentibus ? Ecquid amplius quaerebas? *Sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum, deinde post annos tres veni lerosolymam videre Petrum.* Quaerebas itaque venire lerosolymam, ut videres antecessores tuos Apostolos, quos ideo videre quaerebas, ut Petrum videres. Hac de causa suscepto itinere a Damasco, quievisti paulisper a tuo apostolatu, quamquam continuo non acquievisti carni et sanguini. Non peto nunc a te Paule, cur, quem quaereres, *Petrum* appellas, quum antea *Simon* appellaretur, sed potius cur satis tibi fuit videre Petrum, et cur alios antecessores

tuos negligere videaris? namque dicis: *et mansi apud eum diebus quindecim, alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini:* satis enim omnes antecessores tuos, quos quaerebas, vidisse visus es per visitationem factam Petro atque mansionem apud eum diebus quindecim; quippe vix mentionem facis de iacobo, quamquam eum appelles fratrem Domini. *Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Sed absit, Paule, ut ego te mentiri putem; verum tamen dic mihi cur quaesivisti videre Petrum? Video tibi satis fuisse videre Petrum, nec alios invisere curasti, quum subiungas: *Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae. Eram autem ignotus facie ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo ; tantum autem auditum habebant : quoniam qui persequebatur nos aliquando expugnabat : et in me clarificabant Deum.* Optimum quidem testimonium immaculatae fidei tuae, quam praedicabas, habitum ex ecclesiis Iudaeae; quam quidem fidem quum nec a Petro, quem vidisti tantum post annos tres ab initio tui Apostolatus, apud quem postea mansisti tantum dies quindecim, nec a ceteris Apostolis, quorum, Iacobo excepto, nullum vidisti, et te non mentiri credimus, consequitur quoque fidem, quam praedicabas, te accepisse per revelationem Christi Domini, ut antea affirmasti: quae quum ita sint, quis auderet tantae auctoritati doctrinae tuae refragari ? *Ubi enim fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia.* Et ideo causam non video, quae te quodammodo cogeret venire Ierosolymam visurum antecessores tuos Apostolos, ut videres Petrum : non enim mihi videor posse dicere, te honoris tantum gratia eum invisisse; nam tu civis Romanus, in Lege excellens, noscebas quoque qualis ille fuerit: tu revelationibus divinis praeclarissimis auctus ad tertium quoque caelum sublevatus non inferior certe eras illo; immo multo maior, inspectis laboribus tuis, te ad Corinthios *1 c. 15 v. 10.* dicente : *abundantius illis omnibus laboravi ;* tibi enim ingens messis designata est, cuiusmodi erant gentes, quae mundum replebant. His autem inspectis, Petrus potius honoris causa ad te venire debuisset, ut obsequens congratularetur tibi. Dixi obsequens; nam non ipse revelavit filium Dei in te. Verum, si quid intelligo, ideo quaerebas usque ab initio apostolatus tui videre antecessores tuos, ut videres Petrum ; quia quemadmodum nunc falsi fratres Galatae resistebat tuae doctrinae, quod non videbaris illis aliquid esse, appellantes ad Petrum tamquam ad supremum fidei magistrum (quo animo id facerent nescio) ; ita tu

absque ulla dubitatione ab initio tui apostolatus, noscebas Petrum esse Apostolorum caput atque proinde Ecclesiae caput, quocum necesse tibi erat convenire.

Gaudeo autem, Paule, quod tu ipse id fatearis, quum candide subiungas : *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi lerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem '• ct contuli cum illis evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Apostoli itaque, qui erant Ierosolymae, tantae erant auctoritatis in universa Ecclesia tum apud Hebraeos tum apud Gentes, ut ipse, Paule, accedente quoque revelatione, coactus fueris post quatuordecim Apostolatus annos a prima vice, qua videras Petrum, lerosolymam ascendere, ea gravissima de causa ut conferre? tuam doctrinam cum illis, *ne forte in vacuum curreres aut cucurrisses'*

Ergo Ierosolymae tum aderat eiusmodi fidei magisterium, cum quo illi etiam suam doctrinam conferre adigebantur, qui per revelationem eam acceperant.

At enim aliquis regerit, heic non agi tantum de Petro, sed de Apostolorum collegio. At praeter quam quod nullimode haec responsio iuvare! Protestantium causam, quum ad summum Gallicam invenire possent aliquod umbratile perfugium; video, non adfuisse Ierosolymae Apostolorum collegium, sed tantum tres, Petrum, Iacobum et Ioannem, quartam videlicet Apostolorum partem, quae quidem pars, aut nullimode sufficiens dicenda erat ad authentice confirmandam Paulli doctrinam, aut, si sufficiens, ideo talis erat, quia aderat Petrus. Petrus itaque erat, cruem Paulus iterum quaereret, ne in vacuum forte curreret; et ideo non aliam petiit regionem ad alios Apostolos inveniendos, sed tantum lerosolymam. Atque iam ab Ecclesiae incunabulis ex hoc ipso facto veluti manu tangís effatum illud in catholica Ecclesia a saeculis vulgare: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.*

Quae quidem plene confirmantur ex iis quae sequuntur: confirmatur scilicet, apud eos Apostolos, qui erant Ierosolymae adfuisse supremam potestatem, supremumque fidei magisterium• quod non ex alia causa erat supremum, quia inter eos aderat Petrus. Et sane sic Paulus prosequitur : *Sed neque Titus, qui mecum erat, quum esset Gentilis compulsus est circumcidi.* Vide auctoritatis supremae actum : agebatur enim de Tito discipulo Pauli sibi supra modum carissimo, quem in fide nutriverat sibique in munere Apostolatus consociaverat : can-

dide autem fatetur Paulus, eum, quum esset Gentilis, non fuisse compulsum ab illis circumcidi : ergo potuisset compelli contra ipsam Pauli praedicationem, si ita, qui videbantur aliquid esse, iudicasset.

Vide supremum fidei magisterium, quod inter eos adesset Petrus, ex iis omnibus quae sequuntur.

Ab iis autem, qui videbantur esse quid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest ; Deus personam hominis non accepit); mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. **Ac si diceret: vos, Galatae, qui evangelium meum in aliud convertere audetis, praelicantes necessitatem Iudaicae legis, et meam declinantes auctoritatem, scitote, me contulisse evangelium meum doctrinamque, quam tot annos praedicavi inter Gentes, cum iis, qui videbantur esse aliquid in universa Ecclesia ; et quamvis ego aliquid esse pari modo non viderer, nihil tamen mihi contulerunt. Quid ergo auctoritatem meam declinare, meamque doctrinam pervertere contenditis ?**

At vero quaero ego a te, Paule: nihil revera illi tibi contulerunt? Video namque nihil quidem eos tibi contulisse, quod contra te convertere forte possent falsi fratres; attamen aliquid contulerunt: quandoquidem, quum ex hac collatione doctrinae plenius novisses, doctrinam quam praedicares convenire cum doctrina eorum, multo fidentius potuisti per ecclesias praedicare: *licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* **novisti siquidem, nequaquam te in vacuum currere aut cucurrisse. Sed praeterea aliquid aliud tibi contulerunt, quod tu ipse fateris dicens:** *sed e contra quum vidissent quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi intes Gentes). Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Iacobus et Cephas et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: tantum ut pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* **Contulerunt ergo tibi eximias praerogativas honoris: te enim in suam societatem cooptarunt dantes tibi et consocio tuo Barnabae dexteras; atque proinde tu et consocius tuus Barnabas inter ecclesiae columnas connumeratus es. Quod si** illam **levissimam admonitionem vobis dederunt, ut pauperum memores essetis; certe non ideo spernere poterant falsi fratres Galatae vestrum magisterium ; eo vel magis, quod tu, Paule, sollicitus, tu ais,**

etiam fuisti hoc ipsum facere. Video praeterea aliquid aliud tibi contulisse : namque quum tu certus esses ex divinis revelationibus, Eum, qui operatus erat Petro in Apostolatum circumcisionis, operatum quoque fuisse et tibi inter Gentes, hanc tuam certitudinem comprobatam vidisti per eorum testimonium.

Namque ipsi, collatione facta doctrinae tuae tuaeque missionis cum doctrina et missione Petri, cognoscere debuerant, tibi creditum esse Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis. Ergo Petrus erat ille, quocum nisi tu convenisses, in tuo apostolatu ceteroquin amplissimo in vacuum currisses.

Et ego video quoque evidentius, ab initio tui Apostolatus quaereres antecessores tuos Apostolos, ut videres Petrum; et causam apertam video, cur satis tibi fuit post tres annos videre Petrum, apud quem mansisti dies quindecim: Petrus namque erat ille, a quo recognoscenda erat missio et revelationes tuae: non autem a ceteris sive a Iacobo sive a Ioanne nisi quatenus et ipsi Petro adhaererent; quique ea te sunt observantia prosecuti, ut, ratione ingentis messis tibi commissae, sicut alterum Petrum te facere visi sunt. Quid ergo ab initio opus fuisset quaerere ceteros, quum ipsi vel inferiores aut, ad summum, aequales tibi essent, quique non aliud facerent neque docerent, nisi quod Petrus faceret doceretque?

Quin imno ex enarratione facti quod subiungis, ostendis iterum quod hactenus exposui : quod quidem factum non nisi stulte contra supremam magisterii Petri auctoritatem haeretici convertunt. Namque ex hac enarratione, quemadmodum Galatis novo exemplo ostendisti doctrinam tuam non differre a doctrina Petri, teque singulari ratione coapostolum eius esse; ita significasti nobis, nihil fuisse vulgatius in universa nas ente ecclesia, quam quod supremum fidei magisterium supremamque auctoritatem in Petro exsisteret.

Ostendisti, inquam, Galatis, te prae ceteris coapostolum eius esse, cuius auctoritatem Galatae iudaizantes contra tuam invocarent. Ecquis enim Petro in faciem resistere potuisset Antiochiam venienti (iuxta conceptum quam Galatae de eius auctoritate ostentaren!) nisi ille qui in munere apostolatus cum Petro aeque comparari potuisset? Quod de te, Paule sancte,adhuc catholica praedicat Ecclesia, quum te *coapostolum eius* prae caeteris salutat!

Ostendisti iterum Galatis, doctrinam tuam eandem esse cum Petri doctrina: ex eo enim facto intelligere illi debuerunt, non

iudaice esse vivendum, quum Petrus gentiliter quoque viveret.

Significasti quoque nobis, supremum fidei magisterium in eo exsistere quandoquidem affirmas, eius exemplum Gentes coegisse: non enim dicis eius doctrinam; non eius praedicationem, sed simplicem rationem agendi; eamque redarguisti non quia cogeret; sed ideo quia cogeret, reprehensione dignum eum existimasti, quod attendere debuisset, ne quid ageret, quod videri forte posset non conforme evangelicae legi: alioquin ipsa tua praedicatio frustranea reddita fuisset: uno verbo, simplex exemplum Petri quodammodo *indaizantis* cogebat, exemplum autem tuum, quo securo animo *gentilizare* nitebaris, non cogebat. Dicis enim: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Iacobo cum Gentibus edebat : quum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et simulationi eius consenserunt ceteri Iudaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus : Si tu quum Iudaeus sis gentiliter vivis et non Iudaice, quomodo Gentes cogis iudaizare?*

Tantae ergo erat auctoritatis Petrus, ut eius actiones, quae in aliis vix, ac ne vix quidem consideratae fuissent, loco quoque legis habrrentur; adeo ut ipse Barnabas consocius Pauli duceretur in dictam simulationem ; ratio scilicet agendi Petri, qua ex aliquo timore segregaverat se a Gentibus,non solum Iudaeos, quod facilius fuisset, sed Gentes ipsas iudaizare cogeret.

Quid ergo erat Petrus in catholica Ecclesia? Erat firma totius Ecclesiae: erat centrum, cum quo omnes et Apostoli et Ecclesiae convenire deberent in unitate fidei et communionis: erat magister supremus, cum quo convenire deberent, qui in vacuum nollent currere: erat ille, cuius auctoritatem subdole invocarent falsi fratres, ut validius errores disseminarent, cuius auctoritatis signum, si obtinere ipsi potuissent, Paulum ipsum se victuros existimarent.

Haec, ut ab initio innui, nil aliud sunt, nisi quaedam vestigia supremae auctoritatis Petro collatae, quae ex sacris litteris eruuntur, omissis illis classicis testimoniis, in quibus expresse legitur, Fundatorem Eccl siae constituisse Petrum uti Ecclesiae rupem et saxum, cui illa inniteretur et incumberet: eundemque Fundatorem officium Petro contulisse confirmandi fratres, et eius fidem hac de causa indefectibilem ad-

promisisse : eidemque comm sisse officium pascsndi, non quidem uniiin alterumque gregem, sed omnes oves eiusdem Fundatoris: oves *meas.*

Quo vos iure itaque Prot - stantes maledico dente carpitis epistolam Romani Pontificis, qua de agimus, dicentis: *extra disputationis aleam constitutum esse primatum, non honoris tantum, sed ei iurisdictionis Pgtro eiusque successoribus ab Ecclesiae Institutor e collatum* **? Quo iure affirmatis, hunc primatum de facto in dubium esse revocatum, immo et negatum ? Licet quidem vobis negare lucem solis, sed non ideo ob vestram negationem sòl lucere cessabit.**

Porro ea, quae périnent ad Ecclesiae constitutionem et structuram, permansura erunt quousque Ecclesia **perdurabit:** *non* **enirii Ecclesiae institutio opus est humanum, sed ipsam delineavit c nstituitque divinus Architectus, eamque mansuram pollicitus est usque ad consummationem** saeculorum **: et ad perpetuitatem primatus quod spectat, His verbis S. Leonis** Magni **utar: "** *Soliditas enim illius fidei, quae in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est; ei sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus, instituit „* **(seriri. 3, al. 2, c 2).** Qubr **vis itaque saeculorum spatio, in vera Christi Domini Ecclesia primatus ille obt neat opartet, quem Christus Dominus. Petro contulit.**

Si quaeratis ubi sit nunc Petrus; quaerite ubi illi sint, qui in orbe terrarum in causa Christi Domini videantur columnae esse, eumque illico reperietis : ab ortu eniiri solis usquead occasum unam audietis vocem *Petrum esse Romae Episcopum; sic tradiderunt a duodeviginti saeculis maiores nostri:* **eumque corona omnium Praesulum circumdatum inox conspicere Romae poteritis, eiusdemque vocem audire eo fere modo, quo Ierosolymae "** *cum magna conquisitio fieret, surgem Petrus dixit... tacuit omnis multitudo. „* **Act. 15.**

DE IACULIS QUAE PROTESTANTES EMITTUNT ADVERSUS APOSTOLICAM SEDEM.

Protestantes, ut innui, tela sagittasque iaculantur adversus Apostolicam Sedem : sed hae eiusmodi sunt, quae non feriunt. Inter eas illam frequentissime emittuut, quae consistit in damnatio "e Galilaei.

Sed afferte, carissimi, si potestis, actum Romàni Pontificis ex cathedra docentis ut magistri Ecclesiae divinitus constituti; et tunc maiori vestra spe iaculum quod vibratis fortasse fer et : quousque enim hunc actum Romani Pontifie s ita docentis non ostendatis **(neque ostendere poteritis,**

quippe quum numquam extitit) frustra damnationem Galilaei öb iicietis.

Dixi *fortasse feriet;* i que ut largus vobiscum sim: namque, ut eruditi tradunt atque ostendunt, interdictum fuit Galilaeo a Sacra Congregatione Inquisitionis doctrinam tradere de motu terrae ob inconsultam eius iactantiam contra SS. Scripturas.

Ceterum puerile est, adversus constantem doctrinae ecclesiasticae ordinem ä duodeviginti saeculis traditum nonnulla facta peculiaria obiicere, quae Vobis Protestantibus videantur non cohaerere cum eodem constanti doctrinae ordine. Scire enim deberetis, in quolibet ordine quaedam identidem dari singulari phaenomena, quae non bene videntur posse componi, praesertim ab imperitis, cum legibus constantibus ordinis, ad quem pertinent.

Quot phaenomena conspiciuntur in ordine sive zoologico, sive vegetali, sive minerali, quae cohaerere non videntur cum constantibus eiusdem ordinis legibus? Ët tamen stultus reputaretur ille, qui ob huiusmodi phoenomena leges ipsas constantes negaret.

DE VENEFICA ÀTMOSPHERA ROMANAE SEDIS.

Atmospheram Romanae Sedis et Catholicae Ecclesiae uti veneficam iudicant Protestantes, ex èo quod doctrinae immutabilitas atque infallibile doctrinae magisterium sub eadem atmosphera esse tradatur.

Fatendum est, eiusmodi iactantiam apprime cohaerere cum eorum principio dë libertate cogitandi sentiendique. Si enim principium hoc verum esset, aliquid amplius ego quoque adiicerem : dicerem enim Romanam cathedram et Ecclesiam catholicam, quae dictae cathedrae veluti fundamento innititur, non modoveněficam, sed barbaram et inhuma âm; quandoquidem sua morali praepotentia iugum voluntati hominum imponeret, suoque arbitrio homines ad unam ferendam tantum viam, causa consequendae salutis, cogeret, contra illimitatam hominum libertatem cogitandi sentiendique.

Sed in hoc consistit quaestio, si quaestio appellari potest, utrum libertas cogitandi, sentiendi faciendique quidquid magis unicuique arrideat, sit secundum naturalem legem et divinam revelationem: si secus sit, quid aliud superest, nisi praedicare, salutarem unice esse eam mirabilem societatem, quae institutorem habuit Filium ipsum Dei, qui formam servi accipiens tamquam immaculatus agnus fuit obediens usque ad mortem, ut eam societatem sibi tamquam sponsam iungeret, suoque sanguine eam e sor-

dibus lavaret, ut cum ea et in ea in praesentibus et in futuris aeterni isque saeculis regnaret? quique non aliud iugum intellectui hominum imposuit, quam iugum veritatis, quo intetlectui nihil est suavius; non aliud onus voluntati, quam onus sapientissimae legis, quod leve est? qui prospexit, ne veritatis legisque depositum quod suae Ecclesiae contulit, sua adsistentia promissa ne perenne magisterium umquam perverteretur?

Ceterum vos, Protestantes, iudices esse non potestis, utrum veneficus sit aer quem nos respiramus, quem vos numquam respirastis. Percontamini potius eos, qui inter vos aliquando vixerunt, quique e deserto vestro in pomarium florentissimum catholicae ecclesiae translati, nobiscum eodem aere beantur. Ab ipsis quaerite, uter veneficus sit, vester ne, vel noster aer : ab iisque audietis : *Translati sumus de morte ad vitam: alienati enim a vita Dei, fluctuantes circum ferebamur omnivento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: ambulabamus sicut et gentes ambulaverunt in vanitate sensus sui.* Haec, atque alia huiusmodi audietis.

Non erat itaque cur in Concilium oecumenicum invitaremini; neque vos venire securo animo potuissetis : non enim consessus ille amplissimus Praesulum catholicae Ecclesiae est locus confracta iandiu tela vibrandi, quae neque scopum attingerent, neque vos meliores efficerent. Neque de vestro principio libertatis posset disputari, quum disceptatio de eo in hanc quaestionem redderet: « *utrum Ecclesia Christi Domini exsistere, vel potius deleri e fundamentis debeat.* „

Attamen occasione oecumenici Concilii, quod est actus summe vitalis catholicae Ecclesiae, opportunissimum visum est charitati Sanctissimi Patris verbum aliquod ad vos quoque convertere, quos furens haeresis e sinu catholicae Ecclesiae abripuit, ut serio considerare velitis, num viam a Christo Domino praescriptam sectaremini, quae ad aeternam perducit salutem ; atque indigentiis vestri cordis respondentes ab eo statu vos eripere studerent, in quo de vestra salute securi esse non potestis. " *Venite fratres,* (inquiebat Augustinus ad Donatistas, *psal. con. partem Donati) si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, quum vos videmus praecisos ita iacere. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum : quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* „

Neque id a desiderio Anglicani Cleri, nonnullis abhinc annis expresso, penitus alienum esse vi-

detur; quemadmodum legitur in litteris ab eo Clero missis ad E.mum Cardinalem Patrizi (1), quibus ille Clerus reunionem quandam optans, suum propositum ita patefecit : « Id quod a « Deo O. M. enixe rogamus, quod « toto corde desideramus non aliud « est, quam illa, quae ante Orien- « tis et Occidentis scissionem in- « tercommunio oecumenica exsti- « tit, unius eiusdemque fidei ca- « thòlicae professione stabilita at- « que compacta. Societas immo « illa supra dicta eo minorem in- « vidiam apud vo> movere debet, « quod ab agendo abstinens so- « lummodo curet, ut secundum « Domini Nostri Christi verba « *Unus pastor fiat et unum ovile.* « Hoc tantum in votis nostris col- « locatur, et hanc sententiam et « desiderium Eminentiae Tuae « corde sincero et voce non ficta « pro virili parte profitemur. »

Si itaque corde sincero et voce non ficta Clerus Anglicanus quaerat intercommunionem oecumenicam, ut *unus pastor fiat et unum ovile* iuxta Christi Domini doctrinam; si Romanus Pontifex quoque cum Ecclesia catholica semper in votis habea', et enixe a Deo imploret, ut qui ab unitate catholicae veraeque Christi Domini Ecclesiae abscissi sunt, ad eius gremium redeant, potest ne occasio opportunior dari, quam oecumenicum catholicae Ecclesiae Concilium, ut et derelicti Patris, et filiorum derelinquentiumvotaperrecte compleantur?

Per scissiones autem et haereses, quae contigerunt sive in Oriente sive in Occidente quovis tempore, non solum a Photiano schismate, sed ab ipso Ecclesiae ortu, Romana Petri Sedes et Ee-? cle ia cum ea sede fide et communione iuncta numquam cessavit esse vera et unica Christi Domini Ecclesia, quae super Petrum Apostolorum principem aedificata per perennem et numquam interruptam successionem suam inexpugnabilem exsistentiam ex divina promissione agnoscit. Transierunt haereses et vicissitudine temporum transeunt (2): deiecti sunt usque ad pulverem

(1) Has littears expositas habes in *Vol II, pag 661.*

(2) Placet heic commemorare ingenuum testimonium ab haeretico homine prolatum, quod suspectum esse non potest; quodque legitur apud Macaulay in opere cui titulus: *Criticai and Histor icol essays, vol 2,* auctore Von Ranke, *october 1840* quod ita habet: « There is noi, and there never was on this earth, a vvork of human policy so well deserving of examination as the Roman Catholici Church. The histoxy of that Church joins together the two great ages of human civilisation. No other institution is left standing which carries the mind back to Ine times when the smoke of sacrifice rose from the Pantheon,

pedum Regum Schismatici et in humillimâm servitutem redacti: ignorantes, senescentes et coecutientes in eo pulvere et servitute gloriam suam firmitatemqne collocant. Ecclesia autem catholica antiquissima, at numqnâm senescëns, immo semper iuvenis, quovis saeculo eam conspicias- iuvenis erat, quum vestem cogeretur induere totam suo sanguine tinctam, ut fide susceptam immaculatam servaret: iuvenis erat, quüm,victoriis innumeris repleta, crines capitis sui dispersos composuit, eamque Reges honoris causa salutarunt : iuvenis erat, quum vexillo fidei receptae elátó inscripsit: *qui mecum non est contra Christum est :* iuvenis erat, quum Reges et populi sapientiam auctoritatemque eius excelsam admirai, collum eius non solum aureis monilibus ornarunt sed regale quoque sceptrum in manu eius composuerunt: iuvenis erà^

and when camelopards and tigers bounded in the Flavian amphithéâtre. The proudest royal houses are but of yesterday, when compard with the ilné of the Supreme Pontiffs. Thal line we trace back in an unbroken series, from the Pope who crowned Napoleon in the nineteenth Century to the Pope who crowned Pepin in the eighth; and far beyond the time öf Pepin the august dynasty extends, tili it is lost in the twilight of fable. The republic of Venice came next in antiquity. But the republic of Venice was modern when compared with the Papacy; and the republic of Venice is gone, and the Papacy remains. The Papacy remains, not in decay, not a mere antique, but full of life and youthful vigour. The catholic Church is still sending forth to the farthest ends of the world missionari es as zealous as those who landed in Kent vith Augustin, and still conffonting hostile kings with the same spirit with which she confrohted Attila. The number of her children is greater than in any former age. Her acquisitions in the New World have more than compensated for what she has lost in the Old. Her spiritual ascendancy extends ovei the vast countries which He between the plains of the Missouri and Cape Horn, countries which, a Century henee, may not improbably contain a population as large as that which how inhabits Europe. The members of her communion are certainly not fewer than a hundred and fifty millions; and iL will be difficult to show that ali other Christian seets united amount to a hundred and twenty millions. Nor do we see any sign which indicates that the term of her long dominion is approaching. She saw the commencement of ali the governments and of ali the ecclesiastical establishment that now exist in the world; and we feel no assurance that she is not destined to eee the end of them all. She was great and respected before the Saxon had set foot on Bri tai n, before the Frank had passed the Rhine, when Grecian éloquence still flourished at Antioch, when idols were stili worshipped in the tempie of Mecca. And she may stili exist in undimìnished vigour when some traveller from New Zealand shall, in the midst of a vast solitude, take his stand on a broken #rch of London Bridge to sketch the ruins of St. Paul'?. »

qiram suavi eius benedictionis imperio filiis suis maioribus diademata imposuit: iuvenis erat, quum clypeo loricaque assumptis cum maioribus filiis suis in irruentes barbarorum acies pugnavit, ut populos sua fide enutritus incolumes servaret. Et quamvis singulis saeculis vestem crinesque suos vario more composuit, sive ut innocentibus filiorum moribus, tamquam iuvenis mater, obsequeretur; sive ut eorum fidei moribus et incolumitati prospiceret: numquam tamen vexillum receptae fidei et unitatis, ne ad horam quidem, e manu deposuit. De possessione veritatis et iustitiae secura numquam timuit, qui contra insurgèrent; numquam pugnavit, quin victrix fuerit; numquam vicit, quin gloriosior evaserit. Sole virtutis et sanctitatis splendidissimo amicta, oculos suos defixos in sponsum caelestem jugiter habuit ; ab eo exsistentiam inexpugnabilem suaque bona om nia unice agnovit; atque vitae plenissima numquam vidit limites in orbe terrarum, quibus vitam tribueret, ut omnes, quotquot sint filii hominum, eius vita viverent, quae est Christi Domini vita, ut in ea et cum ea et per eam Christus viveret, regnaret, imperaret.

NOVA HARUM EPHEMERIDEM EDITIO BALTIMORENSIS PROBATUR

Postquam protestati sumus in fasciculo XLIX, adversus editores Baitimorenses DD. Kelly et Piet, accepimus ab iisdem epistolas, quibus de eorundem proposito novam editionem aggi'ediendi nostrarum ephemeridum certiores nos fecerunt aliqua compensatione damni proposita. Quidquid autem sit dicendum de quaestione, utrum in se licitum nec ne sit, inconsulto ephemeridum proprietario, novam editionem aggredi ; annuntiamus Lectoribus nostris, nos pacta iniisse cum laudatis editoribus pro nova voluminis V editione Baltimorae facienda: propterea eam Baltimorensem editionem adprobamus, quatenus cum editione Romana conveniat; de qua re, cognita nobis eorumdem editorum honestate, nullatenus dubitamus.

PETRUS AVANZINI ROMANUS PRESBYTER.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

IURIUM QUOAD ECCLESIAM

Die 13 Augusti 1869.

Compendium facti. Parvum Regularium coenobium cum ecclesiola exstabat in oppido N. Quum a Gallico Gubernio bona rustica eiusdem coenobii et ecclesiolae essent subrepta, quumque desertum maneret coenobium cum ecclesiola, anno 1819 a legitima auctoritate illud fuit venditum *cum omnibus et singulis actionibus, rationibus, pertinentiis* pretio scutatorum 410; quamquam aestimaretur scutatis 562. Ea de causa imminutum fuisse pretium videtur, quod emptor onus sibi assumere deberet ecclesiola ii tuendi, sacras suppellectiles servandi, ecclesiastica officia agendi.

Illud emit Dominus R. qui medietatem eius coenobi illico vendidit Petro D.

Quum eo in oppido exstaret quoddam pium solidalitium ab Oratione et Morte nuncupatum, quod templo indigeret eam ecclesiam obtinuit, ut usui sibi esset in piis ecclesiasticisque officiis. Eam autem obtinuit data fide, privata quadam scriptura, ut sibi assumeret onus ecclesiolam tuendi, cumque ceteris obligationibus, quibus Dominicus R. assumpserat, excepta teeti conservatione.

Anno 1843, contractibus initis, Dominica dicti Dominici filia domina evasit integri coenobii; quin tamen ullum in contractibus haberetur de ecclesiola verbum. Postea anno 1857, ad extinguendum quoddam Dominicae debitum, in aliorum dominium illud coenobium transiit, qui iterum vendiderunt Ioanni P. *cum omnibus servitutibus, usibus, adiacentiis, quae ad dictum aedificium pertinerent.*

Interim sodalitium ecclesiola uti tranquille perrexit. Verum quum Ioannes cum sua familia aedificium illud incolere coepisset, molestiam consodalibus illis intulisse dicitur; ideoque anno 1866 sodales suas admoverunt preces S. Congregationi Episc, et Reg. atque enarrarunt, Ioannem iura in ecclesiolam iactare; sibi scutatum pro singulis defunctis, qui in ea sepelirentur, quaerere; eundem sepulcra aperire atque tabulas, quibus defuncti operirentur, subripere audere, ut eas venderet; cereos quoque a sodalibus emptos et custoditus furtim subtrahere: hisce de causis efflagitarunt, ne Ioannes sese ingereret in eorum ecclesiolam, cuius usu data fide anno 1832 plene fruerentur ; quod si ea pactio ob aliquam neglecta n solemnitatem lege praescriptam imperfecta maneret, sanationem a S. Sede se implorare.

Episcopus hac de re rogatus lenunciavit, Ioannem sibi assumpsisse ecclesiolae clavem; emolumenta percepisse, quae fideles ratione sepulcri solverent; aperiisse ianuam, quae ex sua habitatione duceret in ecclesiolam, quam antea sodales custodirent, et facultatem dedisse sodalibus exstruendi sacrarium.

Immo quandam aperuisse fenestram iamdiu ecclesiae muro obstructam, ut aditus eius coquinae pateret. Renunciavit insuper, se ea, quae decerneret occasione s. visitationis, non quidem ab aedificii possessoribus, si tectum ecclesiolae excipias quod substaret Ioannis habitationi ; sed a sodalibus exsecutioni mandanda esse iubere.

Eiusmodii notitiis habitis, auctoritate S. Congregationis significatum est Episcopo, si quae enarrata sunt vera essent, Ioannem in censuras incidisse, tum ob actus possessionis innovationesque in loco sacro factas, tum ob cereorum subtractionem, sepulcrorum violationem: intsrim mandatum est, ut Ioannes, restituta ecclesiolae clavi, sese abstineret a quovis alio actu, usquedum controversia in plenis S. C. comitiis dirimeretur.

Quare invitatae sunt partes, ut intra mensis spatium iura sua coram S. C. deducerent. Ioannes praefracte negavit ea, quae eidem culpae imputarentur, suamque iura propugnavit in ecclesiolam, qua etsi sodales uterentur, ipse tamen suis impensis eam instauraret. Episcopus novis litteris renunciavit, Ioannem suis sumptibus refecisse tectum, atque parietes dealbasse iuxta Decreta s. visitationis quibus adiecta fuerat clausula, *sumptibus eorum ad quos spectat.*

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO IOANNE SUNT ANIMADVERSA. EX officio notatum pro Ioanne est, templa materialiter considerata, quoad materiam qua exstructa sunt, quoad locum quem occupant, quoad ornamenta quibus ditantur, cum rebus profanis convenire; ideoque esse posse in hominum commercio, ceu sentiunt Lotterius *de re benf. I.* 2 *q.* 4 *n.* 14, Card. De Luca *de iurepatr. disc.* 53 *n.* 3 et *in misceli, eccles, disc.* 28 *n.* 12, et *de prae&m. disc.* 40 *n.* 9; qui auctor haec scripsit in citato *disc.* 53. « Quo vero ad concessio- « nem capellae -ac illius iuris honorifici, quod ex capellarum « usuali dominio resultat, cautum non videtur in iure aliquam « licentiam vel consensum Ordinarii requiri; quum nihil detur « spirituale, ut contingit, quando donatur ipsum iuspatronatus « redolens formalem servitutem ecclesiae vel Beneficii; sed do- « nari dicatur illud improprium, ,quod aliqui subalternum, alii « vero melius usuale dominium dicunt, competens ratione rerum « materialium pretio aestimabilium ; adeo ut veniat in hereditate, « atque etiam affectum sit creditoribus et cadat sub eorum con- « cursu, vendique possit pro pretio ipsis materiis proportionate « absque aliqua spiritualitatis mixtura, ex deductis per Barbosam *« de iure eccles. I.* 2 c. 10; *de sepult, n.* 18 ». Atque S. Rota in quadam causa *coram Cerro, in Romana fideicommissi,* die 22 Februarii 1717, (quam refert Fargna *de Iurepatr. p.* 2 *can.* 14 *cos.* 13 *n.* 31) animadvertit, quod fundorum possessor, in quibus capella etiam contineatur, si omnia bona alienaverit « *cum omnibus et « singulis eorum iuribus,* iam distraxisse censetur tam ecclesiam « materialem, quae respectu aedificii eiusque situs et ornamen- « torum dicitur esse in hereditate profana et in hominum com- « mercio, quam mansiones una cum mobilibus, quae veluti ipsius « partes sint... ».

Atqui Dominicum R. primum emptorem émisse coenobium *cum omnibus et singulis actionibus, rationibus et •pertinentiis:* ergo hoc contractu transiisse videri in Dominicum cum bonis et ipsam ecclesiolam coenobio adnexam, ac acquisivisse in eam iuspatronatus: Ioannem vero successisse in iura eiusdem Dominici, quum coenobium pariter emerit cum *omnibus servitutibus, usibus, adiacentiis, quae ad dictum aedificium pertinerent.*

Neque occurri posse dicendo, sodalitium in ecclesiolae iura subintrasse, quod huic cessa illa fuerit data fide ; namque praeter quam quod de solemnitatibus huius cessionis ***non*** constaret; defuisse insuper Episcòpi consensum, qui in iuribus patronatus alienandis omnino requiritur, ceu passim Auctores tradunt.

Immo, etsi in ea iura sodalitium successisset, tamen eadem iura amisisse, quod conditiones adiectas non implevisset: non enim ipsum suis sumptibus refecisse atque servasse ecclesiolam, prout spopohdisset; sed contra, Ioannem haec onera sustinuisse, ut et ipse Episcopus testatus erat. Hisce autem positis, ipsam donationem cessasse, ut tradit Fargna *loc. cit. can.* 16 *eas.* 8 *n.* 3, multas allegans auctoritates atque scribens : « Quia ipse primus « donatarius non implevit modum et pactum in donatione appo-**rt** situm; nimirum, quia pon reparavit ecclesiam patronalem, « neque subministravit expensas pro illius reparatione intra qua- « tuor menses assignatos, quod fuit causa finalis, ratione cuius « patronus donavit illi iuspatronatus, sequetur, donationem esse « re solutam ».

Quod si ecclesiolae concessio facta sodalitio in suo vigore adhuc permaneret, non ideo sodalitium iactare posse eiusdem aediculae dominium, Ioanne excluso; quum tantum illius usus fuisset concessus, ratione scilicet exercendi propria sodalitii officia, non autem iura, quae essent propria patroni eiusdem aediculae.

In his autem patroni iuribus et illud certe contineri retinendi ecclesiae clavem; Fargna, *loc. cit. p.* 1 *can.* 4 *eas.* 6, aliique: certum quoque esse, in *limine fundationis,* patronos posse sibi reservare facultatem habendi ecclesiae ianuam, vel fenestram suae domui communicantem ; Paulat. *dissert.* 23 *art.* 2 *n.* 107 ; Card. De Luca, *de servit, disc.* 16 *n.* 5 ; Monacellius, *t.* 1 *form.* 10 *Ut.* 6 *n.* 18: certum pariter esse, oblationes et elemosynas ipsi ecclesiae datas convertendas esse in utilitatem eiusdem; Monacellius *loc. cit. n.* 2; Carolus Ant. De Luca *adVentrigl. p.* 2 *adn.* 16 *§. An n.* 16, quemadmodum fecisse visus esset Ioannes ex emolumentis funerum seu sepulturae.

Quod si ad Ioannem exposita iura non pertinerent, non tamen eo usque accusari posse à sodalitio, ut in censuras inciderit: namque ea omnia, quibas insimularetur Ioannes, ab eo omnino sive generatim sive speciatim negari; neque e converso a sodalitio accusante ostendi, aut non ita ostendi, ut criminis alicuius reus Ioannes appareret.

E**A, QUAE CONTRA IOANNEM ANIMADVERSA SUNT**. Animadversum est, sacram eadem, de qua loquimur, quum in profanum aedificium numquam fuerit conversa, non posse auçtorari; ideoque neque comprehendi in emptione coenobii tamquam rem venundatam; res enim sacrae extra hominum commercium sunt positae.

Ad haec confirmanda adducebantur tres causae secundum eiusmodi principium resolutae, quarum una *Spoletana, Eccles.* 12 Septembris , 1829, ventilata in S. G. G., aliae duae in S. G. Epis, et Regul., quae referuntur in *Collectanea* E.mi Gard. Bizzarri *p*. 497 et 498, quarum synopsim heic dare opportunum est.

In *Spoletana?- ecclesiar.* agebatur de duobus templis, quae domibus religiosis adhaerebant: in violenta suppressione regularium tum facta Titius emerat easdem domos. Legitimo Romani Pontificis Gubernio restituto, licet Pius VII contractus rerum ecclesiae sua autoritate Apostolica ratos habere censuerit, tamen ea pia loca, quae adspectum suum eo tempore devastationis non mutaverant, ad pristinam destinationem revocavit. Titius, hac edita lege, vastare coepit internas eorum templorum partes. Quum in notitiam Archiepiscopi id pervenisset, hic, visitatione peracta, damnavit Titium ad reficienda ea templa intra sex menses; quo tempore inutiliter elapso, mulctam scutatorum decem singulis diebus a Titio solvendam esse iussit. Titius hoc Decreto perterritus ad S. G. G. confugit contendens, in licitatione se cum religiosis domibus émisse simul templa iisdem contigua et communicantia, quippe quum in aedium venditione id totum contineatur, quod intra earum fines includitur, si venditor nihil nominatim exceperit, *I. Aede sacra ff. de contrah. emt.* Gallicum regimen nihil nominatim excepisse: immo quum ipsum regimen ea templa expoliavisset sacris vasibus et ornamentis, ac profano usui addixisset, eo ipso tamquam rem profanam venditioni fuisse obnoxia.

Proposito nihilominus dubio: « An et quomodo sit exsecu- « tioni mandandum Decretum in sacra visitatione latum in casu » : responsum prodiit : *Affirmative iuxta modum ; nempe* (Titio) *praefiniendum esse novum terminum arbitrio Archiepiscopi ad ecclesias in pristinum statum restituendas; quo elapso, Archiepiscopus, iuris et facti adhibitis remediis, curet fieri instaurationem ecclesiarum sumptibus eiusdem* (Titii), *apposito super ipsius bonis sequestro,*

et loco mulctarum, quas hactenus contraxit, reficiat expensas iudicii (1), *et consulat conscientiae suae, et amplius.*

Altera indicata causa sic breviter exponitur in laudata *Collectanea pag.* 497: « *Romana, alienationis ecclesiae.* Titius anno 1812, quum. Gallici usurpatoris imperio bona ecclesiastica distraherentur, in publica licitatione sibi comparavit domum conventualem S, M. trans tiberim. Quum vero huic religiosae domui parva ecclesia esset adnexa, emptor in venditione eam comprehensam fuisse, ideoque sibi cedere debuisse arbitratus est. Hinc non omisit in eadem ea omnia suo aere peragere, quae ad publicum cultum et ecclesiae manutentionem pertinerent. Postea vero domum eandem alienavit, sed ecclesiam sibi reservavit. Morti proximus hanc ipsam una cum quibuscumque sacris supellectilibus Caiae legavit coniunctim cum ecclesia S. Mariae in Aquiro, onere adiecto erogandi scutata 100 in suum funus aliaque animae suffragia.

« Quum vero dubitaretur, num emptio ecclesiae valida fuisset, quod ageretur de re sacra, quae versatur extra commercium, dubium S. G. Episc, et Reg. propositum est: « and dicta ecclesia « spectet ad legatarios vel potius maneat in dispositione E.mi « Gard. Vicarii ». Proposita causa die 13 Martii 1840, S. C. rescripsit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam : et ad mentem:* mens est, ut Emus Vicarius curet titulo aequitatis compensare instaurationes factas in ecclesia S. Margaritae, utque earundem compensationis valor impendatur in expensas funeris ».

Tertiae causae synopsis haec est: *Firmana, Restitutionis ecclesiae.* In ultima Gallorum irruptione, quum omnia bona ecclesiastica occupatoris arbitrio destruerentur, Monasterium S. Ioannis Civitatis Novae, inhabitabant Sanctimoniales a S. Giara nuncupatae, una cum aliis ecclesiasticis bonis Principi de Beauharnais, qui tune munere Vice-Regis in Italia fungebatur, adiudicata fue-

(1) Refectio expensarum litis inter partes contendentes non habet locum in causis, quae pertractantur apud SS. Congregationes. Utraque enim pars sive ea quae vicerit, sive ea quae succubuerit, suis expensis litem sustinere tenetur. Sed quaedam tamen excipiuntur causae, in quibus pars, quae succubuerit, tenetur reficere ex pensas factas a parte victrice: inter has recensentur causae attentatorum et spolii, cuius generis erat causa de qua synopsim dedi. Confer, quae adnotavi in *Vol. I. pag. 87;* et praesertim causam de expensarum refectione agitatam, quam retuli in *Vol. II pag. 413 et seqq.*

runt. Restituto vero Pontificio regimine, idem monasterium sub eiusdem domino perstitit ,ex titulo emphyteusis auctoritate sa. mem. Pii VII eidem concessum. At Princeps de Beauharnais, auctoritate eiusdem Pontificis, monasterium cum illis iuribus, quibus acceperat, in comitem de Saint-Leu publico instrumento transtulit.

Quum vero E.mus Firmanus Archiepiscopus sacram visitationem perageret, comperit, ecclesiam, quae Monasterio adhaerebat tam structura conspicuam, quam vetusta veneratione celebratam in profanum usum adhiberi. Itaque suo Decreto constituit, ut omnia profana impedimenta ibidem deposita auferrentur, et ecclesia in publicum Dei cultum restitueretur : atque Procuratori dicti Comitis per officiosas litteras nunciavit, uHntra duorum mensium spatium eandem ecclesiam sibi traderet ; necnon quoddam pratum adnexum alteri ecclesiae, quod ipse Comes possideret. Quae quum ille Procurator facere recusasset, res deducta est in S. C. Epis, et dubium in contradictione partium concordatum est : « an et quomodo sint servanda Decreta edita ab « Archiepiscopo in actu sacrae visitationis in casu » : causa disceptata, responsum prodiit die 25 Septembris 1840: *ad primam partem affirmative quoad ecclesiam, in reliquis provisum per declarationem expressam: dd secundam, negative.*

Hisce itaque positis, concludebatur, in praesenti themate non videri Ioannem ius aliquod sibi acquisivisse in aediculam qua de agimus. Praesertim quum, instrumento venditionis coenobii inspecto, si de ecclesiola mentio facta esset, eam non ex alia causa factam fuisse, nisi ut emptor coenobii aediculam sacrasque supellectiles conservaret. Idcirco emptorem non ius sed obligationem assumpsisse: non quidem ex aliqua iuris patronatus umbra, sed ex minoritate pretii, quo coenobium emerit.

Quaecumque tandem fuerint relationes, quae intercédèrent inter coenobii emptorem et aediculam, easdem translatas fuisse in sodalitium vi cessionis anni 1832, quae confirmata maneret per constantem usus possessionem.

Neque obstare defectum expliciti consensus Episcopi, quum possessio, quam sodalitium ceperat eiusdem aediculae, nota esset Episcopo, qui s. visitationis Decreta eidem sodalitio exsecutioni mandanda iniungere!: ideoque tacitum saltem ac sufficientem consensum adfuisse.

Neque posse dici, sodalitium ex iure decidisse, quod aediculam, prout debuisset, non reticeret servaretque; ad id enim necessariam esse termini praescriptionem. Quod si Ioannes eas refectiones indebite ipse fecerit, posse quidem agere adversus sodalitium *actione negotiorum gestorum,* non autem sibi iura sodalitii assumere ex facta iamdiu cessione.

Quod si denique de aliquo patronatus iure in praesentia constaret, ei tamen possessionis actus innovationesque facere non licere, quorum a sodalitio accusatus ipse fuerat.

Atque hinc, commemoratis possessionis actibus innovationibusque, de singulis aliquid ani nadvertebatur: praesertim vero de aperitione obstructae fenestrae, deque ianua aediculae sacrae laterali, quae quidem, si usui religiosae familiae esse potuissent, non ideo id dicendum de Ioanne eiusque domo, sine Apostolica venia, quum de loco immuni et sacro ageretur: idque indulgeri tantum illis patronis, qui in *limine fundationis* haec iura sibi reservaverit.

Multo minus eidem licere cereos confraternitatis subtrahere atque sepulcra violare : atque notatum est, impacta crimina negari quidem ab eo, se tamen non purgari; ideoque in censuras incidisse videri, quae in Concilio Trid. *sess.* 22 c. **11** « inflictae sunt his verbis: « *Si quem Clericorum vel laicorum... in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae... iurisdictiones, bona, census, iura... quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere praesumpserit... is anath&r mati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictionem, bona, res, iura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.*

Hisce aliisque animadversis, proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et quomodo Confraternitas, ab Oratione et Morte « nuncupata, in possessione ecclesiae S. Mariae a mercede manu- « tenenda sit in casu ».

II. « An constet de censuris ecclesiasticis incursis a Ioanne « (N.) in casu ».

RESOLUTIO S. Congregatio Episc, et Reg., causa cognita in comitiis habitis die 13 Augusti 1869, respondere censuit:

Ad I; *Ordinario, qui opportuno modo provideat custodiae et cultui ecclesiae per concessionem usus confraternitati, ita tamen, ut ab eadem Confraternitate onus manutentionis cum effectu assumatur. Nullum iuspatronatus pertinere Ioanni (N), nullumque ius [se ingerendi in administratione. Eidem ab Episcopo praefigatur terminus tum ad reddendam rationem de perceptis emolumentis, imputatis tamen eius favore expensis factis pro dicta ecclesia, tum ad obstruendam fenestram respicientem intra ecclesiam. Idem Ordinarius obstrui faciat ianuam in pariete laterali ecclesiae, atque prout de iure moderetur sepulturae iura in eadem ecclesia.*

Ad II. *Iuxta exposita non constare.*

EX QUIRUS COLLIGES:

I. Loca sacra cultui publico destinata extra hominum commercium esse (1).

(1) **Hoc principium firmissimum est non solum in iure canonico, in quo èmpt'ó rerum sacrarum, quoadusque sacrae maneant, est ipso iure et facto irrita et praeterea sacrilega et censuris subiecta; sed etiam in iure civili apud cultas nationes id semper firmum habitum est praeeunte iure naturae. De hac re sic sanxit Iustinianus,** ***in I. 21 C. de sacrosanctis ecclesiis*** **non nova quidem prohibens, sed vetera recolens:** ***«Sancimus, nemini licere sacratissima atque' arcana vasa vel vestes, ceteraque donaria, quae ad divinam religionem necessaria sunt, quum etiam veteres leges ea, quae iuris divini sunt, humanis nexibus non illigari sanxerint, vel venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere, sed ab his, qui haec suscipere ausi fuerint modis omnibus vindicari tam per religiosissimos Episcopos, quam per oeconomos, nec non et sacrorum vasorum custodes; nulla eis actione relinquenda vel super recipiendo pretio, vel foenore exigendo pro quo res pignoratae sunt, sed omnibus eiusmodi actionibus respuendis, ad restitutionem eorum omnibus modis coarctari. Sin autem vel conflata sunt vel fuerint, vel alio modo immutata vel dispersa, nihilominus vel ad ipsa corpora vel ad ipsa pretia eorum exactionem competere sive per in rem, sive per condicionem sive per in factum actionem, cuius tenor in multis et variis iuris articulis saepe est admissus ».***

Item in ***Institut, lib. 2 tit. 1 § 7*** **haec pariter sanxit:** ***«Nullius autem sunt res sacrae et religiosae et sanctae; quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est. Sacrae res sunt, quae rite per Pontifices Deo consecratae sunt, veluti aedes sacrae et donaria, quae rite ad ministerium Dei dedicata sunt ; quae etiam per nostram constitutionem alienari et obligari prohibuimus, excepta causa redemptionis captivorum. Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. Locus autem in quo aedes sacrae sunt***

IL Quare in legitima emptione venditione alicuius aedificii antea religiosi, cui adnexa coniunctaque sit sacra aedes publico cultui destinata, non posse sacram aedem dici cum eiusdem aedificii pretio emptam venditara.

III. Neque utiliter dici posse, materialem structuram esse pretio aestimabilem; ideoque sub hoc adspectu templa in commercio hominum esse posse. Quod Deo auctoritate Ecclesiae dicatum est, in profano commercio esse non potest, nisi eadem auctoritate Ecclesiae in profanum aedificium penitus convertatur.

IV. Neque inde derivare posse aliquod iuspatronatus, quum iuspatronatus, quod reale appellant, quodque rei inhaeret, transferri quidem cum universitate bonorum potest si praeexstiterit

aedificatae, etiam diruto aedificio, sacer adhuc manet, ut et Papinianus scripsit ».

His consonat *Novella 7 c. 11 tit. Ne res ecclesiasticae alienentur,* in qua haec statuta leguntur: *«Quum vero grave aliquod delictum apud Alexandrinus et Aegyptios et in aliis quibusdam imperii nostri locis commissum esse cognoverimus, nonnullos ipsa sacra monasteria vendere aut permutare, aut donare ausos esse (in quibus et altare collocatum et sacrum ministerium peractum est, quod in sanctissimis ecclesiis sacris litteris lectis et sacrosancta atque ineffabili communione celebrata peragi solet, ubi etiam monachorum est domicilium), ita ut illa a sacra et pia forma privatum usum et conditionem translata fuerint, id ne in posterum fiat omnino prohibemus, nullique hominum ea committere permittimus. Sed et si quid factum sit, id prorsus irritum declaramus, pretiique amissionem accipienti imponimus; venditorem vero rei et pretii amissione mulctamus, sanctissimaeque ecclesiae et venerabilibus illius loci monasteriis illa tribuentes»'* Haec, ut innui, non tamquam nova edidit Iustinianus, sed vetera recolens, quae in sapienti et antiquissimo Romano iure sancita erant. Sane haec leguntur in *I. 6 ff. de divisione rerum* % 2 « *Sacrae res et religiosae et sanctae in nullius bonis sunt ; sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non privatim; si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. Semel autem aedes sacra facta, etiam diruto aedificio locus sacer manet ».*

Et in *I. 73 ff. de contrahenda emptione,* haec pariter statuta reperiuntur: *« Aede sacra terrae motu diruta, locus aedificii non est profanus et ideo venire non potest ».* Et in *I. 43 ff. de rei vindicatione* legitur: « *Quae religiosis adhaerent religiosa sunt, et idcirco nec lapides inaedificati post quam remoti sunt vindicari possunt ».*

Haec quidem ex veteri Romano iure, quod fuit atque est omnium sapientissimarum legislationum fundamentum: ab huiusmodi principiis ius canonicum alienum esse non poterat, quae cum principiis religionis tum naturalis, tum revelatae apprime cohaerent; ideoque haec quoque recepta quoad substantiam invenimus in canonico iure, atque tamquam firma regula traditur *in Reg. iuris in 6°, reg.*

et höh cessaverit (1) ; non autem si non praeexstiterit, aut ces saverit, aut translatum non fuerit.

V. Neque ipsis templorum patronis ius esse communicandi templis suae domui contiguis per internas ianuas aut fenestras, nisi in limine fundationis id sibi reservaverint, aut per facultatem Apostolicam id obtinuerint.

VI. Immo patronos neque in administratione rerum ecclesiae sese posse ingerere **(2).**

VII. Colliges demum pertinaces violatores ecclesiasticae immunitatis ipso facto in censuras incidere.

VIII. In praesenti autem themate non constitisse de censuris a Ioanne incursis* quum saltem, ob alienam umbram iuris, appareret, non ex mala fide immunitatem violasse.

51: «Sèmel Deo dicatum nbn èst ad usus humanos transferendum».

Hinc subsequitur series interpretum iuris canonici, gui haeó iura explanarunt et illustrarunt: expedit nonnulla ad rem referre. Glossa in allegatam Regul. 51 eo usque processit, ut haec tradat: «Ponamus, quod aliqua eccìe« sia vetustate consumitur, ita quod « ista ecclesia pro sui conservatione « indiget novo tecto : deponuntur li«gna antiqua; utrum sit licitum de « illis hgnis aedificare domum priva« tam ? Respondetur quod non : quia «ex quo illa setnel fuerunt Deo di* « cäta, non debent redite ad usum ho« mirium «. Cardinal. Tuscûs, in *Conclus, n. Í0 vèrbo,* eècfós*ct,haec scrf^ psit : « Licet aedificatum cedat solo, « secus tamen est iri ecclèsia, quia « solum cedit ecclesiae ». Et in *conclus. 22, eodem vtrbft:* «Ecclesia nova si «aedificetur etiam sine licentia Epi« scopi per laicos, solum cedit eccle« siaei et non potest reduci ad usus « proferios, sed potest ab Episcopo « vindicari, quia iabricàhtes et aedi« ficantes censentur voluisse omne con <• « sequens, quod veniebat ex tali âedi« ficatione; maxime si in ea Missa fuit « celebrata. Amplia, quia etiam eccle« sia non consecrata gaudet immuni« tate ecclesiastica ». Item Sabellius ailegaas auctorum seriem, *Sum. divers, tract, v. ecclesia n. 22* ait : « Ec« clesia nondum consecrata, si sit au« ctoritate Episcopi constructa, gaudet «immunitate: amplia, etiamsi in ea « Divina non celebrentur, vel non sit « adhuc perfecte constructa, et con« structio quandoque intermittatur; « quia quum primus lapis auctoritate «Episcopi sit positus, talis ecclesia « manet eo ipso divino cultui dicata^ «nec potest ad profanos usus con« verti. Item ecclesia licei collapsa et «destructa, si subsit spes refectionis, « gaudet immunitate ».

Ea autem, quae supra adnotata sunt quod templa considerari possunt iuxta matériel aestimationem» limitatissimum usum habent in quibusdam iuribus patronorum ; de qua re videsis qtiäe scripsi in *Vol. III, pag. 520.*

(1) Confer causam quam adduxi in *Vol. il, pa¡g. 695.*

(2) Confer causam quam adduxi in *Vol. II, pag. 436 et sqq>*

PENSION UM

Die 17 Septembris 1869,

Compendium facti. Subreptis a Subalpino Gubernio in Italia ecclesiasticis bonis, qrandam pensionem viris ecclesiasticis rependit, quae pensio fructus antea ex Beneficiis perceptos saepe non aequavit Eo autem minor haec adsignata pensio cuique evasit, quo maiora essent onera, quae antea Beneficiarium gravarent: namque Gubernium illud in consideratione haud habuit, Beneficiarios obligatione saepenumero obstringi sive legatorum Missarum, sive pensionnai solvendarum, aliorumque similium onerum. Ea denique pensio minima evasit ob adiecta nova onera vectigalium ab eodem Gubernio, quovis vocabulo aut titulo eidem placuerit ea vectigalia nuncupare.

Ex hac violenta rerum perturbatione sponte veluti sua oritur dubitatio: quid sentiendum de obligatione eorum Beneficiariorum, qui Beneficiis a Gubernio subreptis, non aliud eorundem loco accipiunt, nisi pensionem multipliciter imminutam? tenentur ne ipsi solvere ecclesiasticas pensiones, quibus antea gravarentur? tenentur ne eas integras, an potius aequa proportione imminutas solvere?

Quare Praepositus cathedralis N. quum ecclesiasticam pensionen! scutatörum decem perciperet de alio Canonicatu, et ipse vicissim gravaretur ecclesiastica solvenda pensione scutatörum triginta cuidam Presbytero, exorta quaestione de pensione imminuenda vel integra rependenda, etsi Praepositus idem in ea opinione erat, imminuendam esse pensionem pro rata parte onerum, attamen iudicabat, id fieri non posse sine Apostolica facuítate: qua de causa preces admovit S. Congregationi Episc, et Reg., quaerens, utrum ob novum imperatum a Gubernio vectigal die 15 Augusti 1867, quo pensiones Gubernii imminutae sunt triginta nummis pro singulis centenis, imminui possent pensiones ecclesiasticae pro rata portione.

Servatis de more servandis, ex officio disceptata sunt, quae sequuntur.

Disceptatio synoptica.

EA, QUAE PRO INTEGRA SOLUTIONE CONSIDERATA SUNT. Animadversum initio est, labente praeterito saeculo vel praesente ineunte, in simili bonorum ecclesiasticorum iniqua compilatione, substituías Gubernii pensiones consideratas necessario fuisse loco Beneficii quoad obligationes et iura, quae antea Beneficiis essent adnexa. Re quidem vera in quadam causa *Nullius Foropompilii* agitata in S. C. G. quum proponeretur dubium : « An pensio sit «subrogata redditibus Canonicatus in casu?» S.,Congregatio die 16 Decembris 1820 respondere censuit: *Affirmative.* Eademque Resolutio inyocata quoque fuit in causa *Camerinem. Missae pro populo et Legatorum* die 9 Februarii 1822 §. *Verum.* Quum quaereretur, an Canonici, quibus pensio a Gubernio reperiebatur, tenerentur piis legatis facere satis, pro sententia affirmativa notatum fuit: « quod licet Beneficiorum fructus praecise non per-« ciperent, aequivalens tamen in pensionibus percipiebant emo-« Iumentum, quod subrogatum fuisse redditibus Canonicatuum « suppressorum haec S. Congregatio declaravit in *Nullius Foro-« pompilii etc ».*

Consideratis itaque praestationibus seu pensionibus Gubernii loco Beneficii, animadversum est, pensiones ecclesiasticas, quibus Beneficiarii forte graventur, integras rependendas videri: idque cohaerere cum legibus, quibus pensiones imponi per Romanam Curiam soleant, quae integrae et liberae a quovis onere sunt a Beneficiario solvendae: de qua re disputatum quoque fuisse coram S. C. G. in quadam *Hortana, Congruae,* die 11 Aprilis 1807, an quidam Parochus SS. Iosephi et Marci retinere posset ex titulo *ratae commodi* (ex imposita taxa per Motum Proprium Pii VII. fel. rec. editum die 19 Martii 1801) partem decimam pensionis, quam ipse rependere tenebatur Parocho S. Michaelis; et proposito dubio : « An Parochus S. Michaelis teneatur ad ratam « commodi (t) pro praestatione scutatörum triginta, quae perci-« pit a Parocho SS. Iosephi et Marci in casu: » S. Congregationem respondisse': *Negative.* Quare non videri, eum, qui pen-

(1) Quid veniat sub verbis *rata commodi* dixi in *Vol. I. pag. 101 in adnot.* Causa praeterea ibi relata confert ad maiorem intellectionem praesentis.

sionem percipiat, teneri ad contribuendum pro rata parte vectigal.

EA QUAE CONSIDERATA SUNT PRO PENSIONE IMMINUENDA. Animadversum e converso est, licet pensio considerari soleat tamquam onus reale in Beneficium, ceu tradit Pyrr. Gorrad. in *Praxi Benef.* L 5 c. 7 *n.* 9; tamen, quemadmodum et ipse Auctor animadvertit in *lib.* 5 c. 2 *n.* 16, eam inhaerere potius possessori fructuum Beneficii; de qua re ita scripsisse Card. De Luca *de Pens. disc.* 19 *n.* 8: « Dicebam quod pensio aliud non est nisi « quaedam fructuum portio, quae per Papam extracta a fructibus « ecclesiae pensionariis assignata est, reliquis fructibus rema- « nentibus ad commodum titularis, qui iure cuiusdam implicitae « administrationis, eos omnes percipit cum obligatione distra- « hendi partem pensionariis assignatam, ac solvendi pretium in « certa uniformi summa, quae pro litibus removendis circa pre- « tia et liquidationes singulis annis taxata est, ad instar illius « taxae fructuum, quae fit in societatibus officiorum vel aliarum « negotiationum ». Inde Canonistas appellare pensionarium *consocium* titularis in fruitione fructuum Beneficii, utRebuff. *depacifi. posses, n.* 138, Tondut. *de pens c. 6 n. b et seqq.* Gigas *de pension, q.* 38, Barbosa *not. decis.* 96 *n.* 100: eosdemque Auctores adtribuere pensionario actionem quasi-personalem adversus possessorem Beneficii, quamquam possessor obligatus non exsistat ex facto proprio, ut obligatur Beneficiarius, qui acceptans Beneficium pensione gravatum quasi contrahere dicitur cum pensionario, ceu perpendit Card. De Luca *de pens. disc.* 26 *n.* 2. Hinc obligationem solvendi pensionem derivare ex fructibus ex Beneficio productis sive Oeconomus Beneficium administret, sive etiam Sequestrator, ceu notat Garcia *de Benef. p.* 1 c. 5 *n.* 188: inde quoque derivare, ut onus solvendi praeteritam pensionem non solutam inter antecessorem et successorem dividendum esse pro rata parte temporis, quo quisque gavisus sit Beneficio; Garcia *loc. cit. n.* 190: ideoque pensionarium proprie loquendo ius non habere in Beneficium, sed tantum in Beneficii fructus.

Haec quidem apprime cohaerere cum causa *Hortana* supra allegata, in qua S. C. C. edixit, Beneficiarum non posse in pensione solvenda subtrahere ratam partem eius vectigalis quod appellamus *ratam commodi :* idque ex ea causa, ut adnotabatur in eius causae folio, quod « si ratio legis investigetur, ea est, quia

« *Census, Canones, fructus compensantes* constituunt pro credito-
« ribus quandam proprietatem *(in ipsis bonis Beneficialibus) ;*
« ideoque si vectigal impositum erat super proprietate bonorum,
« aequum erat, ut illud ferrent, qui etiam ex parte proprietate
« fruuntur. Quum vero creditores pensionum et praestationum
« nullum fundorum retineant dominium aut ius in re, profecto
« non concurrit ratio legis unde *ad rata commodi* teneantur ».

Verum in praesenti themate extraordinarium vectigal solvendi triginta nummos pro singulis centenis impositum per supra dictam Gubernii legem gravare redditus; neque posse gravare proprietatem, quum Beneficia ecclesiastica conversa fuerint ab eo Gubernio in pensiones annuas. Unde, exemplo quoque sumpto ab allegata causa Hortana, sicut in ea idem Beneficiarius non poterat **imminu3re** pensionem ob *ratam commodi,* quae gravat proprietatem; ita e converso videri, posse Beneficiarios de quibus agimus imminuere pensionen ob extraordinarium Gubernii vectigal, quum hoc non proprietatem, quae subrepta est, sed fructus gravet. De qua re ita Grazia *loc. cit. n.* 171: Quum pensio
« apponatur super fructibus et redditibus Beneficii, pensionarius
« tenebitur pro rata pensionis solvere subsidium et excusatum
« et alia onera imposita respectu fructuum Beneficii; Gigas, *q.* 38
« Marches, *de commiss. p.* 2 c. 4 *de Commissione appellat, n.* 49,
« qui ait, quod, quum pensionarius ad ea onera teneatur pro
« concurrente quantitate, rector illa solvens retentione pro rata
« uti poterit ». Item Pitionius, *discept, eccles.* 56 *n.* 47 « Quum
« contributio respiciat fructus Beneficiorum, nulla est rationis
« differentia ad hunc effectum solvendi contributionem inter ti-
« tulares et pensionarios, quum ipsi inter se dicantur consocii
« fructuum,"* et propterea a ubo teneantur de iure ad onerum con-
« tributionem ». Ita quoque alii Auctores sentiunt.

Neque diversimode praxim S. Rotae et SS. Congregationum suadere. Namque S. Rota in *Ausculana, Pensionis die* 17 *Februario* 1586 *coram Pamphilo,* ut refert Gigas, *quaest.* 59, resolvit:
« Pensionarium[1] teneri contribuere pro rata suae pensionis in
« oneribus per religionem hierosolymitanam impositis super fru-
« ctibus, super quibus est reservata, non obstante clausula exem-
it ptionis ab omni onere; quia haec exemptio fuit sublata per
« Constitutionem Gregorii XIII. ut in *Toletana* etc. ». Idque resolutum pluries fuisse in S. C. C. tradit Garzia *loc. cit. n.* 171, qui

haec resoluta refert: « An Decretum Concilii *cap.* 18 *sess.* 23, *« vers, ad hanc autem portionem* habeat locum, sive Seminaria « erecta sint ante reservationem sive post, congregatio censuit: *« habere locum; ideo JBeneficiarium compellendum esse pro pen- « sione, quam solvit, quamvis Seminarium erectum fuerit post « pensionis reservationem ; sed Beneficiarium posse retinere pro rata « quidquid occasione pensionis solverit Seminario.* Et die 30 Mar- « tii 1594 S. Congregatio censuit: *Titularem occasione contribu- ii tionis per eum factae Seminario non posse detrahere ex pensione, « quam solvit, nisi pro rata pensionis, et ad eam rationem, ad « quam ipse titularis contribuii ».*

Et S. Congregatio Episc, et Reg. in quibusdam litteris en-, cydicis datis die 1 Aprilis 1851 de taxa ecclesiastica declaravit: « Rectores Beneficiorum, cuiusvis haec sint naturae, quae prae- scriptae taxae subiiciuntur, ius habent sibi retinendi singulis « annis vicesimam partem pro singulis centenis nummis ex pen- « sione iisdem imposita. Eodem gaudent iure Communitates et » quisquis alius qui contribuât, cuius bona pensionibus sint gra- « vata ».

Ex quibus concludebatur cum sententia Ferraris *Biblioth. •can.* verbo *Pensio n.* 133 ubi scripsit: « Generaliter tenetur pen- « sionarius pro rata pensionis contribuere ad omnia onera Be- « neficii, nisi Papa addiderit, quod pensio sit omnino libera, im- « munis et exempta ».

Hac occasione et aliud ex officio consideratum est, quod rem propositam singillatim non respiceret; sed tamen causae nostrae propinquum erat. Adesse videlicet Titulares, qui sive ex tenuitate quantitatis, quam Gubernium pensitaret, sive ex vecti- galium gravitate, ex parte vel ex toto negarent ecclesiasticas sol- vere pensiones; propterea quod tenuitas reddituum congruam partem a Concilio Trid. ciscumscriptam sartam tectamque sibi non relinqueret; Concilium namque statuit, *sess.* 24 *c.* 13 *de Befor. « In posterum omnes hae cathedrales ecclesiae, quarum redditus summam Ducatorum mille, et paroeciales, quae summam Ducato- rum centum, secundum verum annuum valorem non excedunt, nul- lis pensionibus reservationibus fructuum graventur ».* Qua de re Auctores docere imminuendam esse aut auferendam pensionem, si ea manente, congrua dicta pars salva haud maneret, uti inter ceteros docet Lotterius *de re benef. I.* 1 *q.* 42 *n.* 60.

Quod ad ceteros Beneficiarios spectat, quibus ex lege quantitas portionis determinata non sit, imminutionem ecclesiasticae pensionis aut eius extinctionem non posse facile indicari : namque etsi plures tradunt tamquam regulam, pensionum onus excedere non debere tertiam vel ad summum mediam fructuum partem; ut notat Gigas *de pens. q.* 9 *nn.* 1, 2, 3, aliique; tamen hanc regulam non omnino semper servari.

Conforme vero esse canonicae aequitati, ne ob pensiones Beneficiariis adiectas deficiat aequa reddituum portio ad honestam eorundem vivendi rationem iuxta locorum personarumque morem, Fagnanus in *Cap. Nisi, de Praeben. n.* 27, aliique: et S. C. G. in *Caesenaten. Pensionis,* die 26 Februarii 1825.

Verum haec, quae hactenus dicta sunt, respicere eas pensiones Beneficiis impositas titulo lucrativo, non autem oneroso: si enim de pensione agatur titulo oneroso imposita, ut esset titulus alicuius spiritualis officii, vel curae animarum, aliorumque similium; in quibus causa pensionarii videatur potior et nobilior, quam causa simplicis Beneficii titularis, non eadem esse dicenda. Quod si pensio reservata esset *causa resignationis* Beneficii, adiectis clausulis, *non aliter, neque alio modo,* difficilius ad reducendam pensionem posse deveniri: hisce enim eventibus, imminuta pensione vel extincta, cessaret sive retributionis titulus, sive conditio resignationi adiecta, ipsaque resignatio.

Hisce animadversis, cum tamen non expediret, ut in praesentibus rerum adiunctis ad instar regulae quaestio praesens resolveretur, propositum est

Dubium

« An et quomodo providendum sit precibus Praepositi Ga-
« thedralis (N) ».

RESPONSIO. S. Congregatio Episc, et Reg. respondere censuit : *Affirmative, data facultate retinendi ratam partem taxae de facto extortae.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Pensiones ecclesiasticas indole sua fructus Beneficiorum immediate afficere; non autem Beneficiorum proprietatem nisi mediate et consequenter.

IL Quare non Beneficii consocius appellari posset Pensionarius, sed recte fructuum Beneficii consocius in parte certa ex extraneo titulo.

III. Hinc onera, quae Beneficiorum proprietatem immediate percellunt, Pensionarium non perferre, nisi forte talibus oneribus proprietas gravetur, ut canonica aequitas postulet, ut in subsidium Pensionarius quoque concurrat.

IV. Neque generatim posse dici, onera fructibus Beneficiorum immediate superposita, pensionem ipso iure Pensionano imminuere, quum Pensionarius sit consocius in parte certa.

V. Neque aequitatem canonicam suadere, ut semper, imminutis fructibus, minuatur pensio, quum ex extraneo titulo pensio imponatur, qui eiusmodi esse potest, ut canonica aequitas suffragetur magis Pensionano, quam titulari.

VI. In praesentibus Italiae adiunctis Beneficiarios non amisisse ius proprietatis, quamquam a possessione fuerint violentia expulsi: neque ius amisisse fructus percipiendi ex eadem proprietate derivans, quamquam eorum loco aliqua reddituum portio ab incompetenti auctoritate adsignetur.

VII. Manente itaque arbitraria portione, quae loco fructuum genuinorum aliquo modo consideretur, manere quoque ius Pensionariis certam partem habere ex eadem portione.

VIII. Aequitatem tamen canonicam postulare, ut pro imminutione fructuum, habita ratione tituli pensionum, congrua quantitatis ceterorumque adiunctorum, pensiones, auctoritate ecclesiastica interveniente, imminuantur vel etiam eliminentur **(1).**

(1) Causa formalis, qua promanare videtur praxis imponendi Beneficiis pinguioribus pensiones, est illud evangelicum dictum: *Quod superest date pauperibus.* Quum tamen Ecclesia quoque indigeret mediis subveniendi illis, qui de Ecclesia optime essent meriti, ex superfluis Beneficiorum redditibus partem aliquam auctoritate sua subtraxit, iisque tribuit. Exinde evenit, ut pinguioribus tantum Beneficiis pensiones imponerentur; et quandam derogationem subiit ea lex ecclesiastica his verbis concepta: *tit Beneficia sine diminutione conferantur.* Firma tamen regula mansit, ut pensio non imponeretur Beneficiis, quae ad honestam tantum sustentationem essent satis. Quum tamen, suadentibus rerum adiunctis, impositio pensionum frequentior evaserit, regula quoque statuta est, ut pensio excedere non deberet tertiam partem fructuum. Hae regulae in Apostolica Dataria (quae sola antiquitus pensiones imponebat), satis fuerunt servatae.

Sed quum locorum Ordinarii, invalescente consuetudine, pensiones im

SOLUTIONIS

Die 17 Septembris 1869.

Compendium facti. In oppido N. collegiata ecclesia exstat, quae antiquitus componebatur Priore et tribus Canonicis, qui reddituum massam communem habebant: his recentius quatuor alii Canonici sunt superadditi, singuli praebendam distinctam atque separatam habentes. Anno 1861 Italicum Gubernium bona omnia illi subripuit, atque, inventario facto, pensionem dandam constituit, quae redditibus responderet.

Dedit interim quandam pecuniae summam Priori, ut eam Canonicis aequa proportione diriberet; atque canonicus C. ratam portionem habuit tamquam redditibus respondentem in Libellis 153, et alter Canonicus S., ambo secundae erectionis, habuit 236.

Mense Martio 1862 ab eodem civili magistratu elenchus datus est Priori cum descriptis portionibus, quas singuli Canonici ab aerario quotannis adsignatas haberent; atque Canonicis singulis primae erectionis portio adsignata est in Libellis 1147; Canonico G. Libell. 106, et alteri 121. Hi duo aegre ferentes, sibi eam non adsignari portionem in ea quantitate quam prima vice a Priore acceperant, subscribere noluerunt solvendi mandatum, seu tesseram nummariam; at vicissim thesaurarius solvere recusavit.

ponere incepissent; quumque vicissitudine temporum, Beneficiis ecclesiasticis sublatis aut varia ratione imminutis, saepe contingat, ut ille Clericus videatur dives, qui Beneficium aliquod obtineat, in comparatione eorum, qui Beneficium non obtineant, aut saltem tenuissimum obtineant, hinc factum est, ut illae regulae minus servatae videantur, prae oculis potius habita aequa reddituum partitione, quam congrua cuiusque Beneficiarii sustentatione.

Quamvis autem Beneficiarius sit, qui potiorem titulum habeat percipiendi sui Beneficii fructus; attamen, quum pensionum impositio per modum firmae legis in parte fructuum certa fiat, quam declinare non possint illi, quos pensio gravat; quum ob varios titulos sive iustitiae sive aequitatis pensiones imponantur, consequitur, ut non ipso iure et facto imminutio pensionis eveniat, quando Beneficiario valde imminuantur fructus, sed per interventum auctoritatis ecclesiasticae competentis, quae solet esse illa, quae pensionem imposuit, quaeque causa cognita de hac re decernat.

Tam Canonici primae erectionis polliciti sunt utrique Canonico C. et S. se suppleturos esse ex propriis pensionibus, quod «oram pensionibus deesset; atque hortati sunt, ut dictam tesserami nummariam subsignarent.

In conficienda dein huius pollicitationis scriptura, Canonici primae erectionis significarunt, id se rependere non ex titulo oneroso, sed ex mera liberalitate, eandemque obligationem cessaturum esse, si quando vel deficeret pensio sibi assignata, vel minueretur, vel cessaret chorale officium : morte autem singulorum paciscentium eiusmodi obligationem nullum amplius iuvare.

Duo dicti Canonici has conditiones non admiserunt; atque hac de causa ille ipse Canonicus, qui scripturam obligationis proposuit, neque eo ipso anno solvit promissum supplementum; quod postea et alii fecerunt. Itaque duo dicti Canonici sua spe frustrati, curarunt primum, ut a Gubernio haberent, quod sibi spectaret ; deinde vero ad proprium Archiepiscopum preces converterunt, ut eius auctoritate Canonici seniores fidem datam servarent, quam implere tenerentur, non ex liberalitate, sed ex iustitia, quum adsignata iisdem a Gubernio pensio redditus antea perceptos superaret, in propriam ipsorum iacturam.

Quum officia curiae incassum cedere viderentur, hi duo Canonici preces admoverunt S. Congregationi, ut illi fidem datam servarent, ne amplius, quam par esset, aliena iactura*perciperent, neque actio iudicialis promoveretur scandalis obnoxia.

Archiepiscopus rogatus mentem suam non expressit, sed momenta rationum transmisit, quibus innitebantur Canonici seniones, quae ad haec reducuntur: praesumi non posse Gubernium adsignasse amplius Canonicis senioribus in iacturam iuniorum; neque ostendi sibi ampliorem redditibus quantitatem adsignatam : immo contrarium ostendi ex peracto inventario, ex quo pateret, quemque adsignatam habuisse portionem prout redditus ferrent, sive iuniorum, sive seniorum: quod si in prima partitione amplius percepissent iuniores, id contigisse ex minus perspecta rerum veritate: seniores pollicitos fuisse supplementum, ne Gubernium omnium suspenderet pensiones: iuniores ipsos denique frustratos esse pollicitationem, quod conditiones natura sua illi inhaerentes reiecissent, quod quinquennium siluissent, quod denique ad Gubernium se potius convertissent, ut pensiones augerentur, quam ut supplementum a se peterent.

Invitatis postea, ut moris est, partibus, ut iura sua coram S. C. deducerent, iuniores quoque sua rationum momenta deduxerunt, quae in eo consistebant, ut testimoniis opportunis ostenderent multo maiorem pensionem, quam redditus qui antea senioribus Canonicis ob venirent, ex errore fuisse a Gubernio iis adsignatam; et e converso sibi minorem: ex quibus inferebant, quum nemo locupletari debeat cum alinea iactura, ex eo quod illis excederet, se esse iuste compensandos: praesertim quum huic rerum aequitati accessisset fides, quae non ex liberalitate data esset, sed ut tesserami nummariam subsignarent, ne, facto novo rerum examine, pinguiores iisdem adsignatae pensiones periclitarentur: ideoque supplementum veram secumferre iustitiae rationem: hac de causa repudiasse conditiones deinde appositas: neque umquam siluisse, idque ostendere officia implorata ipsius Archiepiscopi, et ipsam invocationem magistratus, ut cognito errore aequa partitio fieret.

Disceptatio ISynoptica.

EA, QUAE ANIMADVERSA SUNT PRO CANONICIS IUNIORIBUS. Animadversum est pensiones, quas, subreptis Beneficiis, Gubernium rependit Beneficiariis, esse loco fructuum Beneficiorum quae subtraxit, iuxta ea, quae animadversa sunt in superiori causa *Pensionum.* Iamvero quemque Canonicum habere ius distinctum absolutumque in fructus proprii Beneficii, neque in eiusdem Gubernii latrocinantis facultate esse positum fructus unius Beneficii alteri assignandi. Si itaque maior pensio senioribus adsignata fuerit in damnum iuniorum, consequi, ut seniores compensare teneantur iuniores; tum quia *res clamat ad dominum;* tum quia ad resarcienda damna illi quoque tenentur, qui ex damno emolumentum perceperunt; tum etiam, quia fructus, qui pertineant ad Beneficiarium *propter officium,* alii *sine causa* lucrarentur.

Hinc commemorata sunt facta superius indicata pro Canonicis iunioribus, atque etiam novis indiciis corroborata, ad probandum seniores obtinuisse pensiones pinguiores prae fructibus antea perceptis, in damnum iuniorum. Quod si pinguiores prae fructibus illae adsignatae non fuissent, certum tamen esse, minores prae fructibus antea perceptis adsignatas fuisse iunioribus

pensiones; idque causa Canonici Prioris, qui non accurate inventario tradendo prospexisset: ideoque Priorem, qui causam damni dedisset, damni teneri.

Quod si ex adductis non pateret ius iuniorum in pensiones seniorum; non posse tamen dubitari de iure ex promissione derivante, quum sub ea promissione tesseram nummariam iuniores subsignaverint. Neque cessavisse eiusmodi obligationem ob recusationem a iunioribus factam acceptandi conditionem a senioribus postea appositas; etenim *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, Reg. juris* 33 *in* 6; neque debitorem posse facere deteriorem creditoris conditionem: neque silentium ex adverso iactatum posse eliminare obligationem, donec legitima praescriptio non consurgat.

EA, QUAE ANIMADVERSA SUNT PRO SENIORIBUS. Contra vero animadversum est, non esse satis iunioribus ostendere, se minores prae fructibus genuinis accepisse pensiones, sed ostendere debere, quod minus sibi traditum, fuisse collatum ex non aequa partitione senioribus; aut seniores causam fuisse damni sibi illati: in praesenti autem themate neutrum ostensum videri: immo e converso, computatione rite facta, apparere pensiones seniorum ne attigisse quidem summam antea perceptam.

Neque constare, seniores damno dedisse causam.

Quare obligationem supplementum iunioribus dandi posse dumtaxat repeti ex promissione: sed iuniores reiiciendo conditiones, quae natura sua cohaererent cum dicta promissione, eo ipso eliminasse eam obligationem; quum non possent graviorem reddere seniorum obligationem, quasi vero seniores ex ea promissione evaserint *correi debendi;* iuniores autem *correi stipulandi,* ita ut in solidum primi debitores et secundi creditores perpetuo evaserint: id enim praesumi non posse, quum stipulationes cum minori damno proinittentium sint intelligendae, *l.* 38 §. 18 *ff. de verbor. obligat. « In stipulationibus, quum quaeritur quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt: »* item *l.* 9 *ff. eod. tit. « Quidquid adstringendae obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est. Ac fere secundum promissorem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit, verba late concipere.* » Praesertim quum obligationes in solidum non sint praesumendae, sed explicite probandae, *Authent. Hoc ita, de duobus reis const.,* et *l.* 3 *C. eod. tit.*

Eosdem praeterea iuniores videri renunciasse facto ipso iuri, quod sibi ex promissione obveniret, quum et revera plures annos tacuissent, et ad Gubernium potius se convertissent.

Hisce animadversis, propositum est resolvendum

Dubiam.

« An et quomodo Canonici seniores solvere teneantur iunio-
« ribus differentiam, quae intercedit inter pensiones adsignatus
« et redditus, JJUOS ex Praebenda percipiebant, in casu. ».

RESOLUTIO. — S. Congregatio Episc, et Reg. causa cognita die 17 Septembris 1867 respondere censuit: *affirmative, attenta seniorum promissione, et ad Archiepiscopum pro liquidatione, exclusa solidarietate, et habita ratione onerum superventorum.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Nemini licere ditiorem fieri cum aliena iactura.

II: Quare si quis in bonorum partitione ad leges iustitiae facienda, interveniente legitimo partitore, plus perceperit in damnum alterius, posse compelli ad restituendum legitimo partitori, quod indebite perceperit, ut rejntegratio fiat.

III. Deficiente in re ecclesiastica partitore legitimo, debere ab Episcopo decerni reintegrationem.

IV. Colliges praeterea, fidem datam esse servandam; ideoque obligationes ex data fide oriri, quae pessumdari non possunt (1).

(1) Inspecto Romano iure, quod mores hominum tot saeculis moderatum est, enunciatum superius principium, quod ex iure naturae dérivât, fuit veluti cardo circa quem plurima Iurisconsultorum responsa versarentur, ut videre est in Pandectis sub titulis de stipulationibus, de verborum obligationibus, de verborum significatione et similibus, in quibus minutissime inquiritur quid per verba fuerit promissum, quid significatum, quid intellectum, quaenam obligationes ortae essent, quousque protenderentur etc. ita ut, si enunciatum principium paulisper neglectum intelligeretur, eo ipso sine significatione manerent omnes illae minutissimae determinationes. Haec vero ostendunt, quam firmum fuerit principium illud penes ethnicos. Quod notale volui, ut appareat discrimen, quod hac in re intercedit, inter mores antiquos, et praesentis aetat s mores, quum nihil facilius praesenti aetate pessumdari soleat in re, sive privata, sive publica, quam fides data.

V. Ita tamen datam ex promissione fidem esse intelligendam, ut in re dubia pro promissore sit iudicandum.

VI. In praesenti autem themate actum non fuisse de communi dividendo: quum seiuncta essent bona seniorum a Praebendis iuniorum : neque constitisse, seniores ditiores esse factos in damnum iuniorum sive causa data sive ex errore.

VII. Fidem tamen a se datam seniores declinare non potuisse, quamquam declinare iure potuerint solidale m obligationem.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

TRANSLATIONIS ET EMPHYTEUSIS

Die 22 Iunii 1861 et 4 Septembris 1869.

Compendium facti. Extra moenia urbis N. extabat sacra aedes, in qua erecta a remotissimo tempore erat Abbatia, nunc simplex Beneficium liberae collationis. Quum, Gallis dominantibus, ecclesiola haec in usus profanos conversa esset, postea, Rectore Beneficii curante, ad divinum cultum restituta fuit: sed brevi, quum recondito in loco sita esset, ianua eversa, perditorum hominum receptaculum facta est, et ad usus haud honestos cunctis patuit. Nihilominus iterum manus admovit Beneficiarius illius reparationi, quam, gravibus toleratis expensis, perfecit: sed ob frequentes alluviones, loci naturam et fabricae positionem in imo iacentis et a publica via, quae ei imminet, velut aggere circumseptae in eum sensim devenit statum, ut Episcopus id temporis eam divino cultui inservire amplius non posse intelligens interdixerit, et eiusdem ingressum muro obstrui pluribus abhinc annis iusserit. Inde vero exesis parietibus, tecto fatiscente, proximam minitata est ruinam, ita ut inutilis restauratio fuisset, sed e fundamentis iterum excitari debuisset, ut divino cultui restitueretur.

Quum vero Beneficiarius non in ea versaretur conditione, ut ex Beneficii fructibus eam iterum extruere posset; quumque de templo ageretur, ex quo nullum ferme populus commoditatis aut pietatis fructum percepturus esset; hinc Beneficiarius idem supplici oblato libello a S. Congregatione postulavit, ut dictae aediculae profanatio decerneretur, et Beneficii in ea instituti titulus cum adnexis oneribus ad unam ex capellis ecclesiae cathedralis, Ordinarii et eiusdem cathedralis Capituli accedente consensu, transferretur, ad quam translatio fieri etiam deberet leonis B. M. V. exstantis in aedicula profano usui addicenda;

monuit praeterea in hac aedicula non adesse neque sepulcra neque alia ecclesiastica monumenta. Oneribus insuper sese obstringere pollicitus est officia in eadem capella adimplendi, ibique celebrandi quotannis diem festum S. Titularis, nec non eandem propriis sumptibus decorandi.

Praeterea exposuit idem orator, inter fundos, qui dotem Abbatiae seu Beneficii constituerent, duos exstare, qui in emphyteusim ad tertiam generationem concessi fuere Antonio P; hortum nempe quendam pro canone scut. 11, et domunculam, quae ecclesiae praedictae contigua erat, pro canone scut. 9.

Proposuit itaque ut fabrica sacrae aedis, profanatione praemissa, in emphyteusim pariter traderetur cuidam Laurentio G. (successori dicti Antonii P. primi investiti), qui pro ea obtulisset canonem scut. 8, ita tamen, ut contractus emphyteuticarius, qui esset ad tertiam generationem, ceteris fundis comprehensis redderetur perpetuus. Animadvertit autem domunculam causa Municipii ita esse in praesentia dirutam, ut emphyteusi cessante, sperandum non esset, fore, ut emphyteusis aut locatio eiusdem pro responsione scutatörum novem renovari posset.

De his precibus rogatus id temporis Episcopus informationem et votum renunciavit, redditus Beneficii quod orator possideret, deductis oneribus, summam attingere scutatörum 135. Precibus autem oratoris in omnibus suffragatus est inquiens: « Quum revera palam sit, aediculam, de qua agitur, eo ruina- « rum, vetustatis et aquarum circum exundantium causa perve- « nisse, ut indecorum, immo impossibile sit sacra ibi peragere, « nisi prius ingenti expensa ea penitus exstruatur; et quum « praeterea illa erecta permaneat in loco ita solitario, ut et fu- « ribus, aliisque criminosis hominibus asylum sit et refugium, « haud dubitandum, quin pro dictae aediculae profanatione E.mi « Patres gratiam elargiantur. At vero, quum peraequum sit huius « Beneficii et titulum exstare et onera persolvi, hinc de eius « translatione in aliquam cathedralis ecclesiae capellani conve- « nire, pro qua et R.mi Canonici capitulariter iam convenere, « censendum esse arbitror. Qua translatione peracta, ecclesiae « utilitati praeterea erit consultum, si aedicula in usus profanos « conversa aliis bonis in emphyteusim datis adiungatur pro an- « nuo canone scutatörum octo, et insimul emphyteusis ipsa ex

« temporaria, uti nunc est, scilicet ad tertiam generationem, « ne canon ipse inde minui umquam possit, in perpetuum con- « cedatur ».

Hisce adiiciebat fundorum aestimationem, atque exponebat contractus utilitatem.

Disceptatio synoptica.

EA, QUAE ANIMADVERSA SUNT DE PROFANATIONE. Ex officio consideratum est, Concilium Tridentinum *sess.* 21 c. 7 *de Be f.* ecclesiarum restaurationem et conservationem valde commendare,, *ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant et ex hominum memoria excidant:* attamen ubi pares ad id non essent redditus, si de templis non paroecialibus agatur, aperte permittere, ut, illis tandem neglectis, « *Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, transferre possint Beneficia simplicia, etiam iurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis....cum facultate ecclesias dirutas in profanos usus, dummodo non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*

Hisce autem perpensis, animadversum est cum Card. De Luca *in adnotat, ad Conc. Trid. disc.* 17 *n.* 2, dari posse et alia quoque adiuncta, quibus Ordinarii locorum in s. visitatione decernere deberent profanationem, ut si de ecclesiis agatur exsistentibus extra loca habitationis et in locis campestribus seu ita positis, ut pro delinquentium ac facinorosorum hominum confugio cum publicae quietis perturbatione deserviant.

In praesenti autem themate, licet diviti redditu, deductis quoque oneribus, Beneficiarius, cui manutentionis ecclesiae onus eapropter inest, perfrui forte videretur; tamen eam esse praedictae ecclesiae conditionem ob loci naturam, ut non tam restauratione, quam nova aedificatione opus foret ; siquidem haud expediret reparare, quod duraturam-naon admitteret reparationem, ceu in

simili causa *Brictinorien.* 13 Septembris 1792 §. *Demolitioni* animadversum est.

Ceterum constare, Beneficiarium oratorem instaurationes anteactis temporibus non neglexisse, quas non tam iniuria temporis, quam adversa loci et fabricae conditio inutiles prorsus effecerit. Ad haec accedere periculum irreverentiae, cui aedicula obnoxia perpetuo foret improborum hominum malitia, praeterita experientia docente. Tandem nullum ex implorata profanatione populo pietati et commoditati inferri videri detrimentum, cuius rei intuitu profanationem vel demolitionem S. Congregatio interdum denegaverit, ut in *Ravennaten.* 29 Iulii 1775, et in *Aesin. Demolitionis* 26 Augusti 1780. Praesertim quum sacra aedes de qua agimus, et iamdiu interdicto subiecta, clausa maneret, et deficeret circumstantia tumulatorum cadaverum ; quibus adiunctis concurrentibus, persaepe S. C. respondisse pro sacrarum aedium profanatione, ut in *Lucami, Demolitionis et Translationis Missarum* 18 Augusti 1781 et in *Ariminen.* 16 Februarii 1788.

Quod si S. Congregatio ecclesiae profanationem decrevisset, quum decernendum quoque esset de translatione Beneficii cum adnexis oneribus et B. M. V. imagine, animadversum est, translationem propositam convenire cum allegata Tridentini Constitutione, tum quod ad aliquam ecclesiae cathedralis capellani fieret translatio, quae quoad alias ecclesias matrix censetur, cui quidem translationi assensi essent Episcopus et Capitulum, tum etiam, quod Beneficiarius onus manutentionis capellae sibi assumeret, ut in *Narnien.* 24 Martii 1657 (lib. 19 Decret, p. 642), et in *Terracinen.* 14 Aprilis 1764, et alibi.

DE CONTRACTU **EMPHYTEUTico.** De proposito emphyteusis contractu adnotatum est, nihil impedimento esse, quominus aedicula, qua de agimus, postquam profanationi subiecta fuerit, in commercio hominum esset, quum desinat esse sacra aedes ; s. Thomas 2, 2, *q.* 106 *art.* 4 *ad* 2: atque praeterea aequum esse, ut redditus, sive ex locatione, sive ex emphytesi eiusdem fabricae percipiendos in Beneficii utilitatem convertantur, ceu perpensum fuerat in *Ariminen.* 30 Martii 18^4 §. *Quibus.* Reliquum igitur esse, ut decerneretur, num utilis esset propositus contractus. Perutilem illum censuisse Episcopum habita ratione exigui fabricae valoris: difficultatem tamen in eo fortasse esse,

quod emphyteusis perpetua postuletur; praesertim quum etiam quoad alia bona, quae in temporaneam emphyteusim iamdiu data essent, protendenda peteretur. De qua re adnotatum est, quod licet in anteactis saeculis dari non soleret Beneplacitum Apostolicum pro emphyteusi perpetua, tamen recentiori aetate S. Congregationem non semel ab huiusmodi praxi recessisse.

Denique in praesenti themate opus esse dispensatione ab solemnitatibus, quae in contractibus bonorum Ecclesiae praescribuntur.

His animadversis, proposita sunt resolvenda

Dubia.

i. « An sit locus profanationi ecclesiae de qua agitur, ac « respective translationi titilli Beneficii cum adnexis oneribus « in casu.

II. « An sit consulendum SS.mo pro adprobatione propo- « sitae emphyteusis in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita in comitiis habitis die 22 Iunii 1861, respondere censuit:

Ad I. *Affirmative in omnibus, servatis tamen praescriptionibus S. Concilii Tridentini sess.* 21 c. 7 *de Ref.*

Ad. II. *Dilata, et exquiratur votum novi Episcopi tam super transitu emphyteusis* (a familia P. in familian G.), *quam super conditionibus et utilitate novi contractus.*

CAUSAE PROSECUTIO QUAD SECUNDUM DGBIUM. Causa iterum proposita fuit die 31 Augusti 1861, in qua ex relatione novi Episcopi cognitum est, inter bona quae in emphyteusim tradi peterentur, comprehendi quoque quandam parvam aream, quam ex contractu locationis nunc haberet Laurentius G. non tamen declaratum singillatim de legitimo transitu emphyteusis ex familia P. in familiam G : quare S. C. iterum rescripsit : *Dilata, et scribatur iterum Episcopo, habito respectu ad qualitatem et naturam emphyteusis, magis praecise referat super noviter deductis et praesertim super legitimo transitu emphyteusis a P..... in* **Cr.....**

Tertio rediit questio disceptanda in Congregatione diei 27 Augusti 1864, et ex eadem fere causa S. Congregatio rescripsit:

Dilata, et audiantur in scriptis interesse habentes (1). Iuxta hoc Rescriptum Ordinarius haec inter cetera renunciavit: « In em-« phyteusi, de qua agitur, quot sunt de gente P. interesse potuis-« sent habere, nihil omissum, quominus omnes illi audirentur, a « quibus plane rudibus tantum voce uniformiter declaratum fuit, « se haud esse heredes Dominici P., sin minus nil sibi curae de « huiusmodi emphyteutico contractu ». Reproposita itaque causa die 4 Septembris 1869, S. C. ad secundum expositum dubium rescripsit: *Affirmative, pro emphyteusi duratura ad annos nonaginta novem, expletis experimentis vicesimae et sextae, assumpto per emphyteutam onere molestiarum, quae a descendentibus P. forte inferri ptossent.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Templa non paroecialia, quae locis reconditis sistant, quaeque adeo fatiscant, ut neque restaurata diu consistèrent, neque utilitati fideli populo essent, in profanos usus, dummodo non sordidos, converti iure posse (2).

II. Ideoque templa auctoritate episcopali ita profana reddita in hominum commercium venire, quum sacra esse desinant (3).

III. Aequum autem esse, ut loci materiaeque pretium seu emolumentum in utilitatem convertatur Beneficiorum, quae forte in ea extiterint (4), quaeque in aliam ecclesiam seu capellani

(1) Qui nesciunt Italicam vel similem linguam, neque in usu loquendi Curialinm sunt versati, nonnisi forte conficiendo intelligent haec verba, *interesse habentes,* quae in curia limitantur pro: *illi quorum id intersit.* Quomodo in formulas eiusmodi rationes dicendi inductae fuerint et inducantur, dixi in *vol. I. p. 447 in adnot.*

(2) Confer huius generis causas, quas exposui in *vol. IL pag. 461 et seqq.* et in *vol. III. pag. 421 et seqq.*

(3) Si comparatio instituatur inter ius romanum et ius canonicum de templis locisque Deo sacris profano usui non addicendo, apparet, multo mitius esse ius canonicum, quam romanum ius. Attamen antiquitus ante dispositionem Tridentini Concilii in allegato *cap. 7 sess. 21 de Ref.* quum apertae dispositiones iuris canonici de hac re non haberentur, Intepretes ss. canonum, prae oculis habitis dispositionibus romani iuris, hac in re facile excesserant, ut nominatim fecit Glossa, quam superius in *Adnotat.* allegavi.

(4) In causa *Ariminen. Demolitionis et translationis,* agitata in S. C. C. die 5 Aprilis 1788, agebatur de quodam Oratorio iurispatronatus demoliendo ob similes causas de quibus supra egimus in praesentia, atque in

transferenda sunt cum iisdem titulis, oneribus, sacrisque pietatis christianae monumentis.

IV. Colliges praeterea, contractum emphyteuticum rerum ecclesiae ex temporaneo perpetuum non reddi ab Apostolica Sede, nisi de evidenti utilitate huius perpetuae alienationis constet.

V. Neque Beneplacitum Apostolicum, in alienatione rerum Ecclesiae necessarium, concedi solere, nisi solemnitates praescriptae expleantur (1).

eo erectum reperiebatur Beneficium, et ad instantiam" Patroni quaerentis demolitionem et translationem propositis dubiis: I. « An sit locus demolitionis Oratorii SS.mi Crucifixi in « casu: et quatenus affirmative: II. An « sit locus translationi Missaium ad «aliud Oratorium S. Bartholomaei « vel potius ad ecclesiam S. Io. Baptistae in casu. » S. Congregatio respondit: ad I. *affirmative:* ad II. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam iuxta votum Episcopi; et ad mentem: nempe quod coementa cedant favore Beneficii.*

(1) De hisce solemnitatibus non nulla scripsi, ac Decreta alias in bis ephemeridibus adducta ad rem facientia indicavi occasione causae, quam exposui in *vol. II. pag. 418 et seqq.*

REMOTIONIS ADMINISTRATORIS ET ERECTIONIS CANONICATUS

Die 31 Iulii et 21 Augusti 1869.

Compendium facti. Nicolaus, testamento condito anno 1859, heredem omnium bonorum usufructuariam inscripsit matrem, post cuius mortem hereditatem universam administrari iussit a leviro Philippo, iniunctione facta acquirendi directum dominium cuiusdam domus hereditariae et dandi portionem hereditariam fratri ipsius testatoris iam debitam: mandavit praeterea dicto administratori ut erigeret in ecclesia cathedrali Canonicatum ex reliqua hereditate, quem possidere deberet Leopoldus Clericus filius eiusdem Philippi administratoris.

Volvente anno 1865 testator mentecaptus decessit, et eum iam morte praecesserat eius mater. Quare Philippus A. munus hereditatem administrandi suscepit, atque apparuit, proventus et bona hereditatis consistere in domo emphyteutica, quae ex utili dominio redderet scutata annua 430; item scut. 300 ex quadam hortus locatione conductione; atque in nonnullis rebus mobilibus ad testatoris personam vel habitationem pertinentibus; eiusmodi autem proventus et bona hisce oneribus vel aere alieno gravari: id est, canone dictae emphyteuticae domus solvendo scut. 55; scut. 1000 erga testatoris fratrem; debito scut. 1040 solvendo cuidam creditori viro S., quod contractum fuerat post conditum testamentum, tempore quo dementia testatoç laborabat; onere denique vectigalium," exactionis, reparationum, scut. 43.

Multae inde exortae sunt quaestiones, sive pro infirmanda testatoris voluntate, sive pro consequenda parte hereditatis; quae tamen ex negativo responso S. C. cessarunt.

Sed anno 1868 civile rei mercatoriae tribunal decoctum administratorem Philippum in sua re familiari iudicavit, atque notum factum est, eundem administratorem obstringi debito erga praesentem causam piam scut. 203. Capitulum cathedrale e re sua duxit a S. Congregatione postulare, ut removeretur dictus administrator, ut venderetur dicta domus hereditaria ad extinguendum debitum scut. 1400, atque ut reliquum pretium investire tur in tot schedulis debiti publici vulgo *Consolidato* pro Ca-

nonicatu erigendo : et quatenus redditus superessent, erigeretur quoque aliud Beneficium.

Hisce precibus obstitit Philippus.

Rogatus de his rebus Episcopus plura testatus est, quorum causa pessimam censuit administrationis gestionem ; ideoque administratorem iam decoctum removendum : atque suffragatus est petitioni Capituli in vendendo utili dominio dictae empliyteuticae domus ad erigendum quam citissime Canonicatum : atque nonnulla alia, quae piae causae utilia existimavit, proposuit.

De more, quum Decretum, editum sit *ponatur in folio,* ut causa in plena Congregatione disceptaretur, tum partes **causí**dicos constituerunt, qui ad invicem concinnarunt dubitandi formulas, quae in calce prostant, suasque allegationes exhibuerunt.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPITULI. Contendit Capituli Defensor removendum esse ab administrandis bonis causae piae Philippum, allegato textu in cap. *Tua nobis, de Testamentis,* in quo sic Gregorius IX. rescripsit: *Tua nobis f. intimavit, quod nonnulli tam religiosi, quam clerici saeculares et laici, pecuniam et alia bona, quae per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Quum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici; mandamus, quatenus exsecutores testamentorum huiusmodi, ut bona ipsa fideliter et plenarie in usus praedictos expendant, monitione praemissa, mmpellas : » et cap. S et 9 sess.* 21 *Concilii Trid. de Ref.* Ex his enim arguit, posse P]piscopos, legitimis concurrentibus causis, administratores ab exercitio administrationis suspendere vel removere, quemadmodum removerentur tutores pupillorum, et minorum curatores, quum in iure causae piae aequiparentur causis pupillorum et minorum iuxta *Clement, cap. Quia contingit, §. Ut autem de religiosis domibus.*

Porro legitimas causas removendi tutores deprehendi ex textu in *I.* **3 §. 5** *ff. de suspectis tutor, et curat,* in qua de tutoribus vel curatoribus suspectis haec leguntur: « *Sciendum est, aut ob*

dolum in tutela admissum suspectum licere postulare, si forte gras, satus in tutela sit, aut quod sordide egerit mi perniciose pupillo, vel aliquid interceperit ex rebus pupillaribus iam tutor ». Quod enucleatius quoque statuitur in *I.* 4 §. 4 *ff. eod. tit.* in quo legitur : « *Qui nihil gesserunt, non possunt suspecti postulari, verum ob ignaviam vel negligentiam vel dolum, si dolo fecerunt, possunt removeri ».*

Hisce in iure adductis, omnes causas removendi ab administratione Philippum confluere inquit Defensor, tribus innixus curiae relationibus in diversis exagitatis quaestionibus; ex his enim ostendere studuit, pessimam eius administrationem, tum ob usurpationes, tum ob violatam fidem, tum ob negligentias, tum denique ob eius idoneitatis carentiam. Atque denique, tamquam harum rerum fastigium commemorabat eius decoctum argentum: et incivile esse concludebant, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscantur, et ab aliis regantur, aliorum tutelam curamve gerere, iusta textum in *Instit.* §. 13. *de excusat, tutor.*

Hisce animadversis circa primum dubium, gradum fecit ad alterum atque ostendere studuit, cathedralem ecclesiam, de qua agimus, indigere sufficienti Canonicorum numero, et testatoris voluntatem postulare promptam Canonicatus erectionem. Voluntas enim testatoris fuerat, ut extincto erga fratrem debito scut. 1000 atque, utili dominio domus emphyteuticae cum dominio directo consolidato, in erectionem Canonicatus illico devenire tur.

Itaque animadvertit Defensor, in praesentia utrumque ferme obtinuisse locum, quum frater creditor successisset in locationem conductionemque hortus ; consolidationem autem dominii utilis cum dominio directo tamquam non scriptam habendam esse ex renuentia domini directi, qui dominium directum cedere noluerit, ac proinde impossibilem evasisse conditionem, locumque ideo habere quod statutum legitur in *Instit. de hered. instit.* §. 10 « *Impossibilis conditio in institutionibus et legatis, nec non fideicommissis et libertatibus pro non scripta habetur ».*

Quod si adhuc maneret extinctio alterius debiti scut. 1400 erga virum S. monuit Defensor, eiusmodi debiti extinctionem non fuisse a testatore praescriptam, quum hoc debitum supervenisse! testamento iam confecto: atque idem Defensor quendam praeterea modum indicaba!, quo posset statim erigi Canonicatus

et extingui paullatim hoc debitum: ex quo modo proposito superfuisset semper novo Canonico summa scut. 14 singulis mensibus: atque alia proposuit, quae Capitulum proposuerat.

Hisce itaque aliisque animadversis, in statuta Congregatione diei 31 Iulii 1869 causa fuit proposita; sed quum altera pars quaereret dilationem, ut iura sua deduceret, S. Congregatio precibus annuens rescripsit: *Dilata ad sequentem omnino et infallanter.*

CAUSAE PROSECUTIO, SEU DEFENSIO ADMINISTRATORIS. Defensor administratoris ultro concedebat, deveniendum esse quamprimum ad erectionem Canonicatus; statuebat tamen, non esse nunc rationem habendam de debito erga virum S. quod contractum fuerat a Curatore tempore dementiae testatoris testamento iam facto. Inquiebat enim hoc esse debere onus eiusdem Canonici qui in Canonicatu institueretur ; et non esse confundendam erectionem Canonicatus cum administratione futura.

Quod si tamen huic debito nunc fieri satis censeretur, subiunxit, non esse annuendum propositioni Capituli pro venditione domus emphyteuticae ad extinguendum dictum debitum et ad investiendum quod superesset in schedulis publici debiti *Consolidato.* Reiiciebat autem eiusmodi rationem investimenti in tabulis debiti publici tamquam non canonicam. Facta enim hypothesi, tutum eiusmodi investimentum esse quoad substantiam, augeri tamen vel minui posse redditus animadvertit, ex ludis negotiatorum : ideoque firmam fuisse methodum iuxta ss. canones praescriptam inculcatamque passim a S. C. Episc, et Reg. *bona ecclesiastica investienda esse in bonis stabilibus tutis ac frugiferis:* ac nonnisi in subsidium dictam S. Congregationem admittere investimentum in censibus: et in extremam tandem rem, ex speciali facultate a R. Pontifice imploranda, permittere investimentum in tabulis publici debiti, atque ita, ut investiantur in schedis nominalibus, exclusis illis non nominalibus, quae italice dicuntur *al Portatore.* Ideoque abnorme esse, stabilem bonamque domum vendere, atque eos redditus acquirere, qui ultimo loco ad investiendum permittantur.

Quod quidem eo firmius esset tenendum, quod de vendenda domo ageretur, cui ex testamento adnexum esset Missarum onus: hac de re commemoravit Defensor solemnia Decreta Urbani VIII. et Innocentii XII. edita die 21 Iunii 1625, in quibus haec prae-

scribuntur §. 6. « Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera « Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in iis, ut « par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod «onera huiusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate coniuncta, « statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, Ca- « pituiis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, « Monasteriis, Conventibus ac Locis omnibus tam saecularibus, « quam regularibus atque illorum Personis in futurum simpliciter « acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab « iis, ad quos pertinet, sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiae « ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi « debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultati- « bus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quampri- « mum investiendi in *bonis immobilibus fructiferis* cum expressa « et individua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur ». **§. 7.** « Ac, si eadem bona immobilia Auctoritate Apostolica « deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem « poena, ut supra, deponi, atque *in aliis bonis stabilibus itidem « fructiferis* cum eiusdem oneris repetitione atque annexione « converti debeat ».

Eo vel magis id in praesenti themate locum habere, quum testator statuens dictam domum pro Canonicatus erectione, eam adeo praedilexerit, ut liberari quoque voluerit ab annuo canone rependendo domino directo, ut libera prorsus Canonicatui remaneret.

Hinc et suam Defensor proponebat methodum extinguendi debitum, qua servata, superfuissent novo Canonico menstrua scutata **10: 37.** Hanc autem a se propositam methodum eo vel magis inculcabat, quod curandum esset, ut familia administratoris, quam modis omnibus praedilexerat testator, commodum aliquod ex institutione filii eiusdem administratoris in Canonicatum persentiret.

Post haec, facta animadversione, quod per erectionem Canonicatus prima dubii formula locum non amplius haberet ; inde ostendere perrexit documentis adductis, Philippum non male munus administratoris gessisse.

Hisce aliisque ample disputatis, proposita sunt resolvenda.

Dubia.

I. « An sit locus remotioni administratoris in casu.

II. « An et quomodo sit locus erectioni Canonicatus de quo agitur in casu ».

RESOLUTIO. **S. Congregatio Concilii, causa cognita die** 21 **Augusti** 1869, **respondere censuit:**

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Affirmative iuxta modum: modus est, ut illico erigatur Canonicatus ad formam testamenti, et facta quamprimum Canonicatus provisione prout de iure, novo Canonico assignentur pro nunc duodecim scutata quolibet mense, comprehensis Missarum oneribus : ceterum Episcoptis, per ecclesiasticum virum administratorem deputandum, curet, meliori quo potest modo, expunctionem aeris alieni, quo dotatio gravatur, firma interim provisione ab Episcopo decreta, facto verbo cum SS.mo; et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Administratorem bonorum ad piam causam relictorutn subesse debere vigilantiae Episcopi, qui ipso iure exsecutor atque vindex est omnium piarum voluntatum (1).

II. Negligentem vel imperitum administratorem, etsi a testatore constitutum, si tamen de eius gravi negligentia et imperitia constiterit, ab Episcopo removeri posse ab administrandi munere.

III. Non enim inferior est conditio bonorum, quae sub administratore ad causam piam sitit immediate relicta, quam conditio bonorum eius, qui sub curatore sit.

IV. Ideoque quae causae rite expellerent curatorem, eaedem expellere possunt administratorem rerum, quae pro pia causa sint destinatae.

V. Colliges praeterea, in vesti mentu m reni n Ecclesiae, quod consistat in emptione reddituum, ex quovis fonte hi proficiscantur, canonicum praecipuumque investimentum non esse, quum Aerimi investimentum consistat in collocatione pretii in rebus stabilibus et frugiferis.

(1) Recoli» ([liae scripsi in eo, ff, ircf. 3-ifJ cf sciq.

VI. Quare ipsam emptionem reddituum, qui ex re stabili determinata et circumscripta percipiantur; quique census appellantur, nonnisi in subsidium, id est in carentia primi verique canonici investimenti locum per se habere **(1).**

VII. Nonnisi tertio ultimoque loco permitti, ex venia Apostolicae Sedis iuxta rerum adiuncta, investimentum, quod consistat in emptione fructuum ex publico debito derivantium.

VIII. In praesenti themate nulli investimento factum esse locum, quum neque necessitas exigeret stabilis domus atque frugiferae venditionem, neque evidens canonica utilitas id postularet, neque voluntas testatoris id pati videretur.

(1) Confer, quod scripsit cl. Aloisitis Trombetta in opusculo recenter edito, cui titulus *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum,* in quo auctor exponit normas prae oculis habendas vel praescriptas per S. C. Ep. et Reg.

CAPELLANIAE

Die 13 Iunii, 29 Augusti 1868, et 23 'ianuarii 1869.

Compendium facti. Salvator P. in oppido-N, capellaniam erexit in quodam eiusdem oppidi templo : suo testamento anno 1685 dotem adsignavit sc. 800 precipiens, ut duo Capellani eidem capellaniae inservirent et fructibus eiusdem dotis fruerentur.

Idem pius fundator elegit duos capellanos scilicet Ioannem Sergium filium Virginiae, et Dominicum Sergium filium Laviniae, quae erat fundatoris neptis. Inde edixit legem, qua dictae capellaniae iuspatronatus sive activum, sive passivum regeretur his verbis: « Usque dum durabunt descendentes e domo dictae La-
« viniae, Virginiae et Artemisiae aut ex parte Caeciliae G. sororis
« meae, seu eius heredes, facultatem habeant eligendi 'in capel-
« lanos amovibiles et non secus ; et si in hisce duabus familiis
« reperiantur plures Clerici vel Sacerdotes semper primi nomi-
« nentur, ut, quum sint clerici, possint quoque ordinari ad titu-
« lum capellaniae ».

In tabulis vero eodicillaribus anno 1686, re paulisper mutata, idem testator edixit « ut nominatio fieri debeat a descen-
« dentibus e domo dictae Caeciliae G. ipsius sororis et Laviniae
« Sergii ipsius neptis seu descendentibus per lineam masculi-
« nam, qui si non exsistant, talem electionem habeant illi ex
« linea feminina, et supervenientibus descendentibus in linea
« masculina, talis electio ad hos redeat, et ita semper proce-
« dat; sed capellani perpetui sint semper qui primi sunt ex
« linea masculina si habeantur sacerdotes vel clerici, secus no-
« minentur capellani amovibiles ut supra, quousque veniant de-
« scendente? ».

Mortuo testatore tum Caecilia G. tum Lavinia Sergia Episcopo se st itérant postulantes, ut sibi concederetur iuspatronatus, et expedirentur Bullae collationis pro primis nominatis a testatore.

Episcopus precibus annuit, et die 14 Martii anno 1687 haec decrevit: « Universis.... notum sit...., quod fuit hodie.... oblata
« petitio, quae continet .... Salvatorem P.... erexisse.... et reli-

« quisse- pro eius dote scutata 800 in tot censibus, et ordinasse,
« quod patroni absoluti fructuum scutatörum dictorum 800 sint
<< et esse debeant pro aequali portione clerici Ioannes filius An-
« tonii Sergii et Dominicus filius Sulpitii Sergii, quos in capel-
« lanos perpetuos dictae capellaniae, in praedicto testamento
« et codicillo nominavit et praesentavit, et decedentibus istis,
« illi, qui praesentati fuerint a descendentibus Laviniae et Cae-
« ciliae provenientibus *a linea masculina si aderint,* sin minus
« provenientibus ex linea feminina (quando vero masculi ade-
« rint), quos masculos voluit semper et in perpetuum praeferri
« in huiusmodi iurepatronatus, quibus facultatem dedit praesen-
« tandi ad eandem capellani toties, quoties casus vacationis
« evenerit, sacerdotes seu clericos primos de dictis familiis in
« capellanos perpetuos, alias, istis deficientibus, ordinavit eligi
« amovibiles ad nutum donec aderint in dictis familiis sacer-
« dotes seu clerici . . . . Et propterea, quum iam per heredes
« fuerit facta adsignatio . . . . cupere, ut concessionem huiusmodi*
« iuris patronatus et iuris praesentandi cum omnibus et singulis
« iuribus ... nec non Bullas collationis eiusdem capellaniae dictis
« clericis... concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi votis
« et precibus annuentes... auctoritate ordinaria, qua fungimur,
« concessioni et fundationi capellaniae... assentientes ... stante
« citata dispositione, erectione et dotatione, concedimus cum po-
« testate praesentandi capellanos.... litterasque Bullares colla-
« tionis huiusmodi capellaniae erga praedictos clericos ... fieri
« mandamus etc. ».

Eadem die 14 Martii Episcopus mediam capellaniae partem per Bullam contulit Ioanni Sergio, et dein die 7 Aprilis alteram mediam partem per Bullam contulit Dominico Sergio.

Anno 1858, vacante Capellania, Antonius Sergius cogitans capellaniam esse mere laicalem possessionem integram eiusdem ex se cepit eandemque retinuit, qui clericus quidem erat, sed multis ab hinc annis non amplius incesserat habitu et tonsura.

Aegro animo id diu tulit Angelus Sergius, qui nunc Sacerdotio initiatus supplices preces admovit SS.mo Patri exponens, se utpote Presbyterum, et descendentem ex linea Sergiorum, a fundatore praedilecta, vocari ad possidendam capellaniam: ideoque petiit, ut remoto illegitimo detentore Antonio, in possessionem capellaniae rite immitteretur.

Hoc resciens quidam Petrus D. Archipresbyter in eodem oppido preces et ipse admovit S. G. asserens, ex testamento Salvatoris ad dictam capellaniam se quoque passive vocari; immo utpote fundatori proximiorem et in ordine Presbyteratus antiquiorem ceteris esse praeferendum.

Episcopus ad quem preces remissae sunt pro informatione et voto, inter cetera retulit, capellaniam esse ecclesiasticam, lineam praeelectam iugiter iure activo et passivo gavisam fuisse; Sacerdotem Angelum Sergium ex parte patris e linea masculina a testatore praedilecta, ex parte autem matris e linea feminina descendere; Petrum D. Archipresbyterum a linea feminina derivare; stipem autem Antonii Sergii, qui integram capellaniam, ut dixi, detinebat, non cognosci, ut eius propinquitas cum linea praedilecta probari posset; eundemque plurimis abhinc annis habitu et tonsura non incedere. Censebat autem, quum duo esse deberent Capellani, primum esse debere Presbyterum Angelum, secundum autem Petrum D. Archipresbyterum.

Post haec ex iussu S. C. publicatis ab Episcopo edictis, se sitierunt curiae episcopali alii tres utpote clerici et descendentes e linea Sergia et ut nominati ab aliis nonnullis, qui se dicebant patronos; atque alii quoque consurrexerunt patroni, qui suffragium suum dederunt dicto Presbytero Angelo. Episcopus omnia ad S. C. remisit.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO-ANTONII SERGII. Antonius contendit, se iure capellaniam possidere, quo ex una masculina linea Sergiorum descenderet, quum eodem cognomento appellaretur, et capellania laicalis esset.

Quod capellania esset laicalis ostendere curavit ex eo, quod fundator capellaniam amovibilem instituerit; amovibilitatem autem non coherere cum Beneficiis ecclesiasticis, quae natura sua perpetua esse debent.

Neque rationem esse habendam episcopalis Decreti, quod superius exposui, et institutionum episcopalium, quae inde subsequutae assererentur: quamvis enim episcopale erectionis *Decretum* locum tantum habeat in erigendis Beneficiis ecclesiasticis; tamen in illo de quo agimus, non legi consuetum verbum *erigimus* etc. Quod si tamquam episcopale erectionis Decretum con-

siderali vellet, in comperto tamen esse inquiebat, eiusmodi Decreta pervertere non posse fundatorum voluntatem ; neque fas esse Episcopo capellaniam laicalem in Beneficium erigere ; Corradus *in prax. Benef. I.* 2 c. 16 *n.* 145, Pitonius *de controrers. patron, alleg.* 33 *n.* 87, ceterique passim.

Multoque minus obesse posse contrariam observantiam, quae e contrario assereretur tantum et non probaretur ; eaque etiam probata, nihil posse inferri, quum ex actu arbitrario derivans contra fundatoris voluntatem procederet.

Porro neminem latere eiusmodi capellanias laicales regi non iure Beneficiorum, sed iure successionum iuxta fideicommissorum leges, salvo iure Episcopi invigilandi super onerum implemento; easdemque considerari quoque uti mera pia legata, ceu passim Auctores tradunt.

Ergo inferebat, se iure ad simplex mandatum possessionem capellaniae cepisse, eandemque posse retinere etiamsi habitu clericali non incederei.

EA, QUAE CONTRA ANTONIUM SUNT DEDUCTA. E contrario animadversum est, capellaniam videri ecclesiasticam: Capellaniam enim ecclesiasticam reputari solere, si haec indicia concurrant: quod peculiarem dotem habeat, proprium titulum, suum altare, certum Missarum onus, subiecta sit Episcopo eiusque visitationi, ceu perpendit S. Rota *in Papien. Beneficii* 28 *Ianuarii* 1754 *§. Coram Borul.* Haec autem indicia concurrere in capellania de qua agimus.

Neque obstare eius amovibilitatem, quum aptitudine sua perpetua esset, quod ad indolem capellaniae ecclesiasticae sufficeret ceu tradunt Barbosa *Iur. eccles, univers. I-* 3 c. 4 *p.* 2 *n.* 7, aliique.

Praeterea in praesenti themate concurrere episcopale erectionis Decretum, in quo licet non haberetur verbum *erigimus,* aequivalentia verba haberentur, ut haec: *auctoritate ordinaria, qua fungimur, concessioni et fundationi capellaniae assentitur... iuspatronatus concedimus.... facimus potestatem praesentandi capellanos.... litteras collationis fieri mandamus.*

ipsam denique collationem seu episcopalem institutionem in capellania per Bullas ostendere, eam ecclesiasticam esse, ceu passim adnotatur in causis S., C. C. Episcopum autem testari per episcopales Bullas datam fuisse canonicam institutionem in capellania de qua agimus, ex quo idem Episcopus arguebat, eam ecclesiasticam esse.

Post haec disputatum est, quinam ex praesentatis consequi deberet capellaniam: quam molestam nec utilem facti quaestionem omittimus.

Dubium

I. « An constet de legitima possessione capellaniae favore « *(Antonii Sergii)* in casu.

« Et quatenus negative.

II. « An, quomodo, et cuius favore danda sit capellania in « casu ».

RESPONSIO. S. Congregatio Concilii die 13 Iunii 1868 distulit Resolutionem^ad sequente n Congregationem per consuetam formulam : *Dilata ad sequentem.* Iuxta hoc mandatum reproposita fuit causa, die 18 Iulii sequantis; sed quum in pervigilio propositionis nova documenta adducerentur, iterum responsum prodiit : *Dilata ad sequentem, habita ratione novorum documentorum.*

CAUSAE PROSECUTIO. Nova documenta quae sunt deducta, haec ostendebant: id est, duos capellanos capellaniam semper possedisse: recentiori saltem tempore capellanos non capisse possessionem eiusdem per institutionem episcopalem Bullis scilicet expeditis; sed facto ipso, vel potius per quoddam Curiae mandatum, possessionem cepisse: ante annum 1842 duos Capellanos fuisse e Sergiorum familia, quin tamen eorum unus esset clericus, cfui, satisfactis oneribus capellaniae, sibi redditus percipiebant: Antonium Sergium de quo agimus, obtinuisse primam capellaniae partem anno 1846 per cessionem, qua n fecit eidem eius patruus tunc capellaniae possessor: eam obtinuisse quodam pacto, quod simoniacum certe fuisset, si capellania esset ecclesiastica, eamque Antonium retenuisse, quamvis tamquam laicus sese gereret: mortuo secundo Gapellano, fratre eiusdem Antonii, Antonium consecutum esse et alteram. Capellaniae partem per simplex Curiae mandatum, ideoque hactenus integram capellaniam possedisse.

Praeterea, pendente hac causa coram S. C, alter e familia Sergia sese exhibuit, qui ut passive vocatus capellaniam implorabat; item alter, qui patronum se asserens suffragium simul tulit Antonio Sergio.

Novae inde rationes sunt utrimque adductae, quae confirma rent aut uberius declararent eas, quas superius exposui.

Contra Antonium animadversum est, posita natura ecclesiastica capellaniae, ipsum non posse eam retinere, quum non per institutionem canonicam consecutus esset; immo primam capellaniae-partem obtinuisse quoque ex pacto simoniaco; ideoque retinere non posse.

Facta'etiam hypothesi, capellaniam laicalem esse, quum tamen ex institutione haec exigeret qualitatem vel sacerdotalem vel clericalem, non posse Antonium eam possidere, quum ut laicus in omnibus se gereret.

Neque Antonio prodesse s. tonsuram, quam multis abhinc annis susceperat, quum per spontaneam habitus dimissionem omni iuri censendus esset renunciasse : neque saltem declarasse apud acta Curiae, se habitum esse reassumpturum ; ideoque incidisse in poenam, quam inflixit Sixtus V. per Const. *Cum sacrosanctum.*

Hisce rationibus respondit Antonius, primo contendens capellaniam esse laicalem ex superius dictis in prima causae propositione; deinde se esse clericum respondit, et posse habitum clericalem reassumere quando sibi videretur: non tamen ad id teneri, quum fundator non praescripsisset, ut clericus capellanus incedere deberet habitu clericali: neque ad id ex communi iure teneri, quum poena privationis contra non incedentes vim suam exserat in illis, qui Beneficia ecclesiastica possideant aut ecclesiasticas pensiones; non vero in eos qui capellanías laicales possideant, uti adnotat Card. De Luci *Adnot. ad Concil. Trid. disc.* 24 *n.* 10 ubi scripsit : « Beneficiorum appellatione ad hunc effectum « ea solum veniunt, quae vere ac legaliter talia sint; quia nempe « cum Apostolica vel Ordinaria auctoritate, sive cum illa alterius « ecclesiastici superioris, ad id sufficientem potestatem habentis, « legitime ac servatis servandis fundata sint: secus autem ubi «agatur de capellanus manualibus,"sive legatis piis ex sola pri- « vata dispositione fundatis, quamvis cum onere celebrationis « Missarum, quod per substitutos recte impleri potest, adeo ut « dicta formalis fundatio, seu erectio non accedat; quum huius- « modi capellaniarum ac piorum legatorum etiam mulieres ac « infantes sint capaces ».

Animadvertit praeterea Antonius, aequitatem canonicam haud sinere, ut aliquis privilegio clericali spolietur sine ulla formali monitione: neque posse invocari Sixti V dispositionem, tum quod

haec loquatur de clericis, qui Beneficio aut pensione ecclesiastica fruerentur; tum quod rigorem huius dispositionis temperaverit Benedictus **XIII** per Constitutionem, quae incipit : *In supremo* editam die 1 Octobris 1724.

Propositis itaque iterum ante dictis dubitandi formulis in comitiis habitis die 29 Augusti 1869 S. Congregatio respondit: Ad I. *Negative quoad unam ex capellaniis, et amplius : quoad alteram dilata, videatur de bono iure, et Antonius doceat de reassumptione habitus clericalis, deputato interim ab Episcopo administratore bonis utriusque capellaniae.* Ad II. *Patroni utantur iuribus suis coram Episcopo quoad nominationem capellaniae vacantis.*

Quum itaque Antonius ab una ex capellaniis fuerit exclusus, manente sub iudice altera; quum, nihil amplius de causa curare visus fuerit, reproposita fuit causa ad instantiam aliorum sub sequentibus dubitandi formulis.

Dubia

I. « An constet de legitima possessione alterius capellaniae « favore *(Antonii Sergii)* in casu.

II. « An, quomodo, et cuius favore, danda sit capellania in « casu etc. ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa iterum cognita die 23 Ianuarii 1869, respondere censuit: Ad I. *Negative.* Ad II. *Patroni utantur iuribus quoad nominationem capellaniae.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Capellanías laicales et ecclesiasticas, quum inter se multum differant (1), varios producere iuris effectus.

II. Capellanías laicales fere totas regi ex lege quam fundator edixerit.

III. Easdem ex sese idoneas quoque esse, ut a laicis possideantur, si id ferat fundatoris voluntas.

IV. Institutore praecipiente, ut capellania a clerico saltem possideatur, nonnisi qui clericus saltem sit eam possidere valet.

(1) In his ephemeridibus pluries incidit occasio exponendi discrimen, quod intercedat inter capellanías laicales et ecclesiasticas, eie qua re confer indices voluminum sub verbo *Capellanía;* necnon ea quae scripsi in *Vol. 1. pag. 63i et seqq.*

V. Nomine autem Clerici, eum saltem intelligi his in quaestionibus, qui, s. tonsura suscepta, habitu incedat et tonsura (1).

VI. In praesenti themate quaestionem non videri resolutam, utrum capellania esset laicalis vel ecclesiastica **(2).**

VII. In * utraque tamen hypothesi, Antonium capellaniam, quam clericus saltem possidere deberet, retinere non potuisse, quum vestibus clericalibus iamdiu valedixerit sine voluntate eas reassumenda

(t) Privilegium fori et canonis, item capitis *Odardus,* iam non potest amplius invocari ab illis clericis minoribus, qui dereliquerint habitum et tonsuram, post Decretalem SS.mi Domini Nostri, quam exposui in *Vol. III pag. 433.* cuius Decretalis causas deduxi *ibi dem pag. 44.3 et seqq.* Quae quidem Decretalis, licet pro Pontificia Ditione edita sit, tamen not ma quoque esse potest pro aliis ditionibus si opus sit. Dixi si opus sit, nam invalescente iam consuetudine, clericorum privilegia in aliis ditionibus vix et ne vix quidem, considerantur (quamquam per summam iniuriam) in illis ipsis, qui in sacris ordinibus sunt constituti; multo autem minus in clericis minoribus, qui habitum clericalem dereliquerint. Sed non sunt confundenda privilegia clericorum, quae ad ordinem et hierarchiam ecclesiasticam spectant ratione immunitatis, cum qualitate clericali, quae requiritur ad possidenda Beneficia ecclesiastica : neque confundenda est qualitas clericalis ad dicta Beneficia possidenda quae ex praescriptione communis iuris dérivât, cum qualitate clericali quae praescripta sit a fundatore ad possidendas capellanías laicales. Quamvis enim eadem sit qualitas: inspecta tamen otigine, non eosdem producit effectus: sic ex. gr. Clericus, qui Beneficium possideat, si habitum clericalem derelinquat, amittit Beneficium ipso iure, quamquam re^ quiratur sententia declaratoria Iudicis (de qua re confer causam quam deduxi in *vol. IV pag. 378 et seqq.* et Constitutiones adductas *ibidem pag. 394 et seqq.),* quod locum non habet in capellaniis laicalibus, quum hae regantur praecipue ex lege fundationis.

(°2) **Ex deductis in medium documentis mihi videtur non posse certo definiri, utrum capellania sit ecclesiastica vel laicalis: namque Decretum erectionis, ad instantiam mulierum a curia emissum, ndh videtur posse haberi in praesenti themate uti tutum argumentum pro ea .ecclesiastica iudicanda; namque inspecta indole legis fundationis, capellania videtur potius laicalis: neque e converso ex deductis documentis constat, eam uti ecclesiasticam fuisse postea iugiter consideratam; immo inspectis ultimis possessionis actis, ea ut laicalis esset habenda. Ex relatis responsis S. C. argui non potest, S. Congregationem de natura capellaniae iudicasse. Confer hac de re causam quam exposui in *Vol. II pag. 323 et seqq.* in qua de simili argumento agitur.**

EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS

Al) AECH[EPISCOPUM WESTMONASTERIENSIS!

HENRICUM EDUARDUM MANNÍNG

DATA DIE XXX OCTOBRIS MDCCCLXIX DE INVITATIONE DISSIDENTIUM AD CATHOLICAM FIDEM.

PIUS PP. IX

« Venerabili Fratri; Henrico Eduardo, Archiepiscopo Westmonasteriensi.

« Venerabilis Frater - Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quum in litteris ad te, Venerabilis Frater, datis die 4 praeteriti Septembris (1) dixerimus, revocanda non esse in dubium quae ab Oecumenico Concilio iam expensa fuerunt et iudicata, nullique propterea damnatorum errorum patrocinio locum esse posse in novo Concibo, nosque idcirco nequivisse acatholicos invitare ad disceptandum, discimus, aliquot e dissentientibus sic ea verba intellexisse, ut omnem sibi praeclusam existimarent viam ad exponendas difficultates, quibus detinentur ne ad catholicas partes accedant, interceptumque sibi ferme censerent ad Nos aditum.

« Adeo vero Nos, qui licet immerentes, illius vices gerimus in terris, qui venit salvum facere quod perierat, absumus ab iis quoquo modo repellendis, ut immo sponte occurramus ipsis nihilque votis incensioribus expetamus, quam ut revertenti cuilibet paterno affectu brachia protendere possimus. Nec umquam certe silentium illis indicere voluimus, qui, prava institutione decepti, putantesque se recte sentira, dissensum suum a Nobis validis inniti argumentis arbitrentur, quae propterea a sapientibus prudentibusque serio 'expendi desiderent. Licet enim id

(1) Has litteras habes superius *pag.*

fieri nequeat in Concilio, viri tamen divinarum rerum periti a Nobis designandi ipsis non deerunt, quibus mentem suam aperire possint omniaque rationum momenta, sententiae suae fidenter exponere, ut ex ipso disceptationis, solo veritatis assequendae studio institutae, conflictu, uberiori luce perfundi valeant, qua ad illam perducantur.

« Utinam id plurimi sibi proponant bonaque fide exsequantur; quum id contingere nequeat sine magno ipsorum ceterorumque proventu. Ipsorum quidem, quia Deus requirentibus se toto corde faciem suam ostendet, iisdemque praestabit, quod cupiunt. Aliorum vero, tum quia praestantium virorum exemplum efficacia sua carere non poterit, tum etiam quia isti, quo maiore diligentia et labore veritatis beneficium sibi compararunt, eo impensiore studio beneficium idem ad ceteros porrigere nitentur. Dum autem faustissimum hunc successum a divina clementia poscimus enixe, excipe, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem, quam superni favoris auspicem et praecipuum Nostrae benevolentiae pignus tibi totique dioecesi tuae peramanter impertimus.

« Datum Romae apud S. Petrum die 30 Octobris 1869, Pontificatus Nostri Anno XXIV.

« Pius PP. IX ».

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS INDULGENTIIS AUGENTUR NONNULLAE PRECATIONES IN HONOREM S. ANDREAE AVELLINI

PIUS PP. NONUS

« Ad perpetuam rei memoriam. Exhibendas Nobis curavit dilectus filius Franciscus Maria Cirino Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum nuncup., Vicarius Generalis', nonnullas precationes in honorem S. Andreae Avellini, quorum initium est: *Gloriosissimo Santo che siete destinato da Dio per Protettore contro le apoplesie per essere stato di gocciola mortale colpito, istantemente vi preghiamo di preservarci da un male così pericoloso e frequente* **(1).** Pater, Ave, et Gloria ». Per intercessionem S. Andreae apoplectico morbo correpti ; a subitanea, et improvisa morte libera nos Domine. *Gloriosissimo Santo se mai per giusti giudizi di Dio dovessimo essere colpiti da qualche accidente apoplético, istantemente vi preghiamo di ottenerci almeno tempo di potere ricevere i SS. Sacramenti e morire in grazia di Dio* **(9).** Pater, Ave et Gloria, et reliqua ut supra. *Gloriosissimo Santo che patiste prima di morire per gli assalti del demonio una fiera agonia, da cui vi liberarono la B. Vergine e S. Michele Arcangelo, istantemente vi preghiamo di andarci nel punto tremendo della morte nostra* **(3).** Pater, et reliqua ut supra. Idemque dilectus filius a Nobis enixe postulavit, ut hasce precationes caelestium munerum, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, elargitione benigne augere dignaremur. Nos itaque, ut erga S. *Au-*

ll) **Sancte gloriosissime, qui datus es a Deo ut Protector adversus apopléticos morbos, quum tu eodem morbo correptus mortem subiisses, te supplices deprecamur, ut nos ab eodem morbo adeo frequenti ei periculi pleno servare digneris.**

(2) Sancte gloriosissime, si contingat, ut morbo aliquo apoplectico ex iustis Dei iudiciis corripiamur, supplices te deprecamur, ut nobis non desit temporis spatium ut sanctissimis Sacramentis muniri valeamus et in gratia divina ex hac vita dececlamus.

(3) Sancte gloriosissime, qui animam effiaturus certamen acerrinuim cum Daemone subiisti, a quo Beata Virgo et Archangelus Michael te libet B runt. supplices te deprecamur, ut in tremendo mortis momento nobis auxilieris.

dream Avellinum devotionem cultumque foveamus atque aeternae animarum saluti uberius prospiciamus, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui memoratas precationes, quarum exemplar in Tabulario Nostrae Secretariae Brevium asservari iussimus, quocumque idiomate versas, integro mensis curriculo devote recitaverint *Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam,* et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus, qui corde saltem contriti, suprascriptas precationes quovis pariter idio nate exaratas recitaverint, *qua vice id praestiterint tercentum dies* de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes etiam *animabus Christi fidelium quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint* per modum suffragii applicare possint in Domino impertimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis et S. Reliquiis praepositae deferatur iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die xix Ianuarii MDCCLVI latum et a S. M. Benedicto PP. XIV. Praed. Nostro die xxviii dicti mensis approbatum: praeterea volumus, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxv Iunii MDOCCLXIX a Pontificatus Nostri Anno Vicesimo Quarto ».

N. Card. PARACCIANI CLARELLL

Loco Signi

Praesentes Litterae Apostolicae it) forma Brevis sub datum diei "2~> Iunii 186J exhibitae sunt,in Secretaria S. Cong.nis Indulgentiarum die 7 Iulii eiusdem anni ad formam Decretorum ipsius S. Cong.nis diei 19 Ianuarii I7ö(> et 28 eiusdem mensis; nec non diei 14 Aprilis 1851 In quorum fidem etc.

Datum Romae die 7 Iulii 18(59.

Dominicus Sarra Pro-Substitutus.

APPENDIX V

VOTUM TRIBUNALIS S. ROTAE EDITUM DIE 15 IUNII 1699 IN CAUSA ROMANA FUNERALIUM CORAM MOLINES IN QUO DE PRAECIPUIS PAROCHORUM IURIBUS QUOAD FUNERA EX PROFESSO AGITUR.

Enunciatam causam reiaturos adpromisimus occasione quaestiunculae, quam exposuimus *pag. 127 et seqq.* eaque integra ita se habet.

« Antiquissiir a viget in Urbe consuetudo taxandi funerale a defunctis nullo n; odo praeordinatum, aut ab eorum heredibus non factum iuxta singulorum dignitatem, gradum et facultates, quod semper integrum exegit Parochus, quando corpora mortuorum tumulata fuerunt in propria ecclesia parochiali; iis tamen in alia sepultis controversum exstitit, an etiam totum ad illum spectaret, seu contentus esse deberet sua quarta canonica, remanente residuo pro ecclesia sepeliente, eo modo, quo fit, quando in ipsa vere et realiter factum esset. Anno tamen 1690 delata huiusmodi controversia ad hoc sacrum Tribunal, occasione non facti et taxati funeris R. P D. Ritae, prodiit coram R. P. D. meo Caprara decisio, totum et integrum competere Parocho; cui resolutioni Patres S. Augustini succumbentes acquieverunt, utique solemniter renunciarunt.

« Verum hac re iudicata non obstante, ob non factum funus clarae memoiiae Principis D. Fluvii Ursini, renovata fuit similis contentio inter Parochum sacrosanctae Basilicae Lateranensis, ubi in sepulcro praeclarae huius familiae illius cadaver humatum est, et Parochum ecclesiae sancti Eustachii, in cuius septis idem Princeps naturae debitum reddidit, super pertinentia dicti Funeris a Camerario Cleri Romani taxati ; utque semel huiusmodi disputationes frequenter contingentes ampularentur, placuit Sanctissimo Domino Nostro feliciter legnanti praesentem causam definiendam remittere ad Sacram Congregationem Concilii, exquisito voto nostri Auditori i, ceteris Urbis Parochis pro omni eorum iure et interesse vocatis et auditis. Quamobrem quum ad huius Rescripti normam lodie dubitaverim: *An funerale non factum deberetur integrum ecclesiae parochiali, quando defunctus fuit sepultus in alia ecclesia,* Domini, diviso dubio in duas partes, an scilicet funerale non factum debeatur, iusteque exigi valeat; et

quatenus affirmative, an tantum a. Parocho, ita ut ipsi totum et integrum sit adiudicandum; re mature et funditus examinata, responsum dederunt, *funerale non factum deberi, et quidem totum et integrum Parocho.*

« Prima pars resolutionis solidum visa fuit recipere praesidium non solum ex efficacia consuetudinis numquam in dubium revocata, quae in hac, qua de agitur, materia multum operatur, argumento *cap. Certificad de sepult.*, Innocent, *in cap. Dilectus num. 4 de Capell. Monachor,* et in *cap. Ad audientiam,* ubi etiam Ancharan, *n. 6 vers. Quarto quaero de Eccles, aedific,* Rota *decis. 376 n. 2 par. i Recent.*

« Sed etiam, et principaliter, quia Ecclesia Catholica, obliteratis et proscriptis innumeris superstitiosis et deridendis ethnicorum funerum ritibus, necnon ambitiosis et superfluis expensis quae in hanc causam effundebantur, sequens exempla veteris et novi Testamenti, instructaque Beatorum Apostolorum Sanctorumque Patrum regulis, pios ac religiosos constabilivit ritus in sepeliendis corporibus mortuorum servandos, instituendo scilicet, ut eorum funus prosequeretur cum piis precibus, Psalmis et Missis, associatione clericorum, candelis «et cereis ardentibus, aliaque huiusce generis pompa et celebritate; idque tam in suffragium animarum solatiumque vivorum quam ad significandum, animas a corpore separatas vivere, et immortalitatis dono gaudere, defunctos obiisse in fide, resurrectionem ac fruitionem aeternae gloriae exspectare, ut ex Divo Augustino in *Libro de agenda cura pro mortuis,* Hieronymo, Ambrosio, et aliis probant *cap. Non aestimandum 19; cap. Animae 22; cap. Tempus 23; cap. Quia 24-;* et *cap. Qui divina 28 caus. 13 quaest. 2;* et explicant late Card. Bellarmin. *tom. 1 Controvers. lib. 2 de funer. c. 9 et 10;* Gulielm. Benedictus *in cap. Raynutius* verb. *Mortuo itaque testatore lib. 1 num. 54 de Testamentis;* Durand, *de ritibus Ecclesiae Catholicae lib. 1 cap. 23 a num. 10 ad 16;* Cassan. in *catalog. glor. mund. part 2 considerat. 3;* Iulius Lavor. *elucubrai, variar, tit. 2 cap. 3 a num. 32 ad num. 17 et cap. 14 per totum*;-Beyerlinck in *theatro vitae humanae* verb. *Sepultura Ecclesiastica* cum sequentibus; Francés *de eccles, cathedral. cap. 17 n. 117 ad n. 156;* Passerin. *de offic, et stat. homin. tom. 2 quaest. 187 art. 4 num. 34 et 35;* Lar. *de annivers. lib. 1 cap. 1 a,ff.um. 52 ad58;* Amostazz. *de caus. piis lib. 6 cap. 1 a num. ad num. 27.*

« Invaluitque adeo in toto orbe catholico huiusmodi vetus Ecclesiae institutum, ut receptissimum

sit inter nostri iuris Interpretes, quod mandari non debeat exsecutioni ultima defunctorum voluntas in ea parte, in qua praescriberent eorum corpus humari sine ulla honorificentia ab Ecclesia instituta, ut probant Valenz, *tom. 3 distinct. 3 quaest. 2;* Bannez. *2, 2 quaest. 32 art. 3;* Lavor. *var. elucubr. tit. 2 cap. 16 num. 18;* Ventrigl. in *Prax. r er. notab. for. eccles, annot. 52 §. unie. num. 16"]* Francés *eccles, cathedral. cap. 17 num. 153;* Amostaz. *de causis piis lib. 6 cap. 5 num. 13;* Passerin. *dict. art.* 4 *num. 35 in fine.* Non obstante qualibet contraria consuetudine, quia hanc tamquam irrationabilem, omnique honestati repugnantem eliminandam et extirpandam esse, ex *cap. fin. de consuetud.* aliisque probat Pignatell. *consult. 229 num. 14 tom.* 4.

« Hancque ob causam Rituale Romanum a sanctae memoriae Paulo V approbatum ad compescendam heredum impietatem, qui negligant prosequi solemni more funus defunctorum, districte in Rubrica *de exsequiis* monet Parochos, ne huiusmodi ritus omittatur, sinantque in desuetudinem abire, ibi: *«Sacras caere- « monias ac ritus, quibus ex anti- « quissima traditione, et Summo- « rum Pontificum institutis sancta « Mater Ecclesia Catholica in fi- « Horum suorum exsequiis uti solet, << tamqua vera religionis mysteria, « Christianaeque pietatis signa, et « fidelium mortuorum saluberrima « suffragia, Parochi summo studio « servare debent, atque usu reti- li nere* »; et parum, infra ibi: *« Cum « autem antiquissimi ritus eccle- « siastici sit, cereos accensos in « exsequiis ac funeribus deferre, «caveant item, ne huiusmodi ritus « omittatur, ac ne quid avare aut « indigne in eo committatur.* > Et D. Carolus Borromaeus inter constitutiones Concilii Provincialis praecepit etiam (sunt eius verba), *« Ut vetus Ecclesiae institutum mor- « tuorum funus piis precibus et of- « fidis solemni more prosequendi « multis in locis avaritia, ambi- « tione, vel negligentia depravatum « ad pristinam pietatis rationem « revocetur.* » Et mox subiungit, ibi : « *Si mortuorum heredes ita se « impie gesserint, ut religiosum ex- « sequiarum institutum negligentes « cruci, clericis, funeri debita lu- « mina adhiberi noluerint, ab Epi- « scopo ea cogantur comparare, « quae necessaria videbuntur ».*

« Stante proinde praefatae Ecclesiae vetustissima institutione deferendi ad tumulum cum debito funere corpora fidelium, improbatione contrariae consuetudinis voluntatisque testatorum illud prohibentium, ac demum onere Parochis iniuncto, ut huiusmodi usus retineatur et omnino servetur, bene, et secundum iuris

regulas sancitum est Romae speciali Cleri Romani statuto, ut defunctorum heredes cogantur consueto ritu funerali deferre et exponere cadavera, et iis, qui negligant hanc pompam et honorem mortuis exhibere, idem funus non factum taxetur per Cleri Romani Camerarium, iuxta illorum qualitatem et substantiam; frustra enim Ecclesia pios et laudabiles institueret ritus, si ad observantiam non deducerentur, omnesque non arcerentur fraudes illam impedientes, ut, omissis generalibus, quae congeri possent, in terminis funeralium ait Text. in *cap. Officii §. Si vero,* **/et** *cap. fin. de testam., cap. Ex parte in fine de verb. signif.,* **et concordat Rituale Romanum in** *praecitato titulo de exsequiis, §. Sacros, §. Caveant, §. Cum autem,* **et infra latius.**

« Quae o u nia mirifice confirmantur ex communi opinione Doctorum dicentium, quod, quando aliquis moritur ab intestato nihil disponens circa funeris impensam, Missas, vel alia pia suffragia pro eius anima, posse et debere Episcopum ad istos effectus taxare et applicare aliquam summam moderatam iuxta illius statum, qualitatem et facultates, et obstringere heredes ad illam solvendam; maxime stante consuetudine, quae valde rationabilis est, ut tenent Genuen. *in prax. Archiepiscop. cap. 79;* **Nicol.** *Elucubrai, tom. 1 lib. 2 tit. 10 de testament, num. 16pag.* **í72;Cortiad** *decis. 2c8 num. 45, 46 et 4-7;* **Cardin, de Luca de** *testament, diseurs. 24;* **Amostaz.** *de causiis piis lib. 6 cap. 6 a num. 55 ad 74,* **ubi hoc ipsum comprobat ex legibus Castellae. Immo, quod magis est,** *a num. 75 cum duobus seqq.* **etiam probat, quod, si aliquis cum testamento decedat, nihil tamen disponendo de expensis funeris et suffragiis pro eius anima, quatenus heredes sponte eas facere renuerint, posse Episcopum eos cogere ad distribuendam partem bonorum proportionatam qualitati et substantiae defuncti : idemque tuetur Spino** *de testament, gloss. 2 num. 54.*

« Neque dicatur, hanc Urbis consuetudinem taxandi funerale non factum adversari sacrorum Canonum dispositioni, qui interdicunt pro sepultura in ecclesia praestanda, et pro officio quod impenditur in corporibus humanáis ullum pretium exigi per Text. in *cap. Abolendae 13 de sepult,* **in** *cap. Questa 12; cap. Postquam 13; cap. in Ecclesiastica 14; cap. Praecipiendum 15, caus. 13 quaest. 2; cap. Plerique 7 de pactis; cap. Ad Apostolicam, cap. Suam, cap. Dilectus, de simonia;* **ne autvenalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut presbyteri de humanis videantur mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeant**

quaerere quolibet modo compendium, ut totidem verbis scribens ad Episcopos Messanensem et Caralitanum exclamabat S. Gregorius Magnus *lib. 7 epist.* 4 *et* 56 cum aliis concordantibus late deductis per Gonzal. in *d. cap. Abolendae, de sepultar,* et P. Thomasin, *in veter. et nov. Eccles, disciplin. par. 3 lib. 1 cap. 65 et cap. 66 per totum.*

« Nam, sicuti innegabile est, quod Sancti Patres, Canones et Concilia nullo tempore passi fuerint, quod clerici et presbyteri administrarent sepulturas cum aliqua pactione et coacta solutione; verissimum pariter est, numquam vetuisse, ne spontaneas oblationes in hanc causam factas reciperent, ut praelaudatus S. Gregorius protestatur in *dicta epist. 56* ibi : « *Si quando aliquem « in ecclesia vestra sepeliri concе« ditis, siquidem parentes ipsius « proximi vel heredes pro lumina« ribns sponte quid offerre volue« rint, accipere non vetamus;* » et concordant omnes Canones in obiecto allegati : et in hunc sensum intelligendus est Textus alias difficilis in *cap. Secundum canonicam 24 caus. 23 quaest. 8,* ut notat Gonzalez *in d. cap. Abolendae num. 8.*

« Quumque consuetudo offerendi aliquid pro sepulturis et exequiis funerum latissime et ubique effusa fuerit, atque alias talis usus in se ipso sit pius et laudabilis ob rationes supra expensas, hinc, ne refrigesceret pietas, aut religiosa consuetudo alicuius malitia obsolesceret, Concilia et synodica statuta iubere et praecipere coeperunt, consuetudines huiusmodi omnino servari debere, ut prae ceteris Honorius Papa III, et non Innocentius III, ut bene notat Gonzal. in *dicto cap. Abolendae 13 de sepult.,* iniungit Maga Ionen i Episcopo. Sunt praecisa verba: « *Laudabilem consue« tudinem erga Dei Ecclesiam pia « devotione fidelium introductam « observant, ne fermento haereticae « pravitatis illam erumpere videan« tur sub praetextu Ecclesiasticae « puritatis.* » Et Alexander III in *cap. Ad Apostolicam,* id ipsum districtus praecipit, ibi: « *Quapro« pter super his pravas exactiones « fieri prohibemus, et pias consue« tudinespraecipimus observari, sta« tuentes, ut libere conferantur ec« clesiastica Sacramenta; sed per « Episcopum loci, veritate cognita, « compescantur, qui malitiose ni« tuntur, laudabilem consuetudi« nem immutare.* > Et ita docuit S. Thomas *2, 2 quaest. 100 art. 2 in corpore* et *ad 4,* et *art. 3 in corpore* et *ad 2;* et late tradunt Gratian, *discept. 110 n. 10, et in decis. Marchiae 26 num. 14 et 15* ; Lara *de annivers. et Capell. lib. 1 cap. 27 num. 17;* Amostaz. *de causis piis lib. 6 cap. 7 num. 27;* Antonell. *de*

regimin. Eccles, lib. 1 cap. 12 n. 55; Gonzal. in *dicto cap. Abolendae n. 9;* et solide vThomasin. *dicto lib. 3 c. 68 per totum.*

« Quamobrem Glossa in *dicto cap. Ad Apostolicam* in verb. *Nituntur laudabilem, de simon,* et in *cap. Suam 29* verb. *Pro exsequiis eodem tit.* et in *cap. Abolendae 13* verb. *Exigere de sepult,* docet, populum, si non iure actionis, officio iudicis adstringi posse ad servandam talem consuetudinem pia devotione fidelium introductam. Et comprobant *cap. Ex parte, de cens.* et *Authen. de sanctis Episcopis §. Pro consuetudine;* Abb. in *d. cap. Ad Apostolicam;* Baldus *consil. 58 par. 2;* Castrens. *consil. 363 lib. 1 circa primum quaesitum;* Grat, *discept. 210 num. 24;* Lavor. *var. clucubr. tit. 2 cap. 10 num. 23.*

« Quin ullatenus officiât, quod Alexander III in Concilio Turonensi relato a Gratian o in *cap. Non satis 8 §. Pro sepultura,* et Concilium Lateranense relatum in *cap. Cum in Ecclesia 9 de Simon,* ipsam improbent consuetudinem aliquid exigendi pro sepultum, et exsequiis funerum ; quoniam, ut recte distinguit Glossa in *d. cap. Cum in Ecclesia,* verbo *Consuetudine,* in antedictis Conciliis reprobatur consuetudo originem desumens ex coactis solutionibus factis mediante pacto antecedenter ad datam defunctis sepulturam convento: secus vero consuetudo introducta ex pluribus et frequentatis actibus omnino liberis et voluntarii s inceptis et prosecutis ex pia et laudabili devotione fidelium in augmentum cultus divini, et ad decentem et congruam sustentationem Parochorum, aliorumque ministrorum Ecclesiae. Prima enim, utpote trahens exordium a pacto et coactione a iure prohibita, potius corruptela diiudicanda est; quam profecto diuturnitas temporis non diminuii, sed auget. Secunda vero, quia profluit ex actibus sponte factis et permissis, aliasque in se valde piis et laudabilibus, bene dicitur introducta, ut explicat S. Thom. *2, 2 quaest. 100 art. 2 in corpore* et *ad 4 et art. 3 in corpore,* et *ad 2;* Abbas in *cap. Suam 29 de simonia,* et *in dicto cap. Ad Apostolicam;* Castrens. *dicto consil. 363 num. 2 versic. 3 Requiritur,* et *consil. 401 num. 4 tom. 1;* Roman, *consil. 344 num 1 et 2 et singul. 443;* Gratian. *discept. 210 a num. 33 ad num. 39;* Lavor. *var. elucubr. tit 2 cap. 10 num. 22 et 23;* Lara *de annivers. et capellán, lib. 1 cap. 25 num. 17;* Amostaz. *de causis piis lib. 6 cap. 7 num. 27;* Antonell. *de reg im. Eccles, lib. 1 cap. 12 num. 55.*

" Haec quoad primam partem resolutionis. Aggredi endo secundam, quod funerale non factum totum et integrum debeatur Parocho, ratio sic decidendi fuit

duplex: quarum prima stetit in eo, quod attenta iuris veteris canonici censura, ius sepeliendi solum spectabat ad Parochum ratione suae ecclesiae, quae eo ipso, quod est erecta in parochialem habet proprium territorium, populum et coemeterium, et cum his qualitatibus fuerunt divisae parochiae, ut Parochi, suis terminis et districtibus contenti, scirent, quibus haberent ministrare sacramenta, et concedere sepulturam : *cap. Ecclesias caus. 13 quaest. 1; cap. Pastoralis 9 de his, quae fiunt a maiore parte Capituli ;* Concil. Trident, *sess. 24 de reformat, cap. 13 versic. In iis quoque.* Et quia de iure solum ecclesiae parochiales habebant populum et coemeterium, ideo ex eadem iuris dispositione illis tantum competebat ius sepeliendi ; Gloss, in *Clement. Dudum de sepult,* verb. *Sepulturam;* Innocent, in cap. 1 de Sepult. Abbas in *cap. Fraternitatem 3 vers. Sed ego, eodem tit. de Sepulturis;* Archidiaconus in *cap. Certifican 9 num. 89 eodem tit.* et in *cap. 1 pariter eodem tit. in 6;* Fagnanus in (*/. cap. Fraternitatem num. 4 et 6,* et Lavor. *var. elucubr. tit. 2 cap. 9 num. 2, 3 et 7;* Francés *de Eccles. Cathedral. cap. 17 num. 7;* Amostaz. *de causis piis lib. 6 cap. 2 a num. 15 ad num. 19.*

« Adeo ut communis sit antiquorum Canonistarum sententia, ecclesias non parochiales, et praecipue illas monachorum et regularium, quia de iure non habebant populum, solumque retinebant coemeterium pro se ipsis, non potuisse nisi proprios monachos sepelire ad expressum text. in *cap. Placuit 1 caus. 16 qu. 1,* iusque illud, quo gaudent tumulandi alios, qui in eorum ecclesiis elegerint sepulturam, non obtinere ex iuris communis dispositione, sed ex privilegio S. Sedis Apostolicae, ut probatur ex *Cap. Certificari 9; cap. In nostra 10 vers. E contra,* ubi gloss. vers. *Nisi dolo,* ibi: *Et sic propter dolum cessat privilegium, desepultur. cap. 1 de pact. in 6.* Et magis aperte convincitur ex Clement *Dudum* vers. *Huiusmodi quoque statuto, de sepult,* ubi per privilegium Sedis Apostolicae conceditur Fratri bu, Praedicatoribus et Minoribus, ut in suorum Ordinum ecclesiis ubilibet constitutis liberam habeant sepulturam ad tumulandos eos, qui in illis humari voluerint : et ita tenet Abbas in cap. *Fraternitatem 3 de Sepult,* dicens, se numquam aliquam constitutionem 1egisse, in qua caveatur, monasteria habere de iure coemeteria, nisi pro suis: et comprobant Frideric. de Senis *cons. 135 num. 19;* Navarr. *cons. 1 num. 1 de sepult, in novis;* Cironius in *cap 2 de sepult, in 5 compilât.,* Lavor. *dicto tit. 2 cap. 9 num. 10;*

Samuel *de sepul. praelud. 10 num. 2;* Lezzan. verb. *Sepultura num. 4;* Gonzalez ii *cap. Fraternitatem 3 num. 7* et in *cap. Super 8 num. 11* vers. *Prä cuius textus expositione, de sepult,* Amostaz. *de causis piis lib. 6 cap. 3 num. 1 ef num. 38* vers. *Et postea Pontifices.*

« Quin attendendi sint aliqui recentiores, videlicet Fagnan. in *dicto cap. Fraternitatem num. 5 et 6;* Passerin. *de stat. homin. tom. 2 quaest. 187 art. 4 a num. 137 ad num. 142;* Bordón, *resol. 51 num 6,* tenentes, etiam Regularibus permissam esse potestatem sepeliendi in suis ecclesiis ex iuris communis dispositione; tum quia contra illos stat communis omnium antiquorum et gravissimorum Canonistarum sententia; tum quia textus per illos citati potius favent, quam adversentur contrariae communi opinioni. Nam *dictum cap. Fraternitatem 3 de sepult.* explicat Abbas in vers, *unde intelligo,* dicens esse intelligendum de monasteriis habentibus populum, vel ius sepeliendi ex privilegio; et in hoc etiam sensu intelligenda esse *cap. Ubicumque 6 13 quaest. 2,* et *cap. Agapitus, 23 16 quaest. 1* ait Glossa in *eodem cap. Agapitus,* verb. *Missas,* et in *cap. Intercedimus* verb. *ab Episcopis 16 quaest. 1.* Quamobrem Innocentius in *cap. 1 de sepult,* statuendo in hac materia regulam generalem, omnibus cavendum esse monet (sunt eius verba), *quod non omnis ecclesia habet coemeterium, sed illae tantum, quae habent populum, vel illae, quibus concessum* f si *ex privilegio.*

« Unde quum de iure communi monachi aliique regulares non poterant recipere alios Fideles in suarum ecclesiarum sepulturis, impetrabantpriv legia Apostolica, quae ne in totum essent praeiudicialia ecclesiis parochialibus, iis apponebatur clausula: *salva iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur,* per quam clausulam Pontifices praeservare semper intellexerunt portionem canonicam debitam ecclesiae parochiali, ex quo ipsis de iure, semotis dictis privilegiis, ius sepeliendi suos parochianos competebat privative quoad omnes^ regulares, ut dicitur in *dicto cap. Certificari 9* cum Gloss. *de sepult.,* et notant Gonzal. in *cap. Cum super 8 num. 11 eodem tit.,* Lavor. *var. Elucubr. tit. 2 cap. 9. num. 5;* Barbos, *de offic. Paroch. par. 3 cap. 25 num 10;* Rota *decis. 83* post. Tamburrin. *de iur. Abbat.*

« Secundam rationem petierunt Domini ex ipsius iuris communis censura, iuxta quam emolumenta funeralia recensentur inter iura parochialia, solisque Parochis exercentibus curam animarum tributum est ius illa petendi, non iam ratione laboris in

corporibus fidelium humandis adhibiti, sed in compensationem oneris officii curati, et administrationis Sacramentorum. Decet enim presbyteros, qui populum praedicatione instruunt, divina celebrant officia, nocte dieque sacramenta ministrant, precesque pro populo effundunt, inter alias obventiones necessarias pro illorum congrua et decenti sustentatione recipiant etiam istam emolumentorum funeralium, ut habetur ex *cap. 1, 4 et 10 de Sepult.* **Clement.** *Dudum, §. Verum eodem tit.* **ubi late Vitalin,** *num. 5;* **Frideric. de Senis** *cons. 3 num.8et9;***Roman,** *cons. 342 num. 1 et 2;* **Petrus de Ubald, in** *tract de canonie, parochial. cap. 2 per totum,* **et** *cap. 6 num. 1* **et** *cap. 7 eodem num. ;* **Barbos,** *de Paroch. cap. 25 num. 19 et 32;* **Amostaz.** *de causis piis lib. 6 cap. 3 num. 39 et 42;* **Rota** *coram Montica decis. 294 num. 1* **et** *coram Cavaler. decis. 101 num. 1 ; coram Merlino decis. 19 num. 2* **et** *decis. 480 num. 5 cum seqq.* **et** *decis. 99 num. 6 coram Manzanedo;* **et** *decis. 402 num. 5 cum seqq. par. 5 Recent, tom. 1* **et** *decis. 552num. 8 eadem par. tom. 2.*

« Posito autem, quod ius sepeliendi ac funerandi, exigendique funeris emolumenta de iure communi spectet ad Parochum, et nonnisi ex privilegio et Sedis Apostolicae concessione competat ecclesiis non parochialibus et regularibus, in quibus defuncti sepulturam elegerint, sequitur de plano, quod ubi non constet de privilegio concesso ecclesiis non parochialibus sepelientibus consequendi funerale non factum ; istud citra ullam ambigendi rationem debetur Parocho iuris assistentia suffulto ex notis principiis, quod habens pro se iuris regulam, dicitur habere intentionem plusquam fundatam ex relatis in *decis. 151 num. 7 et S par. 6 Recent,* **et allegans privilegium debet illud probare, et taliter, ut de eo haesitari non possit ex congestis per Francés** *de Eccles. Cathedral. cap. 30 num. 194;* **Rota** *Coram Buratt. decis. 140 num. 1* **et** *decis. 185 num. 9. coram san. mem. Alexandro VIII.*

« Huiusmodi porro privilegium usque modo non fuit ostensum in corpore iuris exsistere, non suffragante deducto ex *cap. Relatum 2; cap. Cum super, et cap. In nostra, de sepult.* **Clement.** *Dudum* **eodem titulo. Nam quamvis ibi disponatur, quod humatis defunctis extra parochialem ecclesiam teneatur ecclesia sepeliens praestare Parochis tantummodo suam portionem canonicam, quae a Clemente III in cap.** *Certificad 9 de sepult,* **est taxata in tertia vel quarta parte emolumentorum funeris, aliorumque legatorum intuitu sepulturae relictorum, vel etiam in medietate iuxta peculiares locorum regionumque consue-**

tudines, ut pluribus aliis deductis late disserit Amostaz. *de caus. piis lib. 6 cap. 3 a num. 37 ad 42,* **quae in Urbe viget solvendi medietatem, redactaque est in legem per statutum Cleri Romani confirmatum a san. mem. Urbano VIII anno 1629 sub** *cap. 4* **per ea, quae tradunt Barbos,** *de iur. eccles lib. 3 cap. 2 n. 41 et 42;* **Passerin.** *de stat. homin. quaest. 187 art. 4 num. 487 in fine.*

« Loquuntur tamen relatae Decretales et conciliares dispositiones de funere facto, et legatis expresse in eorum ultimis tabulis ecclesiae sepelienti relictis, ut litteraliter patet ex *cap. 1 de Sepult.,* **ibi «** *Sed quia dignus est operarius « mercede sua, tertiam partem sui « iudicii illi ecclesiae dari cense- « mus, in qua caelesti pabulo r¿- « fici consuevit* **». Ex quo verbo** *iudicii sui* **clare deprehenditur, Pontificem loquutum fuisse de relictis ecclesiae sepelienti; et explicat bene Glossa ibi in verbo** *Iudicii.* **Idemque statuitur in** *cap. Relatum 2* **ibi : «** *Omnium rerum « et possessionum, quas pro salute « animae suae decreverit disponere, « medietatem ecclesiae, ad quam « dignoscitur pervenire, relinquat ».* **Et concordat** *cap. Cum super* **8 ibi :** *« Praesentiumauctoritate statuimus, « ut si aliquem parochianorum ve- « strorum alibi contigerit eligere « sepulturam, de testamento ipsius « quarta vobis portio relinquatur ».* **Rursus in capite** *In nostra 10,* **ibi :** *« Talem super his duximus senten- « Ham proferendam, quod praedi- « di hospitalarii de cetero non reci- « piantparochianosecclesiae supra- « dictae, nisi apud eos elegerint se- « peliri; et tunc parochialis eccle- « sia de oblationibus, lectis, et aliis, « quae defunctus inductus fuerit ad « dispositionem huiusmodi facien- « dam,* **etc. » Id ipsum demum cavetur in Clem.** *Dudum §, Verum* **ibi «** *Ne parochiales ecclesiae, et « ipsarum curati sive rectores, qui « ministrare habent ecclesiastica « sacramenta, debitis et necessariis « beneficiis defraudentur, auctori- « tate Apostolica constituimus et « ordinamus, fratres de obventio- « nibus omnibus, tam funeralibus, « quam quibuscumque et quomodo- « cumque relictis, etc. nec non de « datis vel qualitercumque donatis « in mortis articulo, etc. quartam « partem auctoritate Apostolica ta- « xamus ».*

« Si igitur recensita privilegia concedentia ecclesiis non parochialibus et regularibus sepelientibus funerum obventiones, deducta canonica portione pro Parochis, restricta dignoscantur ad funerales oblationes et legata a testatoribus relicta, nullo modo extendi possunt ad emolumenta funeris non facti, et ex consuetudine taxandi, resistente natura privilegiorum, quae sunt strictissimi iuris, cap. *Privilegium di-*

stinct. 3; cap Abbate §. Contra quod, de verb. signif.; leg. Quia personale, ff. solut. matr. Surd. *decis. 330 num. 4 ;* et tantum suffragantur, quantum litteraliter sonant ; Innocent, in *cap. Dilecto, de offic. Archidiacon, cap. Auditis,* ubi Felin. *num. Í0 de praescripta* Francés, *de Eccles. Cathedral. cap: 30 num. 171 et 185:* Rota *decis. 2252 num. 7 coram Coccino.*

« Minime refragante identitate rationis, quae praetenditur intercedere inter funerale factum, et non factum, quia, etiam hac concurrente, privilegia extendenda non sunt de casu ad casum similem, *cap.Suggestum de decim. leg. 1 Cod. de legib,* late Giron. *de privileg, et exempt, explic. ex num. 53;* Carol. Tapia *ad rubr. ff. de constit. Princip. cap. 6 per totum ;* Hortig *in patrocin. Gimnas. Caesaraugustam par. 3 num. 16 cum seqq.* Fontanell. *decis. 476 num. 7 ;* Rota *decis.* 8 *num. 3 et 4 par. 8* et *decis. 287 num. 6 par. 18.* Et in specie quod Clementina *Dudum* in iis, quae adversantur iuri communi, sit stricte intelligenda, ait ibidem Gloss, in verb. *de Iure;* Petr. de Ubai, *de canonie, portion, cap. 4 num. 15;* Passerin. *dicta quaest. 187 num. 512* et individualiter, quod haec Clementina, utpote loquens de umeralibus relictis, non comprehendat funus non factum tradit Pignattell. *tom. 6 consult. 88 num. 2 et 3,* Rota in *dicta Romana funeralium 24 Aprilis 1690* §. *Visa est, coram R. P. D. meo Capram.*

« Ceterum pro effectu, de quo agitur, notabile intercedit discrimen inter funerale a testatoribus relictum vel ab heredibus factum, et funerale non factum atque ex consuetudine taxandum. Eatenus enim sacri Canones ex funerali relicto ecclesiae sepelienti quartam tantum separaverunt in beneficium ecclesiae parochialis, in quantum ex una parte omnia iura clamant defunctorum iudicia servanda esse, *leg. Meminerint Cod. unde vi,* et *auth. de heredib. et falcid. in fine.* Ex alia vero parte valde durum apparuit, quod morientes obliti ecclesiae parochialis, a qua tamquam filii spirituales pabulum salutis aeternae receperunt, debuissent ecclesiam matrem exheredare et fraudare ad favendum ecclesiae sepelienti extraneae; indeque tributa potestate unicuique ad suum beneplacitum et arbitrium eligendi sepulturam, eodem contextu caverant, ex omnibus emolumentis et oblationibus ecclesiae sepelienti factis quartam detrahendam esse favore ecclesiae parochialis, ut sicut huius ministri fuerunt socii passionis fidelium sub ea viventium, sic etiam in morte fierent comparticipes consolationis iuxta dictum Apostoli in *cap. 1 ad Corinthios* relatum in *cap. 1 de sepult,* et tra-

dunt ibi Abbas *num. 3;* Hostiens. et Io. Andr., magis late Gonzal. in *cap. Cum super, de sepult.*. Pignatell. *consul. 229 num. 10 tom. 4-* et *consul. 88 num. 6 tom. 6,* ubi adducit pulcrum locum S. Augustini relatum in *cap. Placuit 7 §. Sed non videtur libera,* et *cap. Si quis irascitur 13 quaest. 2.*

« Cessante autem hominis dispositione, quia scilicet funus nec relinquitur a testatore, nec fit ab herede, nullum ius neque ratio suadet emolumenta funeris non facti competere ecclesiae non parochiali sepelienti/ Non ius, quia si attendatur antiquum sacrorum Canonum, istud (ut dictum est) ius sepeliendi et funerandi solum concedebat ecclesiae parochiali. Neque ius novum posteriorum canonum, quia hoc ex privilegio permisit ecclesiis non parochialibus et regularibus posse sepelire et recipere emolumenta funeris expresse relicti et laeti, ut etiam probatum est. Neque ratio, quia si fundatur in labore, qui sustinetur in funeris celebratione, et isto non facto, cessat labor, ac per consequens nullatenus debetur emolumentum eius occasione praestandum, ut notavit Rota in dicta *Romana funeralium 24 Aprilis 1690* §. *Idque comprobatur,* minusque ratione datae sepulturae. Nam aut sermo est de habentibus sepulturam maiorum, et illi habent ius ibidem se humandi ; aut de non habentibus, et in hoc casu solum ecclesia sepeliens pro praestita sepultura praetendere potest, quod est solitum vel voluntarie oblatum, numquam tamen funerale non factum taxandum iuxta dignitatem et facultates defuncti, quia hoc ius est solius ecclesiae parochialis. Aliud enim est ius sepeliendi, et aliud ius funerandi : illud ex privilegio competit aliis ecclesiis non parochialibus ; istud vero semper competit Parocho ex notatis per Lap um *allegat. 59 num. 3* ubi citat *cap. 2 de sepult, in 6,* et sequitur Pignatell *tom. 6 consult.88 num. 8.*

* E contra vero ius et ratio militant lavore Parochorum. Ius enim vetus iisdem tribuit tam ius sepeliendi, quam exigendi funus: novum pariter, quia ex rebus occasione sepulturae relictis ecclesiae sepelienti quartam ad illorum favorem separavit contra ipsius testatoris voluntatem, ut tradit Roman, *consil. 343 num. 1 et 2;* Frideric. de Senis *consil. 3 num 8 et 9 ;* Ancharan, in *cap. Officii, de testam,* et ibidem Abb. *num. 3 et 5 ;* Petr. de Ubald, *de funeral, port, cap 3 num. 2.* Ratio quia Parochi, ut ait Concilium Viennense in toties citata *Clement. Dudum,* habent ministrare ecclesiastica sacramenta, praedicare et proponere verbum Dei, confessiones audire fidelium. Iustum propterea et conveniens est, ut sicuti

quando testatores disponunt favore ecclesiae sepelientis, recipiunt canonicam portionem ; sic quando decedunt, nulla facta dispositione, et eorum heredes impie vel negligenter cum iis se gerant, non faciendo solitum funerale, in integro eius emolumento ex consuetudine taxando succédât ecclesia parochialis uti mater suis filiis spiritualibus ab intestato ; sicut succedit in, ipsa quarta canonica, quoties a testatore non relinquatur, ut ait Frideric. de Senis *dicto consil. 3 num. 8;* Roman. *consil. 343 num. 1 et 2;* Pignattel. *consult. 229 num. Î0 tom. 4* et *consult. 88 num. 6 tom. 6.*

« Merito proinde in statuto cleri Romani *cap. 4 tit. de canonica portione* §. 4, *5 et 7,* considerando casum, quo funeralia celebrarentur in alia ecclesia, quam sepeliente, cautum legitur, ut illorum obventiones dividantur inter ecclesiam parochialem, et illam, iu qua funus celebratum fuit, quia revera haec, praescindendo a funere relicto vel in ea facto, nullum ius praetendere valet pro taxatione non facti, illiusque petitione, ut notavit Rota in dicta *Romana funeralium coram R. P. D. Caprara §. Idque comprobatur.*

« Stabilito ex hactenus deductis, funerale non factum, attenta iuris dispositione, totum et in integrum spectare ad Parochum ; nullam promeruit animadversionem consuetudo in contrarium per Parochum Lateranensem allegata, et subnixa pluribus extraiudiciaJibus attestationibus; quia quum ex parte illius sancti Eustachii aliorumque Parochorum Urbis exhibitae fuerint plures aliae oppositum comprobantes, nullum solidum constitui potest fundamentum super observantia adeo difformi, et ex actibus contrariis hinc inde interrupta ; ideoque recurrendum solummodo est ad iuris censuram ex traditis per Alex, *consil. 173 per totum lib 6;* Dec. *consil. 214 fere per totum;* Bich, *decis. 48 num. 15 ;* et in dicta *Romana funeralium coram R. P. D. meo Caprara §. Penultimo.*

« Demum vicario perpetuo seu Parocho Basilicae Lateranensis ad effectum consequendi funerale non factum parum suffragari visa sunt ea, quae cumulabantur circa superioritatem, et praeeminentialem qualitatem dictae sacrosanctae Basilicae, quia huiusmodi superioritas et praeeminentia consistit in eo, quod sit sedes Summorum Pontificum, Caput omnium ecclesiarum Urbis et Orbis: et inter eas primum locum obtineat, *Capit. Constantinus 13 distinct. 96 ;* et declararunt Gregorius XI. Beatus Pius V in Constitut. 94 et Sixtus V. Constitut. 19, quae praeeminentiae non operantur, quod illius vicarius exercere valeat aliquod

ius ^parochiale in subditos aliorum Parochorum. In Urbe enim parochiae sunt distinctae, suosque habent districtus et limites, quos Parochi egredi nequeunt; et ipsemet vicarius perpetuus Lateranensis habet suam curam distinctam et separatam cum assignatione emolumentorum provenientium tantum a servitio actuali suae parochiae, ut patet ex Institutione vicarii Lateranensis et aliarum ecclesiarum Urbis facta a san. mem. Pio V in Constit. 139 et tradit Pignattell. *tom. 7 consult 89 tota,* **et signanter** *num. 16* **cum** *seqq.* **Sicque praefato vicario permissum non est in exercitio curae, neque in hac materia funerum ponere falcem in messem alienam.**

« Et ita, utraque parte informante, resolutum fuit ».

APPENDIX VI

QUAESITUM IURIDICUM DE IURIBUS PAROCHORUM IN PUBLICA COEMETERIA RECENS CONSTITUTA.

De hoc iuridico quaesito ideo agimus in his ephemeridibus, non quod fuerit nobis propositum, sed quod aliquid simile ab aliis quoque in dubitationem vocari audivimus. Quaesitum nobis propositum ita se habet: anno 1868 Municipium urbis N. in Italia coemeterium publicum constituit prope eandem urbem in quodam horto, quem, religiosae domui adiacentem, Gubernium cum eadem domo subripuit. Municipium in eo publico coemeterio constituendo tamquam cape! Iam coemeterii eiusdem designavit templum Religiosorum, quod, quum iam esset paroeciale, eidem praeesse perrexerat Prior Regularis ut Parochus. Municipium praeterea suas tradidit constitutiones, atque constituit eligere Capellanum, eidemque designavit quandam partem domus religiosae ad habitandum cum quodam hortulo, atque emolumentum assignavit, quod attingeret quingentas fere annuas libellas.

Praeterea Municipium decrevit, ut parentes defunctorum, qui in coemeterium deferendi essent, solvere deberent quindecim, viginti, aut triginta obolos futuro Capellano iuxta eorundem conditionem atque facultates, ratione associationis cuiusque defuncti.

Facta denique electione, electus fuit in Capellanum ille ipse Regularis qui uti Parochus iam templo dicto praeerat, qui alioquin discedere debuisset, ut locum daret novo Capellano.

Porro nunc accidit, ut non omnes familiae permittant, ut earum defuncti deferantur in coemeterium per currum funebrem cum associatione dicti Capellani; sed plures, peractis rite funeribus in cuiusque paroeciali templo, quod omnes faciunt, volunt, ut ipsi Parochi cum pompa et solemnitate associent defunctos usque ad coemeterium, qui tandem deferuntur ab ipsis Parochis in dictam coemeterii capellani, et inde traduntur designato sepulturae loco. Quaeritur, utrum coemeterii Capellanus ratione huius muneris ius habeat ad cereos habendos, qui circa cadaver, in.

eo coemeterii templo a cuiusque Parocho depositum, ardeant.

Hic est casus propositus : non est heic quaestio, utrum legitime vel illegitime id factum fuerit: sed facta suppositione omnia rite fuisse constituta per interventum ecclesiasticae auctoritatis, solutio quaestionis propositae pendet a nonnullis generalibus iuris canonici principiis, quae locum obtinent in huiusmodi funerum materia.

Primum principium est, per publica coemeteria iura Parochorum sarta tectaque manere, nihilque in iure funerum innovari; de quo principio mentio incidit in his ephemeridibus in causa exposita in *vol. I pag. 85 et seq.* et de eo scripsimus in *appena. V. ibidem pag. 124-.*

Secundum principium est, publica coemeteria recens inducta esse loco coemeterii paroecialis, ita ut publicum coemeterium repraesentet omnia et singula paroecialia coemeteria.

Tum hoc, tum primum principium sua sponte derivant ex hac consideratione, quod constitutio coemeterii publici (quod fieri dicitur ratione publicae valetudinis; de qua re videsis quod adnotavi in vol. III. p. 44 et seqq.) non aliud secumfert ex intentione ecclesiasticae auctoritatis, quae publica coemeteria permittit aut constituit, nisi mutationem loci materialis, in quo singuli paroeciani cuiusque paroeciae sepeliantur.

Itaque Parochi, quando adsunt in publico coemeterio defunctum associantes, sunt in loco propriae iurisdictionis: ibique exercere possunt erga proprium defunctum omnes iurisdictionis actus, quos excercerent in proprio paroeciali coemeterio : ideoque omnia ea iura, quae iisdem competerent in eo meterio paroeciali, eadem iisdem competunt in publico coemeterio.

Tertium principium est, Parochos ius habere adassociandum cadaver proprii paroeciani funebri quoque pompa usque ad sepulcrum : quod ius adeo firmum est, ut secumferat quoque ius transitus per alienas paroecias et dioeceses. De qua re iuvat recolere Litteras Apostolicas in forma Brevis Innocentii XI., quibus confirmavit nonnullas Resolutiones S. G. C. de hoc argumento editas. Ita se habent dictae Litterae Apostolicae: « Exponi Nobis nuper « fecerunt dilecti filii Fratres Con« ventus loci de Binasco Papiensis « dioecesis, Ordinis Minorum S. « Francisci de Observantia Refor« matorum nuncupatorum, quod « ipsi alias a Congregatione tunc « exsistentium S. R. E. Cardina« lium Concilii Tridentini Inter« pretum, obtinuerunt Decretum

« tenoris, qui sequitur, videlicet: « Papien. Funerum. Regulares Mi- « nores strictioris observantiae S. « Francisci dioecesis Papien. ob « aliqua inconvenientia orta oc- « casione defunctorum, qui ad eo- « rum ecclesiam deferuntur, ubi « habent proprias sepulturas, sup- « plicant declarari: I. An Curatus « unius dioecesis, quaecumque sit, « in transitu cadaveris, quod pro- « cessionaliter defertur ad eccle- « siam Regularium ab alia dioe- « cesi, transeundo per propriam « iurisdictionem et parochiam « possit aliquam partem cerae, et « pecuniarum ab heredibus de- « functi praetendere. II. An pro- « prius Parochus defuncti tráns- « eundo per parochiam unius Pa- « rochi alterius cuiuscumque dioe- « cesis ad effectum deferendi pro- « cessionaliter cadaver ad eccle- « siam Regularium possit libere « et licite per eandem cum stola « et Cruce elevata transire, etiam « irrequisito Parocho. Die 28 No- < vembris 1671 Sacra etc. ad I. respondit: *negative;* ad II. *affir-* « *mative.* In quorum fidem etc.

< Quum autem, sicut eadem « expositio subiungebat, dicti ex- « ponentes, Decretum huiusmodi, « quo firmius subsistat et serve- « tur exactius, Apostolicae con- « firmationis Nostrae patrocinio « communiri summopere deside- ri rent, Nos specialem ipsis expo- « nentibus gratiam facere volentes — Decretum praeinsertum « auctoritate Apostolica tenore « praesentium adprobamusetcon- « firmanus, illique inviolabilis A- « postolicae firmitatis robur adi- « icimus, salva tamen semper in « praemissis auctoritate praefatae « Congregationis Cardinalium, de- « cernentes easdem praesentes li- « teras semper firmas, validas et « efficaces existere etc. etc. die 11 « Decembris 1676 ».

Cui plenissime consonat Resolutio S. C. Episcop. et Regul. edita in *Piacentina* die 24 Novembris 1713. Dubia quae sequuntur S. Congregationi fuerunt in ea causa proposita.

I. « An occasione funerationis « cadaverum alterius dioecesis aut « parochiae in Ecclesia S. Mariae « Angelorum provinciae S. Didaci « Min. Observantium Serrae Cla- « stidii possit proprius Parochus « defuncti ad effectum deferendi « processionaliter cadaver ad dic- « tam ecclesiam, libere per ean- « dem parochiam Clastidii tran- « sire Stola et Cruce elevata, etiam « irrequisito Parocho.

II. « An dictus Parochus Cla- « stidii occasione transitus ea- « daveris alterius parochiae et « dioecesis possit aliquam partem « cerae aut pecuniarum praeten- « dere pro quarta funerali aut « alio titulo ab heredibus defuncti.

III. « An dictus Parochus con- « sequi possit ab heredibus de- « functi, qui sepelitur, in dicta « ecclesia S. Mariae Angelorum, < duplicem quartam nempe duos « philippo , aut integram ceram « et unum philippum, seu potius «debeatur unica quarta unius « philippi aut solius cerae >.

Quibus S. C. respondit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. et III. *Negative.*

Expositum tertium principium dérivât ex munere pastorali, quod ex parte Parochis ab Ecclesia est commissum. Ipsis enim sub Epicopo commissi sunt paroeciani, ut eos vitae christiane exemplo, doctrinae pabulo, sacramentis pascant et nutriant, iis praesto sint in morte, et dein, elato cadavere, suffragiis animarum consulant iuxta Ecclesiae ritum, donec in loco dormitionis eorundem cadaver deponant.

Nihilominus tum duo priora principia, tum hoc tertium limitationem aliquam subire possunt ex causis extrinsecis, quae impedimento sint, quominus undequaque integra maneant.

Ad duo priora principia quod spectat, ea limitationem aliquam possunt subire ratione coemeterii communis, quatenus commune est: namque quatenus est commune, atque proinde seiunctum et segregatum a paroeciis, expedit, ut adsit aliquis Capellanus, qui locò sacro praesideat tamquam custos, qui iuxta episcopalia praecepta Ordinem custodiat, coemeteriumque servet. Decet quam maxime, ut in eodem christiano coemeterio adsit templum in quo divina officia quoque peragantur. Quae quidem omnia, sive Capellanus, sive coemeterium, sive templum, si aliunde non habeant propriam dotem ex qua congrui sumptus desumantur, exigunt, ut his sumptibus prospiciant heredes defuncti cuiusque paroeciae, statuta per episcopale Decretum aliqua tenui taxa pro* eiusmodi coemeterii oneribus: neque incongruum esset, si, pro ratione adiunctorum, etiam Parochi cogerentur aliquam particulam remittere suorum iurium ex illis emolumentis, quae non ex alia ratione percipiunt, nisi ex occasione communis coemeterii, ut Romae contingit, quamquam ob specialissimas causas, quae locum non obtinent in coemeteriis aliarum dioecesium.

Tertium principium limitationem aliquam subit, quando de alieno sepulcro agitur, de quo in exposito superius voto *pag. 214. §. Haec et seqq.* ex professo disceptatur.

Hisce praestitutis, apparet, quid in casu proposito sit dicendum. Quum non agatur de sumptibus coemeterii aut templi, sed tantum de iuribus Capellani quum Ca-

pellanus non sit aliud nisi coemerii et templi custos, consequitur, ipsum habere ius dumtaxat ad congruam muneris, quod gerit, retributionem, de cuius congrua retributione iudex est Episcopus, qui in 'defectu adsignatae dotis, posset uti illis mediis, de quibus ante dixi. Inspecta itaque natura muneris nihil sibi attribuere potest ex emolumentis paroecialibus funereae pompae.

Et ad cereos, de quibus in praesentiarum quaeritur, quod attinet, eos, natura muneris et loci, nullo ex titulo sibi vindicaret, non ratione iurisdictionis, quum custos tantum sit coemeterii et templi; non ratione ecclesiae tumulantis, quum ipsa ecclesia cum coemeterio iuncta repraesentet paroeciale coemeterium et eius loco sit; non ratione funereae associationis, quum ius hoc sit proprium Parochi.

Haec est nostra opinio, salva semper meliore opinione.

EX ACTIS OECUMENICI VATICANI CONCILII

Omnia Oecumenici Vaticani Concilii acta sumus relatori, quae tempore, quo ephemerides scribimus, publici fieri possunt iuris. In medium autem sub oculis Lectorum nostrorum deducemus non solum Decreta et Concilii Canones, sed etiam Constitutiones, Allocutiones Romani Pontificis, quae occasione Concilii editae vel ipso in Concilio distributae seu publicatae fuerint: immo ea quoque acta referemus, quae *officialia* appellari consueverunt, quaeque etsi ad doctrinam non pertinent, non parum tamen iuvabunt históricos.

Quae quidem eo fidentius dicimus, quod gratiosa facultas nobis impertita est authentica habendi documenta ex Secretaria Vaticani Concilii.

Quum autem contingat, ut ex nostris notitiis aliquid adiicere debeamus, praesertim in iis, quae ad historiam pertineant; ne cum actis Concilii permisceantur, hanc sequemur regulam ; commata scilicet actis authenticis praeponemus iisdemque claudebimus, commatibus penitus omissis in iis, quae de nostro adiungere contingat, quaeque etiam intra parenthesim pro re nata interseremus.

DE CONVENTU PROSYNODALI HABITO

DIE II DECEMBRIS MDCCCLXIX

« Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Feria V die 2 Decembris anni 1869 hora decima antemeridiana in Sacello Sixtino Palatii Apostolici Vaticani coram SSm. D. N. PIO PP. IX habebitur Congregatio prosynodalis, cui intererunt E.mi et R.mi Cardinales ac R.mi Patres.

« Intimentur itaque omnes et singuli E.mi ac R.mi DD. Gardinales, qui vestes violaceas cum rocchetto, mantelletto et mozzetta induent, ac R.mi Patres qui habitu praelatitio cum rocchetto sibi respective convenienti induti aderunt.

« Intimentur quoque Officiales maiores, nempe Custodes-Secretarius - Subsecretarius eorumque adiutores - Notarii cum eorum adiutoribus - Scrutatores suffragiorum - Promotores - Magistri Caeremoniarum - Assignatores locorum - qui praescriptum iuramentum in manibus SANCTITATIS SUAE praestabunt.

« De mandato SS.mi D. N. Papae ».

« Aloisius Ferrari Protonot. Apost. Caerem. Praefectus ».

Hac facta per Cursores intimatione ad omnes patres, qui Romae aderant, habitus est stata die et hora conventus in Capella Sixtina. Solium Pontificis iuxta parietem lateralem ad dexteram partem altaris de more sistebat; consueta Cardinalium subsellia utrimque post solium Pontificis procedebant; et ad dexterum Pontificis longiusque latus considebant Cardinales tum Episcopi tum Presbyteri; Diaconi vero, qui numero pauciores sunt, ad sinistrum breviusque latus prope altare. Ex adverso e fronte solii Pontificis iuxta? parietem considebant Patriarchae, inde Primates et Archiepiscopi. E prospectu autem ad altare considebant Episcopi inde Abbates et Ordinum Moderatores.

His omnibus ita compositis, Pontifex suis familiaribus nobilibusque administris circumdatus ingressus est per privatam sacrarii iamiam quae est propre altare: ipso in ingressu Aspersorium ei obtulit Cardinalis Patrizi, utpote in cardinalitia dignitate ceteris praesentibus senior. Pontifex prius se, dein omnes circumstantes adspersit; eoque procedente atque manu silentiose benedicente, Concilii Patres sponte sua fluctertmt genua eam suscipientes benedictionem.

Postquam autem Pontifex paulisper de more in faldistorio ante altare posito orasset, solium conscendit, ac clara voce, omnibus considentibus Patribus, Allocutionem legit, quae tenoris est qui sequitur.

ALLOCUTIO

« Habita in Congregatione Generali ante primam Sessionem Concilii Vaticani a Sanctissimo Domino nostro Pio Divina Providentia PP. IX die 2 Decembris anno. 1869 ad Episcopos Catholici Orbis qui ad idem Concilium Romam convenerunt ».

Venerabiles Fratres

« Sacri Oecumenici Vaticani Concilii conventus post paucos hinc dies auspicaturi, nihil opportunius Nobisque iucundius existimavimus, V FF., quam ut vos universos hodierno die iuxta Nostra hic desideria congregatos alloqui, ac praecipuam caritatem, quam intimo corde alimus, Vobis aperire posse.nus. Cum enim de re maxima agatur, qualis est illa in qua de remediis comparandis agitur tot malis, quae Christianam et Civilem societatem hoc tempore perturbant, putavimus Apostolica Nostra sollicitudine dignum esse, et tantae rei magnitudini consentaneum, ut antequam conciliarium rerum actio initium habeat, in omnis gratiae auspicium Vobis caelestis Benedictionis opem a Deo clementissimo precaremur; ac necessarium censuimus, Vobis eas tradere normas, Apostolicis Nostris litteris consignatas atque editas, quas od omnia in conciliaribus actionibus rite et ordine agenda, constituendas esse indicavimus. Hoc autem illud est, VV. FF., quod Deo et Immaculata Deipara votis Nostris annuente hodierno die in amplissimo hoc Vestro conventu peragimus ; nec satis verbis explicare possumus ingentem eam consolationem, qua n Vestra haec exoptata, et debita Apostolicae vocis obsequio frequentia Nobis ingerit, cum Vos tandem ex omnibus Catholici Orbis partibus in hanc almam Urbem, indicti a Nobis Concilii causa convenisse, et summa animorum consensione Nobiscum coniunctos aspiciamus, quos eximia erga Nos et Apostolicam Sedem devotio, mirificus ad navandam Christi Regno operam ardor, et in pluribus etiam tribulationum pro Christo perpessio iure efficit cordi Nostro carissimos. Haec autem, VV. FF., haec Vestra Nobiscum coniunctio eo gratior Nobis accidit, quod in ea haerentes Apostolorum vestigiis insistimus, qui suae

unanimae et costantis cum divino Magistro coniunctionis luculenta nobis exempla reliquerunt. Nostis enim ex sacris litteris, cum Christus Dominus Palaestinae regiones peragrans iter faceret per civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei, Eius lateri Apostolos pari omnes studio adhaesisse, et duodecim cum Illo, uti Sanctus Lucas (1) loquitur, fideliter quacumque iter haberet, esse versatos. Atque haec Apostolorum coniunctio splendidius etiam enituit eo tempore, cum caelestis Magister docens in Capharnaum de divinae Eucharistiae mysterio coram Hebraeis fusiori sermone pertractavit: tunc enim cum gens illa carnalis et obtusioris sensus sibi de tantae caritatis opere persuadere non posset, atque ita Magistri pertaesam se ostendisset, ut multi discipulorum, Ioanne testante (2), abirent retro et non cum Illo ambularent, Apostolorum tamen amor in Magistri veneratione et obsequio immotus perstitit, et Iesu Apostolos percunctante num et ipsi vellent abire, graviter id ferens Petrus in eas voces erupit » Domine ad quem ibimus ? », ac rationem adiecit quare Dominum constanti fide sequi velle statueret « verba vitae aeternae habes ». Haec nos animo recolentes, quid dulcius aut iucundius hac nostra coniunctione reputare, quid porro etiam firmius ac stabilius tueri debeamus? Non deerunt certe Nobis, una licet in Christi nomine coniunctis, non deerunt contradictiones ac dimicationes subeundae, nec inimicus homo segnis erit, nil magis cupiens quam superseminare zizania; at Nos memores Apostolicae firmitudinis et constantiae, quae Domini praeconio laudari meruit « vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (3) », memores Redemptoris Nostri diserte denunciantis « qui mecum non est contra me est, » officii pariter Nostri memores esse debebimus, omnique studio curare, ut inconcussa fide ac firmitate Christum sequamur, Illique omni tempore concordibus animis adhaereamus. In ea enim, VV. FF., conditione constituti sumus, ut in acie adversus multiplices eosdemque acérrimos hostes, diuturna iam contentione versemur. Utamur oportet spiritualibus militiae Nostrae armis, totamque certaminis vim, tum divina innixi auctoritate, tum caritatis, patientiae, precationis et constantiae clypeo sustineamus. Nihil au-

(1) Luc. 8, 1.
(2) Ioan. 6, 67.
(3) Luc. *2, 28.

tem metus est, ne vires nobis in hac dimicatione deficiant, si in Auctorem et Consummatorem Fidei nostrae oculos animosque coniicere voluerimus. Si enim Apostoli oculis et cogitatione in Christo Iesu defixi satis ex hoc animi vinumque sumpserunt, ut adversa quaeque strenue perferrent, Nos pariter ipsum adspicientes in salutari pignore Redemptionis nostrae, ex hoc aspectu, unde divina manat virtus, nos eam vim roburque inveniemus, quo calumnias, iniurias, inimicorum artes superemus, ac salutem nobis totque etiam miseris a via veritatis errantibus ex Christi cruce haurire laetabimur. Neque vero Redemptorem Nostrum respicere contenti, eam quoque mentis docilitatem induamus necesse est, ut Eidem libenter toto cordis affectu audientes simus. Hoc est enim quod ipse Pater caelestis Maiestatis suae auctoritate praecepit, cum revelante Christo Domino gloriam suam in monte praecelso coram electis testibus « hic est, inquit, Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: Ipsum audite ». Iesum igitur prono mentis obsequio audiamus utique in omni re, at in ea praecipue quam Ipse ita cordi habuit, et praenoscens difficultates quibus ipsa obnoxia futura esset in mundo, de illa ipsa Patrem suum obsecrare in novissima Coena effusis iteratisque votis non omiserit: « Pater Sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut Nos **(1)** ». Una itaque anima cum uno corde in Christo Iesu sit cunctis. Non aliud sane Nobis maiori consolationi futurum est, quam si obsequentem Christi monitis aurem cordis iugiter praebuerimus, quo pacto et nos esse cum Christo agnoscemus, et perspicuum aeternae salutis pignus inesse repperiemus in nobis: « qui enim ex Deo est verba Dei audit **(2)** ».

« Has Pontificiae Nostrae cohortationis voces ex intimo corde depromptas, Omnipotens et Misericors Deus, Deipara Immaculata deprecante, potenti sua ope confirmet, efficiatque propitius, ut uberibus fructibus augeantur. Convertat deinde faciem suam ad Vos, VV. FF., ac tum corpora tum animos vestros benedictionis suae gratia prosequatur: corpora nempe, ut labores omnes, qui a vestro sacro ministerio abesse non possunt, strenue alacriterque ferre valeatis; animos vero, ut caelestibus auxiliis abunde repleti, sacerdotalis vitae exemplis et virtutum omnium splendore in Christiani Gregis salutem praeluceatis. Huius autem

(1) Ioan. 17, 11. **(2) Ioan. 8, 47.**

benedictionis gratia Vobis continenter adsit, atque omnibus vitae vestrae diebus clementer adspiret, ut dies pleni inveniantur in Vobis pleni sanctitatis et iustitiae, pleni sanctorum operum fructibus, in quibus verae nobis divitiae et gloria continetur. Atque ita nobis continget feliciter, ut expleto mortalis peregrinationis cursu, in novissimo illo vitae die dicere cum Propheta Rege non vereamur: « Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini'ibimus »; atque aditum Nobis patere plane confidamus in Montem Sanctum Sion, Caelestem Hierusalem ».

Pontifex, hac Allocutione habita eademque completa, Apostolicam Benedictionem omnibus Patribus per consuetam formulam est impertitus. Tum duo Diaconorum Cardinales, Antonelli et Grassellini, solium conscendentes unus ad dexteram, alter ad Pontificis sinistram constiterunt : item conscendit Cardinalis Claretti, qui a secretis est in expediendis litteris Apostolicis in forma Brevis idemque, mandante Pontifice, eorum nomina publicavit, qui rebus conciliaribus gerendis inserviendisque constituti sunt, eorumdemque adiutorum; videlicet solemniter publicavit tum electos Cardinales Praesides, tum Officiales, qui infra describuntur. Inde idem Cardinalis Claretti elata voce edixit, ut accederent qui nominati essent Officiales, exceptis Custodibus et Secretario, qui est Episcopus, ad iuramentum praestandum.

Hinc Concilii administri coram sunt adducti, praeeunte antistite Secretario Iosepho Fessier, qui solium conscendens ad sinistram Pontificis stetit, reliqui omnes genua flexi ante Pontificem, circuli ad instar partim super solii gradus partim sub solium permanserunt; eodemque tempore praesul Ludovicus lacobini Concilii Subsecretarius medius inter eos hanc iurisiurandi formulam omnium nomine elata voce pronunciavit:

« Nos a sanctitate Vestra electi Officiales generalis Concilii Vaticani, factis per nos sacrosanctis Dei Evangeliis, promittimus et iuramus officium unicuique nostrum respective demandatum fideliter impleturos, nec insuper evulgaturos vel alicui extra gremium praedicti Concilii panditur os quaecumque in eodem Concilio examinanda proponentur, itemque discussiones, et singulorum sententias; sed super iis omnibus quemadmodum et super aliis rebus, quae nobis specialiter committentur, inviolabilem secreti fidem servaturos .

Duobus ante dictis Cardinalibus Diaconis Evangeliorum librum per ora utrimque tenentibus super Pontificis genua, Administri surrexerunt atque unus post alium, ordinem suggerente antistite Secretario, manum libro applicantes haec verba pronunciarunt : **Et ego NN. Sacri Concilii** *(hic muneris nomine significato)* **spondeo voveo et iuro, ut in formula praelecta. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.** *Inde osculato Pontificis pede recesserunt.*

Pontifex, quum omnia vidisset expleta, consurgens atque descendens, brevique prece effusa ut ante, discessit. Dimisso ita conventu, Caeremoniarum Magistri omnibus Concilii Patribus exemplaria diribuerunt tam habitae Allocutionis, quam aliarum litterarum Apostolicarum in forma Brevis, quae tenoris sunt qui sequitur.

« Sanctissimi Domini nostri Pii Divina Providentia Papae IX litterae Apostolicae quibus ordo generalis in sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani celebratione servandus constituitur ».

PIUS PAPA IX

AD FUTURAM REI MEMORIAM

« Multiplices inter, quibus divexamur angustias, ad Divinae Clementiae, quae *consolatur Nos in omni tribulatione Nostra* **(1), gratias persolvendas maxime excitamur, qua propitiante, illud celeriter Nobis continget, ut sacrosanctum generale et oecumenicum Concilium Vaticanum iam a Nobis, ea adspirante indictum, feliciter auspicemur. Gaudium autem in Domino iure praecipimus, quod salutares Concilii eiusdem conventus solemni die Immaculatae Dei Matris Mariae semper Virginis Conceptioni sacro, atque adeo sub potentibus maternisque auspiciis eius aggressuri sumus, eosque in Vaticana Nostra Basilica inituri ante Beatissimi Petri cineres, qui** *in accepta fortitudine Petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit, et in quo omnium*

(1) II Corint. 1, 4.

Pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat (1). Iamvero memores hoc oecumenicum Concilium a Nobis convocatum fuisse, ut extirpandis erroribus, quos praesertim huius saeculi conflavit impietas, removendis malis, quibus Ecclesia affligitur, emendandis moribus et utriusque Cleri disciplinae instaurandae, coniuncta Nobiscum sacrorum Ecclesiae Antistitum adhibeatur opera, ac probe noscentes, quo studio intentaque sollicitudine curare debeamus, ut ea omnia, quae ad rectam rationem tam salutaris negotii gerendi, tractandi ac perficiendi pertinent, ex sancta maiorum disciplina institutisque statuantur, idcirco Apostolica Nostra auctoritate ea quae sequuntur decernimus, atque-ab omnibus in hoc Vaticano Concilio servanda esse praecipimus.

I.

DE MODO VIVENDI IN CONCILIO.

« Reputantes animo quod *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (2), quodque nihil Caelestis Patris benignitati pronius est, quam ut det *spiritum bonum petentibus se* (3), iam Nos, dum Apostolicis Nostris Litteris (4), die undecimo Aprilis hoc anno datis, Ecclesiae thesauros sacrosancti huius Concilii occasione Christifidelibus reseravimus, non solum eosdem Christifideles vehementer hortati sumus, ut emundantes *conscientiam ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (5) orationibus, obsecrationibus, ieiuniis aliisque pietatis actibus insistere velint: sed etiam Divini Spiritus lumen et opem in sacrosancto Missae sacrificio celebrando, quotidie in universo Orbe Catholico implorari mandavimus ad prosperum a Domino huic Concilio exitum, et salutares ex eo Ecclesiae sanctae fructus impetrandos.

« Quas quidem adhortationes et praescriptiones modo renovantes et confirmantes, id praeterea iubemus, ut in huius almae Urbis Nostrae Ecclesiis, sacrosancta Synodo perdurante, singulis

(1) S. Leo P. Serm. 2 in Annivers. Assumptionis suae.
(2) Iacob. 1, 17.
(3) Luc. 11, 13.
(4) Litt. Nost. 11 Aprilis 1869.
(5) Ep. ad Hebraeos 9, 14.

diebus Dominicis hora, quae pro fideli populo magis congrua videatur, Litaniae aliaeque orationes ad hunc finem constitutae recitentur.

« At longe his maius aliquid et excellentius ab Episcopis, aliisque qui in Sacerdotali Ordine censentur hoc Concilium concelebrantibus, praestandum est, quos uti ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei oportet in omnibus seipsos praebere *exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (1). Quare veterum Conciliorum ac Tridentini nominatim vestigiis inhaerentes hortamur illos omnes in Domino, ut orationi, sacrae lectioni, caelestium re rum meditationibus pro sua cuiusque pietate studiose intendant : ut pure casteque sancto Missae sacrificio, quam fieri possit, frequenter operentur; animum mentemque ab humanarum rerum curis immunem servent; modestiam in moribus, in victu temperantiam, et in omni actione religionem retineant. Absint animorum dissidia, absit prava aemulatio, et contentio sed omnibus imperet, quae inter ceteras virtutes eminet charitas, ut illa dominante et incolumi, de hoc sacro Episcoporum Ecclesiae conventu dici possit: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum* (2). Evigilent demum Patres in domesticorum suorum cura, et christianae ab eis sanctaeque vitae disciplina exigenda, memores quam gravibus verbis Paulus Apostolus praecipiat Episcopis, ut sint suae domui bene praepositi (3)

II.

DE IURE ET MODO PROPONENDI.

« Licet ius et munus proponendi negotia, quae in sancta oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exe-

(1) Epis, ad Titum % 7.
(2) Ps. 132, 1.
(3) I. Timoth. 3, 4.

qui velint. Cum vero probe perspiciamus hanc ipsam rem, nisi congruo tempore et modo perficiatur, non parum necessario, conciliarium actionum ordini officere posse, idcirco statuimus eiusmodi propositiones ita fieri debere, ut earum quaelibet **I**° sripto mandetur, ac peculiari Congregationi nonnullorum, tum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium, tum Synodi Patrum a Nobis deputandae privatim exhibeatur: 2° publicum rei christianae bonum vere respiciat, non singularem dumtaxat unius vel alterius Dioecesis utilitatem: 3° rationes contineat, ob quas utilis et opportuna censeatur: 4° nihil praeseferat, quod a constanti Ecclesiae sensu, eiusque inviolabilibus traditionibus alienum sit.

«Peculiaris praedicta Congregatio propositiones sibi exhibitas diligenter expendet, suumque circa earum admissionem vel exclusionem consilium Nostro iudicio submittet, ut Nos deinde matura consideratione de iis statuamus, utrum ad Synodalem deliberationem deferri debeant.

III.

DE SECRETO SERVANDO IN CONCILIO.

« Prudentiae hic ratio Nos admonet, ut secreti fidem, quae in superioribus Conciliis non semel, adiunctorum gravitate exigente, indicenda fuit, in universa huius Concilii actione servandam iubeamus. Si enim unquam alias, hoc maxi ne tempore haec cautio necessaria visa est, quo in omnem occasionem excubat invidiae conflandae contra Catholicam Ecclesiam eiusque doctrinam, pluribus nocendi opibus pollens impietas. Quapropter praecipimus omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum -Peritis, ceterisque, qui operam suam Patribus vel Officialibus praedictis quovis modo in rebus huius Concilii praebent, ut Decreta et alia quaecumque, quae iis examinanda proponentur, nec non discussiones et singulorum sententias non evulgent, nec alicui extra gremium Concilii pandant; praecipimus pariter ut Officiales Concilii, qui episcopali dignitate praediti non sunt, aliique omnes, qui ratione cuiusvis demandati a Nobis ministerii conciliaribus disceptationibus inser-

vire debent, iuramentum emittere teneantur de munere fideliter obeundo, et de secreti fide servanda circa ea omnia quae supra praescripta sunt, nec non super iis rebus, quae specialiter ipsis commutentur.

IV.

DP] ORDINE SEDENDI

ET DE NON INFERENDO ALIGUI PRAEIUDICIO.

« Cum ad tranquillitatem concordiamque animorum tuendam non parum momenti habeat, si in quibuslibet Conciliaribus actibus, unusquisque suae dignitatis ordinem fideliter ac modeste custodiat; hinc ad offensionum occasiones, quoad eius fieri possit praecidendas, infrascriptum ordinem inter diversas dignitates servari praescribimus.

« Primum locum obtinebunt VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi ; secundum Patriarchae ; tertium, ex speciali Nostra indulgentia, Primates, iuxta ordinem suae promotionis ad Primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac Nostra concessione nullum ius vel ipsis Primatibus datum, vel aliis imminutum censeri debeat. Quartum locum tenebunt Archiepiscopi, iuxta suae ad Archiepiscopatum promotionis ordinem; quintum Episcopi, pariter iuxta ordinem promotionis suae; sextum Abbates Nullius Dioecesis; septimum Abbates Generales, aliique Generales Moderatores Ordinum Religiosorum, in quibus solemnia vota nuncupantur, etiamsi Vicarii Generalis titulo appellentur, dum tamen re ipsa cum omnibus supremi moderatoris iuribus et privilegiis, universo suo Ordini legitime praesunt.

« Ceterum ex superiorum Conciliorum disciplina institutoque decernimus, quod, si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere, et sententias etiam sub verbo *placd* proferre, Congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur (1).

(1) Conc. Trid. Sess. II. Decret, de mod. viv. § *Insuper.*

V.

DE IUDICIBUS EXCUSATIONIS ET QUERELARUM.

« Quo graviorum rerum pertractatio, quae in hac sacrosancta Synodo agi gerive debent, minus quam fieri possit, impediatur aut retardetur ob cognitionem causarum, quae singulos respiciunt; statuimus ut ipsa Synodus per schedulas secretas quinque ex Concilii Patribus eligat in *Iudices excusationum,* quorum erit procurationes et excusationes Praelatorum absentium, nec non eorum postulata, qui, Concilio nondum dimisso, iustam discedendi causam se habere putaverint, excipere, atque ad normam Conciliaris disciplinae et SS. Canonum expendere: quod cum fecerint, non quidquam de hisce rebus decernent, sed de omnibus ad Congregationem generalem, ordine referent. Praeterea statuimus, ut eadem Synodus pariter per schedulas secretas, alios quinque ex Patribus eligat, *in Iudices querelarum et controversiarum.*

« Hi porro controversias omnes circa ordinem sedendi, vel ius praecedendi, aliasque, si quae forte inter congregatos oriantur, iudicio summario atque *oeconomice,* ut aiunt, ita componere studebunt, ut nulli praeiudicium inferatur: et quatenus componere nequeant, eas Congregationis generalis auctoritati subiicient.

VI.

DE OFFICIALIBUS CONCILII.

« Quod vero et illud magni refert, ut necessarii ac idonei ministri et officiales, iuxta conciliarem consuetudinem et disciplinam, omnibus in hac Synodo actibus rite et.legitime perficiendis designentur, Nos huiusmodi ministeriorum rationem habentes, infrascriptos viros ed ea deligi mus et nominamus, scilicet:

I°. Generales Concilii custodes, dilectos filios Ioannem Columna et Dominicum Orsini Romanos Principes Pontificio Nostro solio Adsistentes.

2°. Concilii Secretariun, Venerabilem Fratrem Iosephum Episcopum S. Hippolyti, eique adiicimus cum officio et titulo Subsecretarii, dilectum filium Ludovicum Iacobini e Nostris et

huius Apostolicae Sedis Protonotariis, nec non adiutores, dilectos filios Canonicos Camillum Santori et Angelum Iacobini.

3°. Concilii Notarios, dilectos filios Lucam Pacifici, Aloisium Colombo, Ioannem Simeoni, Aloisium Pericoli, et Dominicum Bartolini Nostros et huius Apostolicae Sedis Protonotarios, eisque adiungimus dilectos filios Salvatorem Pallottini et Franciscum Santi Advocatos; qui Notariis eisdem adiutricem operam navent.

4°. Scrutatores Suffragiorum, dilectos filios Aloisium Serafini et Franciscum Nardi causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores ; Aloisium Pellegrini et Leonardum Dialti Nostrae Camerae Apostolicae Clericos; Carolum Cristofori et Alexandrum Montani Signaturae Iustitiae votantes; Fridericum de Falloux du Coudray Nostrae Cancellariae Apostolicae Regentem, et Laurentium Nina Abbreviatorem ex maiori Parco. Hi autem octo scrutatores in quatuor distincta paria distributi, ita ad excipienda suffragia procedent, ut bina paria unum Conciliaris Aulae latus, totidemque alterum obeant, ac praeterea singula paria singulos ex Notariis secum habere debebunt, dum in munere fungendo versantur.

5°. Pronotores Concilii, dilectos filios Ioannem Baptistam de Dominicis-Tosti, et Philippum Ralli S. Consistorii Advocatos.

6°. Magistros Caeremoniarum Concilii, dilectos filios Aloisium Ferrari Antistitem Nostrum domesticum Praefectum, et Pium Martinucci, Camillum Balestra, Remigium Ricci, Iosephum Romagnoli, Petrum Iosephum Rinaldi-Bucci, Antonium Cataldi, Alexandrum Tortoli, Augustinum Accoramboni, Aloisium Sinistri, Franciscum Riggi, Antonium Gattoni, Balthasarem Baccinetti, Caesarem Togni, Rochum Massi, Nostros, et huius Apostolicae Sedis Caeremoniarios.

7°. Assignatores locorum, dilectos filios Henricum Folchi Praefectum, ac Aloisium Naselli, Edmundum Stonor, Paulum Bastide, Aloisium Pallotti intimos Nostros Cubicularios, et dilectos filios Scipionem Perilli, Gustavum Gallot, Franciscum Regnani, Nicolaum Vorsak, et Philippum Silvestri Cubicularios Nostros honorarios.

VIL

DE CONGREGATIONIBUS GENERALIBUS PATRUM.

« Ad ea modo curam convertentes, quae Congregationum generalium ordinem respiciunt, statuimus ac decernimus, ut iisdem Patrum Congregationibus, quae publicis sessionibus praemittuntur, quinque ex VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostro Nomine et auctoritate praesint, et ad hoc munus eligimus et nominamus, Venerabilem Fratrem Nostrum Carolum S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensen De Reisach nuncupatum, dilectos filios Nostros S. R. E. Presbyteros Cardinales Antoninum titulo SS. Quatuor* Coronatorum De Luca nuncupatum, Iosephum Andream titulo S. Hieronymi Illycorum, Bizzarri nuncupatum, Aloisium titulo S. Laurentii in Panisperna, Bilio nuncupatum, et dilectum filium Nostrum Hannibalem S'. R. E. Cardinalem Diaconum S. Mariae in Aquiro Capalti nuncupatum.

« Hi autem Praesides, praeter alia, quae ad aptam horum Conventuum moderationem spectant, curabunt ut in rebus pertractandis initium fiat a disceptatione eorum, quae ad fidem pertinent, deinde integrum ipsis erit consultationes in fidei vel disciplinae capita conferre, prout opportunum iudicaverint.

« Cum vero Nos iam inde a tempore, quo Apostolicas Litteras ad hoc Concilium indicendum dedimus, Viros Theologos et ecclesiastici iuris Consultos, ex variis Catholici orbis regionibus in hanc almam Urbem Nostram evocandos curaverimus, ut una cum aliis huius Urbis, et earundem disciplinarum peritis viris, rebus apparandis darent operam, quae ad huius generalis Synodi scopum pertinent, atque ita expeditior via in rerum tractatione Patribus patere posset; hinc volumus et mandamus, ut *schemata* decretorum et canonum ab iisdem viris expressa et redacta, quae Nos, nulla Nostra approbatione munita, integra, integre Patrum cognitioni reservavimus, iisdem Patribus in Congregationem generalem collectis ad examen et iudicium subiiciantur. Itaque, curantibus memoratis Praesidibus, aliquot ante dies quam Congregatio generalis habeatur, decretorum et canonum schemata, de quibus in Congregatione indicta agendum erit, typis impressa singulis Patribus distribuentur, quo interim illa diligenti consideratione in omnem partem expendant, et quid sibi

sententiae esse debeat, accurate pervideant. Si quis Patrum de schemate proposito sermonem in Congregatione ipsa habere voluerit, ad debitum inter oratores ordinem pro cuiusque dignitatis gradu servandum, opus erit, ut saltem pridie diei Congregationis ipsius, Praesidibus suum disserendi propositum significandum curet. Auditis autem istorum Patrum sermonibus, si alii etiam post eos in conventu ipso disserere voluerint, hoc iisdem fas erit, obtenta prius a praesidibus dicendi venfa, et eo ordine, quem dicentium dignitas postulaverit.

« Iamvero si in ea quae habetur Congregatione exhibitum schema vel nullas, vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expediendas obtulerit, tunc nihil morae t rit, quominus, disceptationibus compositis, decreti vel canonis conciliaris, de quo agitur, formula, rogatis Patrum suffragiis, statuatur. Sin autem circa schema praedictum huiusmodi oriantur difficultates, ut sententiis in contraria conversis, via non suppetat, qua in ipso conventu componi possint, tum ea ratio ineunda erit, quam heic infra statuimus, ut stabili et opportuno modo huic rei provideatur. Volumus itaque, ut ab ipso Concilii exordio quatuor speciales ac distinctae Patrum Congregationes seu *Deputationes* instituantur, quarum prima de rebus ad fidem pertinentibus, altera de rebus disciplinae ecclesiasticae, tertia de rebus Ordinum Regularium, quarta demum de rebus ritus Orientalis, Concilio perdurante, cognoscere et tractare debebit. Quaevis ex praedictis Congregationibus seu Deputationibus numero Patrum quatuor et viginti constabit, qui a Concilii Patribus per schedulas secretas eligantur. Unicuique ex iisdem Congregationibus seu Deputationibus praeerit unus ex VV. FF. NN. S.,R. E. Cardinalibus a Nobis designandus, qui ex Conciliaribus Theologis vel Iuris Canonici peritis, unum aut plures in commodum suae Congregationis seu Deputationis adsciscet, atque ex iis unum constituet, qui Secretarii munere eidem Congregationi seu Deputatio ni operam navet. Igitur si illud contigerit, quod supra innuimus, ut nimirum in generali Congregatione quaestio de proposito schemate exorta dirimi non potuerint, tum Cardinales eiusdem generalis Congregationis Praesides curabunt, ut schema, de quo agitur, una cum obiectis difficultatibus examini subiiciatur illius ex specialibus Deputationibus, ad quam, iuxta assignata cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in hac peculiari De-

putatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribus diribenda erit, iuxta methodum a Nobis superius praescriptam, ut deinde in proxima Congregatione generali, si nihil amplius obstiterit, rogatis Patrum suffragiis, decreti vel canonis conciliaris formula condatur. Suffragia autem a Patribus oretenus edentur, ita tamen, ut ipsis integrum sit etiam de scripto illa pronuntiare.

VIII.

DE SESSIONIBUS PUBLICIS.

« Publicarum nunc Sessionum celebratio exigit, ut rebus et actionibus in ea rite dirigendis, congrua ratione consulamus. Itaque in unaquaque publica Sessione, considentibus suo loco et ordine Patribus, servatisque adamussim caeremoniis, quae in rituali instructione iisdem Patribus de mandato Nostro tradenda continentur, de suggestu Decretorum et Canonum formulae in superioribus Congregationibus generalibus conditae, voce sublata et clara iussu nostro recitabuntur, eo ordine, ut primum Canones de dogmatibus Fidei, deinde Decreta de disciplina pronuncientur, et ea adhibita solemni tituli praefatione, qua Praedecessores Nostri in eiusmodi Conciliari actione uti consueverunt, nempe: *Pius Episcopus Servus Servorum Pei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.* Tunc vero rogabuntur Patres, an placeant Canones et Decreta perlecta; ac statim procedent scrutatores suffragiorum, iuxta methodum superius constitutam, ad suffragia singillatim et ordine excipienda, eaque accurate describent. Hac autem in re declaramus, suffragia pronunciari debere in haec verba, *placet* aut *non placet:* ac simul edicimus, minime fas esse a Sessione absentibus quavis de causa, suffragium suum scripto [consignatum ad Concilium mittere. Iamvero suffragiis collectis, Concilii Secretarius una cum supradictis scrutatoribus penes Pontificalem Nostram Cathedram, iis accurate dirimendis ac numerandis operam dabunt, ac de ipsis ad Nos referent: Nos deinde supremam Nostram sententiam edicemus, eamque enunciari et promulgari mandabimus, hac adhibita solemni formula: *« Decreta modo lecta placuerunt omnibus Patribus, nemine dissentiente;* vel (si qui forte dissenserint) *tot numero exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus statuimus*

atque sancimus, ut lecta sunt ». Hisce autem omnibus expletis, erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis, unum vel plura, instrumentum vel instrumenta conficiantur. Denique die proximae Sessionis de mandato Nostro indicta, Sessionis conventus dimittetur.

IX.

DE NON DISCEDENDO A CONCILIO.

« Universis porro Concilii Patribus, aliisque qui eidem interesse debent praecipimus sub poenis per SS. Canones indictis, ut ne quis eorum, antequam Sacrosanctum hoc generale et oecumenicum Concilium Vaticanum rite absolutum et a Nobis dimissum sit, discedat, nisi discessionis causa iuxta normam superius definitam cognita et probata fuerit, ac impetrata a Nobis abeundi facultas.

X.

INDULTUM APOSTOLICUM DE NON RESIDENTIA PRO IIS QUI CONCILIO INTERSUNT.

« Cum ii omnes, qui conciliaribus actionibus interesse teneantur, ea in re universali Ecclesiae deserviant: Praedecessorum Nostrorum etiam exemplum sequuti (1) Apostolica benignitate indulgemus, ut tura Praesules aliique suffragii ius in hoc Concilio habentes, tum ceteri omnes eidem Concilio operam quovis titulo impendentes, suorum Beneficiorum fructus, redditus, proventus ac distributiones quotidianas percipere possint, iis tantum distributionibus exceptis, quae *inter praesentes* fieri dicuntur; idque concedimus Synodo perdurante, et donec quisque eidem adsit aut inserviat.

« Haec volumus atque mandamus, decernentes has Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque, in proximo sacrosancto generali et oecumenico Concilio Vaticano, ab omnibus et singulis ad quos spectat, respective et inviolabiliter observari dé-

fi) Paulus III Brev. 1 Ianuarii 1546, Pius IV Brev. 25 Nov. 1561.

bere. Non obstantibus, quavis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

« Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXVII Novembris anno MDCCGLXIX. Pontificatus Nostri anno Vigesimo quarto ».

N. Card. PARACCIANI GLARELLI.

DE PRIMA GENERALI ET PUBLICA SESSIONE

HABITA DIE VIII DECEMBRIS MDCCCLXIX.

IN AULA CONCILIARI INTRA VATICANAM BASILICAM.

« Intimatio per Cursorem facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Feria IV. die 8 Decembris anni 1869 festo CONCEPTIONIS IMMACULATAE BEATAE MARIAE VIRGINIS hora *Octava cum dimidio* ante meridiem CONCILII OECUMENICI VATICANI celebratio solemniter devota supplicatione inchoabitur a sacello quod erit supra porticum Basilicae S. Petri usque ad Basilicam.

« Statuta hora omnes ad Palatium Apostolicum Vaticanum convenient.

« E.mi et R.mi DD. Cardinales, et R.mi DD. Patriarchae in aulis paramentorum: R.mi DD. Primates, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates, qui locum in Concilio ex privilegio habent, ritus tam latini quam orientalis in Museo lapidario induent sacras vestes unicuique ordini et ritui proprias, et si latini sint, coloris albi cum mitris: nempe Cardinales sericodamascenis, ceteri ritus latini ex lino, orientales vero iuxta eorum morem; et statim pergent ad sacellum quod est supra porticum Basilicae S. Petri adventum SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE PII IX expectantes.

« Prior autem Cardinalium Presbyterorum, duo Cardinales Diaconi Papae adsistentes, Diaconus Cardinalis Evangelium in

actione conciliari cantaturus, duo Episcòpi Summo Pontifici de libro et candela inservientes, Subdiaconus Apostolicus S. Rotae Auditor, in sacello Paulino ad usum Sacrarii composito sacra item paramenta coloris albi eisdem convenientia assument, ex^ cepto Cardinali Presbytero qui Pluviale induet; et SANCTITATEM SUAM praestolabuntur una cum duobus Protonotariis Apostolicis cum cappis, et Acolythis Signaturae votantibus indutis superpelliceo supra rocchettum.

« SUMMUS PONTIFEX sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa procedet ad commemoratum sacellum, et cum hymnum *Veni Creator Spiritus* intonaverit, absoluto primo versu, supplicatio inchoabitur, et deinde sacra omnis actio explebitur eo plane modo qui in *Ordine*, et *Methodo celebrandi Concilium* est praescriptus.

« SANCTISSIMUS PATER cum Basilicam ingressus fuerit e sella gestatoria descendet et prope aram maximam adorato AUGUSTISSIMO SACRAMENTO exposito, et finito hymno, versus et orationes cantabit, ac deinde perget ad aulam conciliarem et celebrabitur Missa ab E.mo et R.mo Cardinali S. Collegii decano de BEATAE MARIAE VIRGINIS CONCEPTIONE IMMACULATA cum oratione de SPIRITU SANCTO.

« Dicta a Cardinali celebrante in fine Missae oratione *Placeat,* R.mus D. Archiepiscopus Orator petita a Summo Pontifice Indulgentia, e suggestu Patres alloquetur et deinde Indulgentiam publicabit.

« Summus Pontifex, impertita benedictione, pluviale deponet et omnibus sacris paramentis induetur ac si Missam solemni pontificali ritu esset celebraturus.

« Deinde praestita obedientia incipient preces conciliares, et cantato versu *Benedicamus Pomino,* omnes et singuli qui conciliari Sessioni interesse minime debent, aula exibunt et fores claudentur.

« Absoluta Sessione apertisque ianuis, SANCTITAS SUA intonabit hymnum *Te Deum.*

« Intimentur itaque omnes et singuli E.mi et R.mi DD. S. E. R. Cardinales, R.mi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates, et supremi moderatores Congregationum et Ordinum Regularium ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

« Insuper intimentur Vice-Camerarius, Princeps Solii, Concilii custos, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, Protonotarii Apostolici de numero Participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici Camerae Apostolicae duo, Votantes Signaturae omnes, Abbreviatores de Parco maiori duo, Officiales Concilii ».

« Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus ».

Omnibus ad publicam singularemque solemnitatem rite dispositis, iuxta eam intimationem res processerunt. Eo autem properante et adveniente die Virgini Immaculatae sacro, omnibusque Fidelium cordibus laetitia exultantibus, tota civitas multarum linguarum populo vehementer aucta, fervebat. Unum erat omnium votum, unaque vox: Concilii Vaticani initium! *Ad publica solemnis festivitatis signa fideles corde suo benedicebant Peo: namque et verborum prolatio et vultus compositio et oculorum motus et hilaris modestia personae haec omnium christianorum fuisse animi sensa testabantur; atque multi, corde non continentes quod sentirent, quasi collacrimantes a Deipara Immaculata opem auxiliumque implorabant. Caelum quidem non fuit eo die serenum, quasi vero lugeret tot blasphemias, quae interim ab osoribus christiani nominis ex. condicto in Italia praesertim in sacratissimam religionem, in Summum Pontificem, in oecumenicum Concilium proferebantur aut parabantur.*

Templum itaque Principum Apostolorum in sua portentosa amplitudine iam ante praestitutam horam parvum dixisses ad capiendam populi accurrentis multitudinem. Quid autem gestum fuerit, ex praescriptionibus, quas relaturi sumus, singillatim apparebit; neque omittemus adnotare in Methodo *celebrandi Concilium, quam inferius referimus, si quid maioris momenti contigerit praeter praescriptiones.*

ORDO

EX CAEREMONIALI PRAESERTIM S. R. E. EXCERPTUS CONCILII OECUMENICI CELEBRANDI IN SACROSANCTA BASILICA VATICANA IUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII IX CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPI

« *Die octava Decembris festo Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis mane hora indicenda E.mi et B.mi Domini Cardinales, ac B.mi Domini Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes convenient in aulas designatas, et assumptis sacris vestibus cuique Ordini propriis albi coloris, et mitris, statim accedent ad sacellum paratum supra porticum Basilicae Vaticanae, Summi Pontifici adventum praestolantes.*

« *Solemnis Actio devota supplicatione inchoabitur a commemorato sacello usque ad eandem Basilicam, utroque Clero tam saeculari, quam regulari, stante hinc inde disposito* (1). *Summus Pontifex pluviali indutus, deposita mitra, flexis genibus intonabit, schola Cantorum prosequente, Hymnum :* Veni Creator Spiritus, etc.

« *Absoluto primo versu, Pontifex, ceterique surgent, et ordinantur Supplicatio, praecedentibus more consueto ante Crucem pontificalem familiaribus, Capellanis cantoribus et Praelatis Papae cum superpelliceo supra rocchettum, eo numero, qui erit praescriptus, nec non Thurifer arius. Post Crucem a Subdiacono apostolico delatam medio inter duos Acolythos incedent Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchae (omnes qui sint latini ritus cum mitra simplici ex lino), Cardinales (cum mitris sericodamascenis), Senator cum Conservatoribus' Urbis, vice-Camerarius S. R. E. cum cappa a dextris Principis Solii Pontificii, Summus Pontifex mitra*

(1) Clerus qui intervenire deberet, designatus fuerat per edictum Eminentissimi Card. Vicarii, ita, ut omnia collegia ecclesiastica et regulares communitates suos saltem repraesentantes haberent.

pretiosa ornatus, et sella gestatoria sub baldachino delatus cum flabellis, et solito comitatu, nec non octo ex Capellanis cantoribus suavi concentu hymnum praefatum canentes.

« Sequentur cum cappis Auditor et Thesaurarius R. C. A., Antistes pontificiae domui praepositus, Protonotarii Apostolici e collegio participantium, Generales tam Congregationum, quam Ordinum regularium, et Officiales Concilii.

« Interim cum opus fuerit hymnus repetatur, omisso primo versu et conclusione, quae tantum conetur, cum Summus Pontifex ad altare princeps, ubi Sanctissimum Sacramentum expositum erit, pervenerit, ibique capite detecto, fuerit genuflexus.

« Completo, hymno, Pontifex adhuc genuflexus dicet :

f. Protector noster aspice Deus. - Et respice in faciem Christi tui. - *t.* «Emitte Spiritum tuum, et creabuntur. - 1?. Et renovabis faciem terrae. - *f.* Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto. - $ Et de Sion tuere nos. - *f.* Ora pro nobis, sancta Dei genitrix immaculata Ut digni efficiamur promissionibus Christi. - *f.* Domine, exaudi orationem meam. - Et clamor meus ad te veniat.

Surget

f. Dominus vobiscum. - Et cum spiritu tuo.

OREMUS. Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut intercedente Beata et Gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro, et Paulo, et omnibus Sanctis, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorumv - Amen.

« Pontifex genuflectet, et duo cantores dicent :

y. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. - Et custodiat nos semper. Amen.

« Deinde procedetur ad aulam paratam pro Concilio celebrando, et omnibus Patribus, servato inter eos ordine dignitatis patriarchalis, primatialis, archiepiscopalis, et episcopalis, atque ***habita*** *temporis ratione cuiusque promotionis, in proprio subsellio dispositis, Sanctitas sua faciet confessionem cum E.mo et E.mo D. Cardinali S. Collegii Decano Missam cantaturo de B. Mariae Virginis Conceptione Immaculata, cui addetur oratio de Spiritu sancto.*

« In solemni Sacro obedientia Sanctissimo Patri praestanda, sermone post Evangelium, circulisque omissis omnia more solito peragantur; sed dicta in fine Missae a Cardinali celebrante oratione Placeat, *accedet ad Thronum pontificalem Episcopus orator mitra manu gestans, et osculato genu dexter o summi Pontificis, petet ab eo indulgentiam, ascendet suggestum, et alloquetur Patres.*

(Huic caeremoniarum Ordini placet inserere orationem hic indicatam, quam habuit in amplissimum Patrum consessu Archiepiscopus Iconiensis in partibus infidelium Aloisius Puecher-Passavalli Ord. Min. Cappuccine-rum. Ea est huiuscemodi).

BEATISSIME PATER!

« Electus qui initium facerem rei, qua in toto fortasse terrarum orbe alia nulla aut sanctior aut gravior esse potest, fateor, me statim, tanto officio imparem, ita animum despondisse, ut nihil ad illud declinandum praetermisissem, nisi vox Eius, qui verendo totius maiestatis sacerdotalis fulgore, huic nostro conventui praesidet, me recreasset atque erexisset. Quamquam itaque neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate aut meritis cum iis, qui mei sunt in Episcopatu collegae, sim comparandus, onus nihilo tamen secius suscepi, confisus praesertim illo sancti Spiritus effato : *Vir obediens loquetur victorias.* (Prov. XXI., 28).

« Accedit alia quoque ratio, quae me ad illud capessendum non parum impulit. Nam quum primas vitales auras in ea urbe hausissem, in qua catholica Ecclesia suum postremum Concilium habuit, quod tot tantisque laudibus merito celebratur, ac pene Cunctis miraculum visum est; subiit cogitatio, me divinam illam

Providentiam qua saepe in orbe terrarum ludere iam notum est, ad hoc munus, opera supremi Christi Vicarii, prae aliis omnibus excitasse, ut Vobis, saltem vel ipsa mea tenuitate, in memoriam revocaret saluberrima christiano orbi beneficia per illud tunc temporis a se collata quorum recordatione animi vestri in spem maximam erigi possent, nunc quoque Vobis affuturam suoque arcano consilio cuncta in Ecclesiae bonum disposituram.

« Quibus omnibus ego ipse non minimum relevatus animum sumo, ac officium, quod mihi obedientia, nedum providens Dei consilium imposuit, alacriter aggredior, atque hanc universalis Ecclesiae Synodum auspicor ab illis davidicis verbis: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* (Ps. CXXV, **7** et **8).** His enim quum lacrimabilis hodierna nostra conditio, tum etiam laetus rerum futurarum eventus summis quasi lineis pingi, ac veluti sub oculos portendi ac sisti mihi videntur.

« Neminem vestrum, Venerabiles Patres, posse latere arbitror, verba, quae nuper protuli, peculiari quadam ac sapienti ratione ab ipsa Ecclesia ad Apostolos eorumque divinam missionem fuisse relata. Probe enim nostis, quomodo hi, statim ac Paracleti munere, quod eis pollicitus fuerat Iesus, cumulatissime afflati fuissent» ac veluti saginati, universum orbem praedicatione evangelica aggressi sunt. Nostis, quomodo divino caelestis doctrinae semine ab ipso Verbo locupletati, illud abunde sparserint, quacumque pedes intulissent, super terram iacentes, quae iam inde ab exordio mundi, quando maledicta est in hominis **Opere,** quadraginta saeculorum spatio conversa fuerat, ut Leo Magnus de Roma ipsa testatur, *in silvam frementium bestiarum ac turbulentissimaeprofunditatis oceanum* (Serm. L de SS. Apost. Petro et Paulo).

« Nostis, atque ipsis vestris oculis mihi videre vos videor contemplari, hos inopes piscatores auxiliis omnibus, quibus humana nititur fides, destitutos, qua vastissima maria solos franare, qua terras sive solitudine cinctas, sive montibus inaccessas inermes penetrare, qua regna ac provincias et amplitudine immensas et locorum distantiis exterminatas sine baculo ac pera transeurrere; atque haec omnia, quis tunc hominum eredidisset? ob illud unum, nempe ut gentes partim humanitate barbaras ac moribus

et ritibus efferatas; partim, litteris licet ac scientiis excubias, vitiis nihilominus atque omni turpitudinum genere obrutas, isto opprobrioso ac tyrannice iugo eriperent, ac cruci Domini manciparen!.

« Qua quidem in re nemo non percipit quod labores exantlare debuerint, quas perpeti aerumnas, quas denique iniurias ao persecutiones perferre. Dies me deficeret, si haec omnia vellem vobis evolvere, quin et lingua; innumerabilia sunt enim, ac pene dixerim ineffabilia. *Quid dicam,* aiebat ipse Chrysostomus, cui haec erant diuturna meditatione perspecta atque explorata, *quid dicam, aut quid loquar vestras contemplans afflictiones, nescio. Quot careen es sanctificastis? Quot catenas decor astis? Quot tormenta sustinuistis ? Quot maledicta toter astis? Quomodo Christum portastis? Quomodo praedicatione Ecclesiam laetificastis ?* Vere itaque, vere, inquam, de Apostolis regius Psaltes cecinerat, quod *euntes ibant et flebant mittentes semina sua.*

« Sed videte, Venerabiles Patres, huius Apostolici fletus plane mirum effectum. Is siquidem erat, qualis est in maximis siccitatibus nocturna pluvia, qua placide in aridum solum decidente, germinant herbae, folia virescunt, ac flores langue otia tollunt capita, clausosque aperiunt calices, quibus interim aer **fragrans** tissima undequaque mille odorimi suavitate perfunditur. Namque veritatis semen squallentibus illis agris immissum, postquam hi fuissent Apostolorum lacrimis irrigati, adeo uberrimos tulit fructus, ut, ubi hórrida prius sterilitas occurrebat, admiranda fecunditas suspiceretur; atque unde tribuli tantum spinae exsurgebat, largae inde flavescerent segetes metentium manum exposcentes, qui eas in manipulos colligatas dominicis horreis inferrent.

« Atque hunc procul dubio, Vos scitis, exitum habuere innumeri Apostolorum labores. Fletus enim eorum, messium copia perspecta, in gaudium est conversus, moerorem expulit laetitia, quae tanto maiore consolatione uniuscuiusque animum permulcere profecto debuit, quanto graviore tristitia demersi fuerant, quantoque ampliorem ex ipsis fructibus etiam mercedem sperabant se esse consecuturos, quum illis onusti Domino vineae occurrissent : *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

« Quae quum ita sint, nullatenus dubito, Venerabiles Patres, quin in illa Apostolorum hodiernam vestram conditionem reprae-

sentarim. Vos namque video e remotissimis quoque terrarum partibus ad hunc augustum consessum lubenter quidem açcurrisse, sed fronte simul attrita, demissoque curarum pondere capite, atque animis moerore confectis propter horrendas animarum strages, quas antiquus humani generis adversarius iam edidit, quasque etiam parat maiores in posterum editurus. Vos, inquam, video ad mysticum hoc coenaculum adventasse, ut, viribus consilnsque collatis, uberius inde veritatis ac iustitiae semen nancisceremini. Nec frustra erit expectatio vestra, idque Vobis apertissime ostendit ipsa gravitas rerum, quae in hae Synodo erunt pertractandae.

« Porro longe absit, ut ego velim sapientissimas vestras deliberationes praevertere, si luminosis insistens vestigiis, ab augusto nostro Pontifice libere iam patefactis, affirmare nunc ausim, divitem ex ea, caelestis illius seminis copiam affatim comparandi, facultatem amplissimam Vobis omnibus esse datam. Agetur enim quomodo christiani populi a putridis vitiatisque omni errorum colluvie cisternis abducti, ad limpidas atque inexhaustas Servatoris aquas possint revocari: quomodo benefica Ecclesiae actio sive novas formas induta, sive novis instructa adminiculis vegetior reddi possit, ut secundum eum finem, ad quem instituta est, non antea tentatos calles pervadat, atque alia identidem sibi ora adaperiat, quibus Paracleto' virtus et gratia in singula Christi corporis membra tutius ac* facilius effundi queat: quomodo item vividae fidelium vires in unum adeo arcte sint constringendae, ut insanis atheismi hypocrisis impietatisque ausibus obsistere possint eosque irritos facere, imo etiam confringere ac penitus exterminare: quomodo denique, uno verbo dicam, christianorum spiritus ac vita instauranda sit, ita ut ea ipsa divina luce resplendeat, qua primum in terris visa est, quum Religio haec nostra, pulcherrima ac dilecta Dei filia, aquae et sanguinis sacramento, quod e latere Redemptoris effluxerat, emaculata, a Calvario monte descendit, universo orbe, quem sibi in hereditatem acceperat, potitura.

« Neque aliter profecto arguendum est de maximo hoc nostro conventu. Ecquis enim poterit mente concipere, quae et quanta ex hoc, veluti altero coenaculo, pastoralis charitas emanatura sit? quae et quanta sapientiae vis istinc eruptura, quum non modo uniuscuiusvis animi sens a, sed et ipsius cordis af-

fectus in communem usum conferentes gravissimas illas totius humanitatis necessitates diligentissime agitabitis atque acriter perpendetis ?

« Vos certe his omnibus absolutis, atque ingenti doctrinae ac virtutum thesauro cumulati in vestram unusquisque dioecesim proficiscemini. Vos iterum Europae regna, iterum extrema Asiae atque insulae oceani, iterum Africae atque Americae regiones excipient, omnesque sancti Spiritus igne flagrantes, Vos solertes continuo agricolas visent, solum hucusque incultum proscindere, agros serere, vineas potare, ut aut novos edant, aut uberiores referant fructus.

« Ast hinc labor, Venerabiles Patres, hinc amarissimi dies, innumerique dolores, hinc et in Vos incipient impleri verba illa Davidica : *Euntes ibant et flebant mittentes sémina sua.* Nam tum demum, quum operi manus Vobis erit admovenda, palam apparebit, cum quibus quantisque adversariis opus fuerit dimicare. Hinc philosophi ac politici, ut aiunt, viri, hinc principes ac reges ipsique populi in unum coniurabunt, ut vestrae pietatis studia, vestraeque industriae beneficia in irritum cadant; tum parte alia male feriati homines modo apertum atheismum profitentes, modo foedissima hypocrisi circumamicti, inita societate, omnem movebunt lapidem, ut catholicam ipsam religionem, si fieri possit, e fundamentis evertant. Eheu! quale inde bellum, quam ferum quamque diuturnum ! Eheu ! quales hostes, quam pertinaces quamque implacabiles! His insuper addite, quae plaga est omnium fortasse maxima, plurimorum indifferentiam, qua Ecclesiam Christi premente, culta quaeque ac pinguia brevi tempore sterilescant necesse est, inque horridam solitudinem veniant, ubi squallor tantum ac mors latissime dominantur.

« Atque inter hos fluctus, dicam aperte, inter has syrtes dolosas, Vobis incedendum est, Venerabiles Patres ; inter has procelias, quae cuncia in praeceps minantur, Vobis, tamquam immotis scopulis, versandum est: huc vestra est navis dirigenda, huc remi impellendi, huc demum omni animorum contentione incumbendum, ut incolumis sarta tecta servetur, ac patri familias, a quo Vobis est credita, cum usura reddatur.

« Nec mirum ita se haberi rem vestram, quum ipsi Vos, Venerabiles Patres, testes eius sitis, et non aliorum tantum exemplo, verum etiam, saltem ex parte aliqua, ipsa vestra expe-

rientia probe sciatis, utrum possit hoc tantum facinus, non dieam ad perfectum adduci, sed neque inchoari, quin in vastum poenarum atque aegritudinum pelagus incurrendum sit. Namque revera opus esset aut numquam didicisse, quid Missio Christi significet, et in quo se gerat sublime Episcoporum mandatum; aut, quod omnino probrosum esset, penitus ignorare quot quantisque malis humanum genus obruatur, ut quis nequeat, in perfungendo hoc munere, vel primo obtutu, perspicere, quibus periculis, quibusque contradictionibus obnoxius esse debeat, aut quomodo felix exitus sperari non possit, nisi animo ita sit comparatus, qualis erat Doctor gentium, qui de se palam profitebatur : *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia* (Coloss. I, 24).

« Sed facite, Patres amplissimi, animo forti magnoque sitis ! Si enim Dei prorsus arcanum est consilium, ut mysticum evangelicae doctrinae semen nequeat germinare vel crescere, aut frondium pulcritudine, florumque laetitia vigere, nisi ea conditione, ut virorum apostolicorum fletu et sanguine assidue madescat atque irrigetur, ipsius Dei est etiam voluntas, ut eas lacrimas, quae iustitiae ac veritatis ergo effunduntur, piae ac sanctae consolationes e caelo ubertim repensent, quum scriptum sit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur !* (Matth. V, 5). Nam si de Christi discipulis, deque ceteris Evangelii praeconibus dictum est, quod *euntes ibant et flebant mittentes semina sua,* aeque de iisdem prolatum est, quod *venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et si haec altera propheticorum verborum pars, iam ab initio Ecelesiae, ut vidimus, effectum suum plenissime est sortita, adeo ut scribere potuerit Apostolus: *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (II. Cor. I, 5), eundem effectum et Vobis propositum esse patet, dummodo eodem ac vestrorum praedecessorum spiritu moti sacris eorum vestigiis intrepide inhaereatis, *scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationum* (ibid. v. 7).

« Et quod reapse amplissimam ex nostris laboribus mercedem iam in hac vita simus consecuturi, atque ingens praeterea nos maneat in caelis praemium a Deo, vel ex ipso quod nunc nobis offertur pignore clarissime evincitur; scilicet ex modo vere mirando, quo cogi potuit solemne hoc totius christianitatis Patrum

Concilium. Quis enim non videt, Deum hoc facto tam felicibus auspiciis inter omnígenas difficultates incepto, voluisse certissimum nobis indicium praebere eorum, quae in posterum speranda concipimus, modo nos ipsi veritatis ac iustitiae flumini, quod e rupe Vaticana mox processurum est, impedimento non simus? Atque hinc mihi liceat, quaeso, sublimes Patris ac filiorum dolores non sine pietatis sensu Vobis commemorare. Nos siquidem ad sacram Vaticani umbram quasi perfugio recepti mirabamur immensas, quas Satanas late ac rapidissime ruinas circa nos congerebat : mirabamur turbolentissimos impietatis fluctus quotidie magis increscere, atque huic ipsi pacis asylo minari; trepidi proinde omnes gementesque et pallore confecti arbitrabamur, nos quoque confractis templi ruderibus assidentes spiritum iam iam exhalaturos esse ea lamentabili Amatoris fratrum voce: *Quomodo sedet sola civitas plena populo; facta est quasi vidua domina gentium ; princeps provinciarum facta est sub tributo* (Tren.). Quum ecce radius purissimae lucis densas findit tenebras, ac spem nostram pene arescentem iterum sublevat. Namque in mente supremi nostri Hierarchae, qui navis temperat gubernaculum oritur cogitatio novi Israel seniores fideique coniudices apud se convocandi, ut sancto Dei tabernaculo usque in intimis suis adytis ac recessibus ab innumerabilibus ac formidatissimis hostibus lacessito, communi omnium consensu quam primum provideatur.

« Erat haec ab initio veluti nebula, quae mane paret, atque extemplo quasi fulgur caelorum spatia pertransiens, cito evanescit. Verum Spiritus ille Paraclitus, qui a Patre Filioque procedit, atque in aeternum augustam hanc Cathedram suo praesidio tutatur, eam illico vivifica ac septiformi sua luce fecundat : et, mirabile dictu! ea cogitatio similis grano sinapis, *quod* testante Evangelio, *minimum quidem est omnibus seminibus, quum autem creverit maius est omnibus oleribus, et fit arbor; ita ut volucres caeli veniant, et habitent in ramis eius* (Matth. XIII, 32); ea cogitatio, inquam, vi efficacissima Paracleti statim erumpit, crescit ac citius dicto **fit** gigas. Et ecce nos iam in unum ex universis terrae regionibus in hac immensa Basilica, christiani ingenii miraculo, congregati; ecce nos ad sepulchrum Principis Apostolorum, unde adhuc perennis episcopalium virtutum aura **Spirat** ac viget; ecce nos ad Leonis, utriusque Gregorii et Chry-

sostomi tumulos, e quibus post tot saeculorum diuturnitatem diceres adhuc recens eloquentiae flumen prorumpere catholicae Ecclesiae agrum iterum irrigaturum. Quod vero magis ac magis solacio esse debet animosque percellere, ecce nos penes ipsam Petri personam, qui in suis legitimis Successoribus praesens adhuc ac vivus eodem, quo olim, amoris impetu eademque fide intonare videtur: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* unde e caelo pariter, ubi ad Patris dexteram sedet, illud sublime Redemptoris responsum denuo exauditor: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

« Quae omnia, Venerabiles Patres, in memoriam Iubet revocasse, ut fiducia nostra, his quasi f o mentis vegetata, maiorem in modum efflorescat, ac maiore animi nostri alacritate incendatur ad opus hoc perficiendum, nempe hanc Synodum, in quam iam non dicam populorum oculi, sed spes universi orbis sunt conversae. Quae si Vobis ex una parte multas ac graves iustitiae causa, pariet afflictiones, Vosque in summas aliquando rediget angustias; ex alia quoque parte suavissimum Vobis omnium consolationum fontem aperiet, ac laetissimis etiam triumphis viam sternet parabitque.

« Vestrum quidem est in praesens cum dolore ac fletu operi incumbere ; sed tempus postmodum veniet, testem habemus ipsum Dei Filium, quo nostros occupabit laetitia moerores; scriptum est enim: *Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (Iob. XVI, 20).

« Neque expectatio haec, equidem credo, Vos fallet, si mentis aciem in propositum huiusce oecumenici Concilii finem, qui in divina gloria atque aeterna animarum salute totus consistit, iugiter intendamus; si illud potissimum satagemus, ut hoc ipsum ex tot, quae Venerandi ac Magnanimi Pii frontem exornant* gemma omnium splendidissima evadat; si denique Ecclesiae fasti posterorum memoriae poterunt aliquando aureis litteris commendare, animorum pacem, cogitationum concordiam, coeptorum temperantiam, discussionum dignitatem, iudicii aequitatem atque deliberationum omnium sapientiam, Venerabilium Patrum corda ac mentes usque adeo rexisse, ut quae nobis retro ianuae clauduntur, quum iterum reserentur orbi universo renuntiaturae;

Visum est Spiritui sancta 0t Meis (Aet XV, 2$), terra ipsa ⊰£~ mum creatoris Spiritus impulsum praesentati, HĴÎĴLÔ se pienissime renovatam agnoscat, secundum illud; ***Epfiiies spiritum tuum et creabuntur, et renovabis fmwm terrae*** {Ps, ***QiJl,*** 30),

« Quae quidem, adprejeante praesertim Beata ac Ç^oripsa semper Virgine M&ria, cujas hodie immaculata^ Conceptionis mysterium, .summa totius mundi exultatione celebratur, co#e#$ßr§ dignetur omnibus nobis aeternus Dei Filius, Dominus aç Redemptor noster Christus ***Imus,*** qui cum Patre st Spiritu sancto vivit et regnat in perpetuas aeternitates, Amen.

« Absoluta oratione, puHimbit Indulgentiam. DmnM Sanctitas sua, deposita mara, coram Cruce surget, et dicet:

y. Sit nomen Domini benedictum. - Ex hoc nunc et usque in saeculum.

y. Adiutorum nostrum in nomine Domini. - Qui fecit caelum et terram.

y. Benedicat vos omnipotens Deus, Pa^ter, et Fi^lins, et Spiritus ^sanctus. - Amen.

« E.mus et R.mus D. Cardinalis celebrans cum suis ministris discedet recitane Evangelium S. Ioannis, et interim summus Pontifex sedebit, et ei imponetur mitra. Deinde accedet ad Pontificem Subdiaconus apostolicus paratus tunica albi coloris deferens caligas, et sandalia, quae ipsi Pontifici more solito imponentur dum dicet psalmum: Quam dilecta etc..

« Postea recedet Subdiacouus, et accedet E.mus ac R.mus D. Cardinalis Diaconus amictu, alba stola, et dalmatica indutus, quia est Evangelium cantaturus, nec non Acolythi unus post alium ***de-****ferentes singuli sacra indumenta ac si Papa esset Missam solemni pontificali ritu celebraturus. Cum autem Pontifex, deposita mitra* ***et*** *pluviali, pontificales vestes, Cardinali Diacono ministrante, assumpserit, omnes qui sacris paramentis sunt induti, mitram manibus gestantes summo Pontifici obedientiam praestabunt; Cardinales manum, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi genu dexterum, Abbates pedem osculantes.*

« Hac actione finita, Cardinalis Diaconus a dextris Pontifici assistens surget, et alta voce dicet Orate, *et mox tam Pontifex guper faldistorium sibi paratum, quam alii sine mitra in proprio loco genuflexi orabunt, versi ad Altare. Surgens deinde Pontifex*

solus, ceteris genibus innixis permanentibus, dicet hanc orationem in tono competenti, videlicet:

« Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter adgregati. Veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut, te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus, et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem ; non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personae corrumpat; sed iunge nos efficaciter tibi solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

« *Omnes respondent* Amen.

« *Postea Cardinalis Diaconus a sinistris surgens versus ad Patres dicet:* Erigite vos: *omnes surgent, et Cantores cantabunt antiphonam :*

« Exaudi nos Domine quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

« *Iterum Diaconus a dextris conversus ad Patres dicet :* Orate : *et similiter omnes procumbent, et aliquantulum orabunt secreto, donec Diaconus a sinistris dicat:* Erigete vos: *et omnes surgent. Pontifex vero, omnibus stantibus, et detecto capite, orationem dicet absolute.*

« Mentes nostras quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

« *Qua finita, rursum omnes genufiectent, et duo Cantores incipient* Litanias, *omnibus respondentibus.*

Kyrie eleison etc. *(subsequuntur scilicet Litaniae maiores, quibus pervenientibus ad stropham.* Ut Domnum Apostolicum, *eaque completa, ita hic Ordo prosequitur).*

« *Surgens Pontifex eum mitra, et manu sinistra tenens Crucem loco baculi pastorali benedicet Synodo dicens:*

« Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos bene >£ dicere digneris, te rog.

« Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos bene dicere et rege^re digneris te rog.

« Ut hanc sanctam Synodum et omnes gradus ecclesiasticos bene *ïfr* dicere, rege re, et conser ^ vare digneris, te rog.

« *Procumbente iterum Pontifice Litaniae absolventur.*

« Ut inimicos etc. *(usque ad ultimum* Kyrie eleison).

« *Deinde surgent omnes, et Pontifex ad Altare dicet:*

« OREMUS. *Diaconus a dextris dicet :* Flectamus genua, *et Diaconus a sinistris:* Levate.

« Da quaesumus, ecclesiae tuae, misericors Deus: ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur: Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. - Amen.

« *Tum sument manipulum Subdiaconus apostolicus, et Cardinalis Diaconus, qui Evangelium rei de qua agitur competens cantabit. Ipse osculabitur manum Pontificis, qui mox ponet incensum, ministrante naviculam Cardinali Presbytero induto cum pluviali. Interim Diaconus accepto ex Altari libro una cum Subdiacono, luminaribus et caeremoniis consuetis, petet a Pontifice benedictionem, et cantabit Evangelium: quo finito, Pontifex oscula bitur librum et incensabitur more solito.*

« *Deinde cum mitris omnes sedebunt, ei Pontifex congruis verbis hortabitur Patres ad opportuna facienda Decreta et postea surgens sine mitra, et procumbens super faldistorium intonabit hymnum:* Veni creator Spiritus, *omnibus eo tempore nudo capite genua fiectentibus, quousque primus versus perficiatur. Deinde omnes surgent stantes sine mitra, et Cantores prosequentur hymnum. In fine Pontifex surget dicens:*

v. Emitte Spiritum tuum et creabuntur. - **1?.** Et renovabis faciem terrae.

OREMUS: Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Chr-i

stum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. - Amen.

Duo cantores dicent:

y. Benedicamus Domino. - Deo gratias.

« *Caeremoniarum Praefectus alta voce dicet:* Exeant omnes locum non habentes in Concilio. *Tunc iussu SS.mi Patris e suggestu alta voce recitabuntur Decreta, et dein rogabuntur Patres an ea placeant ; ac statim procedent scrutatores ad suffragia excipienda quae pronunciare debebunt a Patribus per verba* PLACENT *vel* NON PLACENT, *ita tamen ut Em.i ac R.mi Cardinales, nec non R.mi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, servato inier eos ordine dignitatis et cuiusque promotionis, suffragium proferant sedentes cum mitris; Abbates vero, et Generales Congregationum et Ordinum regularium stantes, capite detecto, et praemissa summo Pontifici génuflexions. Scrutatores autem collectis suffragiis, penes Solium pontificium iis accurate dirimendis ac enumerandis operam dabunt, ac de ipsis ad summum Pontificem referent, qui supremam suam sententiam edicet, eamque promulgare mandabit, hac adhibita solemni formula :* « Decreta modo lecta placuerunt omnibus Patribus nemine dissentiente *(vel si qui forte dissenserint),* tot numero exceptis, Nosque sacro approbante Concilio illa ita decernimus, statuimus atque sancimus, ut lecta sunt ».

« *Hisce autem omnibus expletis, erit Promotorum Concilii rogare Protonotarios apostolicos praesentes, ut de omnibus et singulis in Sessione peractis unum vel plur,a, instrumentum vel instrumenta conficiantur, adhibitis testibus rogatis.*

« *Denique, die alterius Sessionis de mandato summi Pontificis indicata, ipse Pontifex intonabit sine mitra hymnum:* Te Deum laudamus.

« *Quem Cantores alternatim cum Clero prosequentur. Hymno finito, Pontifex adhuc stans dicet:*

y. Dominus vobiscum. - *y.* Et cum spiritu tuo.

OREMUS. Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. - Amen.

« Deinde Pontifex, adiuvante Cardinali Diacono qui Evangelium cantavit, exuet sacra paramenta, quae super altare deponantur, atque assumet mozzettam cum stola; et facta brevi oratione super faldistorium, surget, benedicet Synodo, et discedet.

« Mox omnes Patres in locis paratis deponent sacras vestes, et similiter discedent.

« In ceteris subsequentibus Sesêionibus haec omnia **serventur** *praeter ea, quae adnotantur.*

« 1. *Non habebitur Supplicatio, et ideo omnes Cardinales* **et** *Patres hora pro qualibet vice indicenda se conferent ad Basilicam S. Petri, ubi unusquisque adorato SS.mo Sacramento in loco designato, ita Summo Pontifice disponente, assumet sacra paramenta coloris rubri, nisi aliter notetur et conveniet in aulam Concilii, et facta fietis genibus brevi oratione ante Crucem, petet proprium subsellium.*

« % Missa celebrabitur lecta sine cantu de Spiritu sancto, iuxta tamen rubricas: neque erit oratio ad Patres, neque obedientia praestabitur summo Pontifici ».

ALOISIUS FERRARI *Proton. Apostolic. Càerem. Praefectus,*

METHODUS

SERVANDA IN PRIMA SESSIONE SACRI CONCILII OECUMENICI QUOD IN PATRIARCHALI BASILICA S. PETRI IN VATICANO CELEBRABITUR.

« 1. Clerus universus Urbis per scalam regiam, porticum et Basilicam ordine statuto disponetur.

1. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres ad Palatum Vaticanum accedent per scalam sitam in atrio maximo eiusdem Palatii, quae ducit ad Bibliothecam et Museum.

'1 In aulis designatis quisque vestes sacras sibi proprias induet. Eminentissimi Cardinales sacra paramenta assument in altera aula paramentorum, scilicet in ea qua solet aliquando Summus Pontifex sacris vestibus indui. Reverendissimi Patriarchae in aula anteriore sacra item paramenta assument, et in hac ipsa aula Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae et Abbreviatores superpelliceo se vestient. Reverendissimi Primates,

Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluviale induent in ambulacro Iuliano, quod Museo Vaticano adhaeret prope aulas supra enunciatas.

4. Capellani supra porticum Basilicae *statim,* Eminentissimi Cardinales cum Caudatario tantum, Reverendissimi Patres nemine comitante ingredientur, et facta brevi oratione, locum ab assignatoribus designatum occupabunt.

5. Praelati et alii Officiales, vestibus respective sibi debitis induti, nemine pariter comitante, capellani praefatam ingredientur et in locis assignatis consistent.

6. Duo Eminentissimi Cardinales Diaconi seniores, Eminentissimus Cardinalis Prior Presbyterorum,, duo Protonotarii de numero partfcipantium, et Votantes Signaturae pro paramentis Papae deferendis, in sacellum Paulinum convenient, quod pro sacrario inserviet.

7. Subdiaconus apostolicus pro Cruce Papali deferenda, et alii duo Signaturae Votantes pro candelabris aderunt in praedicto sacello Paulino. Aderunt quoque duo Reverendissimi Episcopi pro libro et candela.

8. Summus Pontifex ad praefatum sacellum Paulinum accedet, sacris vestibus ornabitar, nempe amictu, alba, cingulo et stola, et incensum in thuribulo ponet, ministrante naviculam Cardinali Presbytero assistente. Tum induet pluviale, formale et mitram pretiosam.

9. Summus Pontifex capellani supra porticum Basilicae ingredietur, et transeundo benedicet Patribus.

10. Ante faldistorium mitram deponet, genua flectet et parumper orabit. Tum adhuc genuflexus, ex libro a Cardinali Presbytero assistente sibi oblato, praecinet hymnum *Veni Creator Spiritus,* quem Cantores prosequentur, omnibus interim genua flectentibus.

U. Post primum versum, omnes surgent, et Summus Pontifex, resumpta mitra, sedebit in sede gestatoria.

12. Ordinabitur processio.

Camerari extra num. duo.

Capellani secreti de numero participantium num. duo.

Advocati consistoriales, Promotores Concilii, num. duo.

Cubicularii honoris ecclesiastici num. duo.

Cubicularii secreti ecclesiastici num. duo.

Cantores omnes.

Abbreviatores de parco maiori, Scrutatores suffragiorum, num. duo.

Votantes Signaturae omnes, inter quos duo Scrutatores suffragiorum.

Clerici Camerae Apostolicae, Scrutatores suffragiorum, n. duo.

Auditores Rotae, Scrutatores suffragiorum, num. duo.

Magister sacri Hospitii.

Capellanus cum regno usuali Summi Pontificis.

Capellanus secretus cum mitra simplici usuali Summi Pontificis.

Thuriferarius Signaturae Vota ns cum thuribulo.

Subdiaconus Apostolicus sacris vestibus indutus deferens Crucem Papalem inter duos acolythos Signaturae Votantes cum candelabris.

Abbates generales parati.

Abbates nullius dioecesis parati.

Episcopi Archiepiscopi. Primates. Patriarchae parati.	**Parati; iuxta ordinem suae promotionis incedentes.**
Cardinales	Diaconi Presbyteri Episcopi.

Reverendissimi Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae unum sacerdotem, seu capellanum veste talari indutum, itemque Eminentissimi Cardinales unum sacerdotem, ac insuper caudatarium in processione habebunt. Eminentissimus Cardinalis Prior Presbyterorum pluviale indutus incedet in processione ultimo loco inter Cardinales Presbyteros. Prope ianuam capellae quisque mitram sibi imponet.

Senator et Conservatores Urbis et alii Duces de custodia Pontificis nuncupati.

Vicecamerarius cappa indutus a dextris Principis solii Custodis Concilii.

Duo Protonotarii de numero participantium Notarii Concilii pro veste Papae.

Cardinalis Diaconus Evangelium in actione synodali cantaturus medius inter duos Cardinales Diaconos assistentes.

Duo Caeremoniarum Magistri assistentes Papae,

Stiffirfiiig Pontifex ***máe*** áelattíg **sub** fealdáechinoj ***mim*** hastae deferentur a Signaturae Referendariis.

Dtiö Cubicularii secreti sttprâtnumerarli deferentes flabella.

Decanus Rotae minister de mitra inter duos secretos Cubicularios e<sclegiasiicös" *dg uim&fo* participantium,

Servientes armorum, ***t&aa&erìi*** nuncupati, â lateribus Summi Pontificis incedentes.

Cantores Octo praedictum hymnum coneinentes,

Auditor et Thesaurarius Camerae Apostolicae eram* Praesule domui pontificiae praeposito cum cappis.

Reliqui **quatuor** Protonotarii *âè* nomerà participantium, inter **quos** Sübs^c^eUriris **Concilii** tina eum Praefecto cubiculi cum **cappio**

Generales et Vicarii generales Congregationum regularium.

Generales et Vicarii generales ordinum seu Congregationum monasticarum mitrae usum hon habentium.

Generales et Vicarii generales ordinum mendicantium.

Omnes cum habitu **sui** instituti, et qui Clerici regulares sunt, biretum prae manibus tantum gustabunt.

Officiales Concilii, nempe duo Adiutore® Secretario et duo Adiutores Notariis, qui si inter Summi Pontificis cubicularios erunt adscripti, vesterh vìolaceam'cum simili veste superiori assument. Si vero Clero tantum saeculari erunt addicti, vestem talarem induent,

Ultimo loco post Officiales incedent Stenographi, veste talari induti **(1).**

(1) Stehögraphi, de quibus in litteris Apostolicis *Multiplices* mentio non fit, sunt quidam delecti iuvenes ex nonnullis Seminariis Collegiisque ecclesiasticis", QUAE ßörfiaer extant, QUIQUE paucis abhinc mensibus, sub magistro VIRGINIO Marchése, presbytero Tauri* nensi, operam dederunt, ut usum acquireret quam celerrime scribendi per conventa cohtractaque signa quidquid a quovis latine loquente, dum loquatur, audiant. HI munere fuiígtititür' ih CONcilio ea ratione scribendi dicta sermiiohesquè Patrum;, atque hunc servant ordinem: duo Stenographi sunt semsemper in aula Concilii quando his opus' est, ibique scribentes pèrtnanèrit £er sex eam horae partem, atque inde ex aula, aliis duobus SubintrantàìriiS:, recedunt, et quae stenografie sripserint, in consuetas litteras convertunt. Neque hi duo eadem simul scribunt (ñ'ís'í forte Orator lente LOQUATUR), sed dimidiam fere linearti quisque scribit, alter alteri átíggeretíS Verbum quo incipit, quod est illud quo alter desinit.

13, **Quisque** Basilicata **ingressas** statim caput deleget, et ciiïèe prope altare papale pervenerit, facta utroque genu reverentia **Sä.** Sacramento super eodem altari papali exposito, aulam ingredietur* et facta Cruci altaris inclinatione, locum sibi convenientem ab asslgnatoribtis indictum occupabit: et omnes stantes ac detecto capite Summi Pontificis adventum praestolabuntur.

14 Capellani vero Reverendissimorum Patrum, facta cum ipsis getötttlexiöße, immediate pergent ad sacellum **Ss.** Simonis et Iudae.

Hi iuvenes eorumque magister, ut ceteri Officiales, iurarunt, se secretum servaturos: iuiaibêrittimquè praestiterint non in conventu prosynodali, sed eodem dies coram antistite Secretario. Horum autem nomina sunt quae sequuntur.

EX SEMINARIO ROMANO pTesbyteri **Antonius Cani ex Castro Bononiensi, Çaù!«s Leva Romanus et Iulius Tonti Romanus.**

Ex SEMINARIO PIO **presbyteri Petrus Capponi Asculaiius, Alexander Orsini Tuders et Alex. Volpini ex Phiscone Mcmte.**

Ex ALMO COLLEGIO CAPKANICENS-I **clerici Carolus Zei Florentinus et Ioannes Zonghi Fabrianensis. Quoniam almum Collegium contigit nominari, quod anno 1458 fundavit Cardinalis" Cápíattíca, quodque omnium est longe antiquissimum, placet heic commemorare gloriosum eiusdem Alumnorum factum, quod in vetustis Collegii regestis indicatur. Quum an. 15^7 copiae Imperatoris Caroli V. Urbem funestissime addrirerilur sub duce de Bourbon, rector et alumni Capranicenses, ut repentinum aggressorem impetum réprimèrent, ad moenia Urbis prope Vaticanum decertarent, omnesque occubuerit: inter illud Certamen Pontifex Clemens VII ex aedibus Vaticanis confugere potuit in Castrum S. Angeli.**

Ex SEMÍNARIO GALLÍCO **presbyteri Henricus Bougouin ex Lamote St. Heray in dioecesi Pictaviensi, Gustavus De Dartein Strasburgensis, Leo Dehon ex la Capelle in dioecesi Suessionensi, Iosephus Dugas Lugdunensis.**

Ex COLLEGIO GERMANÍCO^HÜNGAKICO **presbyteri Dionysius Delama ex Spormaggiore in dioecesi Tridentina, PaulusGierich ex Rybnik in dioecesi Vratisiaviensi, Dominicus Hengesch e*x Düddingen in Vicaiiatu Apostolico Luxemburgensi, Ioannes Bapt. Huber ex Traunstein in dioecesi Monacensi in Bavaria.**

Ex COLLEGIO ANGLICO **subdiaconus Samuel Allen ex Stockport (Shrewsbüry), et clericus Iacobus Guiron Londinensis.**

Ex COLLEGIO HIBERNENSI **diaconus Patritius Tynan ex Castle Dermot in dioecesi* Dublihensi, clericus Michael Higginsex Midleton in dioecesi Cloynensi.**

Ex COLLEGIO SCOTICO **presbyter Aeneas Mae Farlane ex Lochaber in Vicariatu Apostolico Scotiae occidentalis.**

Ex COLLEGIO AMERICANO SEPTENTRIONALI **presbyter Teodorus Metcalf Bostoniensis, clericus Petrus Geyer ex Dayton iri dioecesi Cincinnatensi.**

15. Interim Eminentissimus Cardinalis Decanus celebraturus Missam et reliqui Ministri, nempe Presbyter assistens,. Diaconus et Subdiaconus comitante Caeremoniarum Magistro, quinque acolythi ceroferarii et tres Clerici Capellae^ad altare intra aulam accedent et Summi Pontificis adventum exspectabunt.

16. Eminentissimi Cardinales scamna ante altare papale parata occupabunt.

17. Duo Episcopi pro libro et candela prope faldistorium ante altare praedictum.

18. Summus Pontifex in ingressu Basilicae e sede descendet, mitram deponet, accedet ad altare papale et super faldistorium procumbet.

19. Cantores postremum hymni versum concinent.

20. Interim Generales et Vicarii generales supradicti, facta genuflexione ut supra, per ianuam lateralem prope sacellum Gregorianum B. M. V. aulam ingredientur et petent loca assignata.

21. Post cantum ultimi versus Summus Pontifex recitabit versiculos et orationes.

22. Completis orationibus, Eminentissimi Cardinales, repetita genuflexione **Ut** supra, aulam ingredientur cum Caudatario tantum, et facta ante altare reverentia Cruci ad propria subsellia pergent.

23. Summus Pontifex, repetita genuflexione et resumpta mitra, aulam ingredietur, benedicet Patribus, et deposita mitra, orabit ante altare.

24. Surget, et cum Cardinali Decano celebraturo Missam incipiet, quae ritu consueto celebrabitur.

25. In Missa non exhibebitur obedientia, non fiet sermo post Evangelium, neque Eminentissimi Cardinales ad circulum descendent.

26. Expleta Missa et recitata oratione *Placeat, etc.* Cardinalis celebrans ad faldistorium revertetur.

27. Clerici Capellae super altare locabunt thronum pro reponendo codice S. Evangelii.

28. Episcopus Concilii secretarius de loco suo descendet, et facta Summo Pontifici reverentia, ad credentiam accedet. Tum omnibus surgentibus, idem Episcopus secretarius nemini reverentiam faciens detecto capite deferet ad altare codicem S. Evangelii, et super paratum thronum locabit.

29. Locato super altare codice S. Evangelii, Episcopus secretarius locum suum petet.

30. Episcopus concionator pluviali indutus et mitram manibus gestans ad solium accedet, et facta prius profunda reverentia ante gradus solii eiusdem, ad Summum Pontificem accedet, cui inclinatus osculabitur Eius genu dexterum, et indulgentias postulabit.

31. Dum Episcopus concionator ad solium accedet, per Subsacristam super altare paramenta pro Summo Pontifice prius disposita ordinabuntur.

32. Habebitur sermo per Episcopum muratum.

33. Completo sermone, Subdiaconus Apostolicus Crucem papalem ante gradus solii deferet.

34. Summus Pontifex, deposita mitra, surget et benedictionem dabit *Sit nomen Domini etc.*

35. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres detecto capite stabunt ad benedictionem, Abbates et reliqui omnes genua flecte nt.

36. Episcopus, qui sermonem habuit, indulgentiam publicabit, tum descendet de ambone, et locum sibi assignatum occupabit.

37. Cardinalis celebrans surget, accedet ad Altare, signabit librum et seipsum, ac recitans Evangelium S. ioannis revertetur cum suis ministris ad sacrarium, sacras vestes deponet, et pluviali indutus ad aulam redibit inter alios Eminentissimos Cardinales.

38. Duo Episcopi cum libro et candela accedent ad Summum Pontificem, qui psalmum *Quam dilecta, etc.* recitabit.

39. Subdiaconus Apostolicus deferet sandalia et caligas ad solium, comitatus a duobus Signaturae Votantibus.

40. Summus Pontifex caligas et sandalia induet.

41. Sacrista ad altare pro diribendis sacris vestibus Papae.

42. Votantes ad altare pro deferendis sacris vestibus praedictis.

43. Cardinalis Diaconus cantaturus Evangelium ad solium.

44. Cardinalis prior Presbyterorum pluviali indutus solium conscendet et annulum Summo Pontifici detrahet.

45. Votantes paramenta deferent ad solium.

46. Cardinalis Diaconus praedictus, detractis prius mitra, formali, pluviali, stola et cingulo, induet Summum Pontificem omnibus missalibus paramentis, videlicet subcinctorio, Cruce pe-

etorali, fanone, stola, tunicella, dalmatica, chirotheeis et planeta, adiuvantibus quoque Cardinalibus Diaconis assistentibus.

47. Subdiaconus Apostolicus ad altare pro S. Pallio, quod deferet ad solium. Comitabitur ab altero ex Signaturae Votantibus eum spinulis.

48. Cardinalis Diaconus praefatus sacrum Pallium imponet Summo Pontifici.

49. Idem Cardinalis mitram reponet Summo Pontifici^ et ad suum locum redibit.

50. Cardinalis Presbyter assistens annulum imponet Summo Pontifici, et ad subsellium suum revertetur.

51. Präestabitur obedientia ab Eminentissimis Cardinalibus, qui manum Summi Pontificis osculabuntur, a Reverendissimis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, qui facta prius profunda inclinatione ante gradus solii, genu dexterum Summi Pontificis stantes osculabuntur; Abbates vero, praemissa genuflexione, antequam solium conscendant, genuflexi pedem dexterum Summi Pontificis osculabuntur.

52. Episcopus secretarius, praestita obedientia, locum sibi inter Officiales assignatum occupabit.

53. Completa obedientia, a Clericis Câpellae parabitur faldistorium in plano solii.

54. Cardinalis primus Diaconus assistens alta voce dicet: *Orate.*

55. Summus Pontifex, deposita mitra, procumbet super faldistorium, reliqui omnes in propriis locis genua flectent.

56. Interim praesto erant duo Episcopi cum libro et candela.

57. Post breve temporis spatium surget tantum Summus Pontifex, et leget in tono feriali alta voce orationem *Adsumus, Domine, etc.* in cuius fine omnes respondebunt *Amen.*

58. Cardinalis secundus Diaconus assistens primus omnium surget et dicet alta voce: *Erigite vos.*

59. Omnes surgent et stabunt.

60. Cantores cantabunt antiphonam *Exaudi nos, Domine, etc.*

61. Cardinalis primus Diaconus iterum dicet alta voce: *Orate.*

62. Omnes iterum genua flectent et aliquantulum orabunt.

63. Cardinalis secundus Diaconus omnium primus assurget et dicet alta voce: *Erigite vos.*

64. Omnes surgent et stabunt, ut prius.

65. Summus Pontifex canet in tono feriali orationem *Mentes nostras, etc.*

66. Completa oratione, omnes iterum procumfoent sine mitra, excepto Summo Pontifice, qui mitra simplici utetur.

67. Duo cantores genuflexi in presbyterio litanias cantabunt.

68. Summus Pontifex, uti notatum est, surget solus, et manu sinistra tenens Crucem loco baculi pastoralis ter benedicet Synodo dicens: *Ut hanc sanctam Synodum, etc.*

69. Perficientur Litaniae.

70. Surgent omnes et stabunt.

71. Summus Pontifex dicet: *Oremus.*

72. Cardinalis primus Diaconus *Flectamus genua,* et omnes genuflectent praeter Summum Pontificem.

73. Cardinalis secundus Diaconus dicet *Levate,* et omnes surgent.

74. Summus Pontifex recitabit in tono feriali orationem *J)a quaesumus,* qua completa, resumet mitram, ad sedem redibit, et in ea sedebit.

75. Cardinales et Patres sedebunt, et mitra se operient.

76. Cardinalis Diaconus Evangelium caniaturus et Subdiaconus apostolicus accedent ad credentiam et manipulum assument.

77. Idem Cardinalis Diaconus accipiet librum Evangeliorum, quem ritu consueto deferet et ponet super altare.

78. Accedet ad solium et osculabitur manum Summi Pontificis.

79. Acolythi Signaturae Votantes cum candelabris et Subdiaconus apostolicus ante altare.

80. Cardinalis Presbyter assistens ad solium redibit.

81. Papa ministrante eodem Cardinali Presbytero ponet incensum in thuribulum cum benedictione.

82. Cardinalis Diaconus ante altare genuflexus recitabit orationem *Munda cor meum, etc.* et accepto libro de altari, se adiunget Subdiacono et Acolythis.

83. Cardinalis Diaconus, Subdiaconus apostolicus, Acolythi et Thuriferarius ad solium pro benedictione.

84. Accepta, ut supra, benedictione cantabitur Evangelium.

85. Ad cantum Evangelii omnes surgent capite detecto, deposito etiam pileolo.

86. Cantato Evangelio, Summus Pontifex osculabatur librum a Subdiacono porrectum, et incensabitur a Cardinali Presbytero assistente, qui post thurificationem ad suum subsellium revertetur.

87. Cardinalis Diaconus et Subdiaconus apostolicus deponent manipulum et ad loca sua regredientur.

88. Acolythi et thuriferarius candelabra et thuribulum deponent.

89. Sedebunt omnes cum mitris, et Summus Pontifex Patres alloquetur.

90. Reponetur per Clericos Capellae faldistorium in plano solii.

91. Cardinalis Presbyter ad assistentiam in solio redibit.

92. Summus Pontifex, deposita mitra, accedet ad faldistorium.

93. Duo Episcopi cum libro et candela.

94. Summus Pontifex ex libro sibi oblato a Cardinali Presbytero assistente, praecinet hymnum *Veni creator Spiritus,* et procumbet super faldistorio.

95. Reliqui omnes in suis locis genua flectent et nudato capite.

96. Cantores prosequentur hymnum.

97. Finito primo versu, Summus Pontifex surget et stabit in sede sua.

98. Reliqui omnes surgent et stabunt in suis locis.

99. Removebitur faldistorium e plano solii.

100. Duo Episcopi cum libro et candela.

101. Summus Pontifex, expleto hymno, cantabit versiculum et orationem ex libro, quem Cardinalis Presbyter sustinebit.

102. Duo cantores cantabunt f. *Benedicamus Domino,* et responso *Deo gratias,* discedent cantores omnes ex aula, et remanebunt in sacello Gregoriano B. Mariae **V.**

103. Summus Pontifex sedebit et resumet mitram.

104. Reliqui omnes sedebunt cum mitris.

105. Per Praefectum Caeremoniarum dimittentur (1) qui locum non habent in Concilio, nempe:

Magister sacri Hospitii.

(1) Ex speciali Pontificis mandato haec, quae sequuntur, a numero 105 usque ad numerum 108 inclusive, non habuerunt locum: sed apertis aulae ianuis, immo et lateribus factitiis, quibus ianuae maiores sunt innixae, omnibus spectatoribus, ut ante, actiones conciliares patere perrexerunt.

Reliqui Praelati qui non sunt officiales, exceptis Subdiacono Apostolico et Decano S. Rotae.

Cubicularii omnes secreti et honoris, duobus tantum de numero participantium exceptis, qui inservient Summo Pontifici.

Capellani secreti et communes — Camerarii extra — Acolythi et Clerici Capellae — Ostiarii de virga rubea Caudatarii.

106. Dimissis itaque qui nequeunt interesse actionibus sequentibus, claudetur ab extra ostium aulae ab ostiarii s.

107. Ad aulae conciliaris ianuam maiorem et ad alias minores vigilabunt ab extra Ostiarii, et ab eis custodientur.

108. In sacello B. M. V. et in altero S. Petronillae, ianuis internis clausis, morabuntur qui locum non habent in Concilio.

109. Episcopus secretarius una cum alio Episcopo, qui Decreta lecturus erit, accedet ad Summum Pontificem et servabit methodum, quae pro Episcopo concionatore tradita est (2).

110. Summus Pontifex tradet Decreta in prima sessione promulganda, vel ipsi Secretario, vel alteri Episcopo, qui leget decreta.

111. Secretarius vel alter Episcopus ascendet ambonem, quo conscenso versus Summum Pontificem profundam reverentiam faciet: tum detecto capite legat titulum Decretorum nempe « Pius Episcopus servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam». Tum se cooperi et mitra, sedebit et leget Decreta in prima sessione approbanda.

(2) Hic et deinceps indicantur plurali numero *Decreta;* sed unum tamen fuit in hac actione exhibitum publicatumque Decretum, atque actio quoque descripta diversimode se habuit. Namque Concilii Vaticani Secretarius ad dexteram Episcopi Fabrianensis, Antonii Valenziani, accesserunt ad Pontificis solium, et Secretarius solium conscendens obtulit Pontifici Decreti exemplar de Concilio oecumenico inchoando ; quod Decretum Pontifex tradidit Episcopo Fabrianensi: utroque Antistite a solio recedente, Secretarius ad propriam se recepit s.edem; alter vero ambonem conscendens Decretum sonora sua voce publicavit. Sed facta interrogatione, an placeret Decretum lectum, opus non fuit, ut Scrutatores ad excipiendia singulorum suffragia accederent: namque, omnibus simul acclamantibus unanimiter Patribus verbo *placet,* Pontifex statim Decretum probavit. Idem contigit in publicando altero Decreto futurae publicae sessionis : dictus enim Episcopus Valenziani, quum indiceret sessionem habendam die 6 Ianuarii 1870; omnes verbo *placet* simul acclamaverunt. Ideoque ea omnia, quae in subsequentibus paragraphis singillatim de excipiendis suffragiis describuntur, his rebus immutatis, locum non habuerunt.

11%. Lectis Decretis, stans detepto capite interrogabit formula statuta Cardinales et Patres, ap placeant Decreta modo lecta,

113. Secretarius vel a|ter Episcopus, qui legit Decreta, descendet de ambone et ad locum suum revertetur.

114. Scrutatores **cum** Notariis accedent ad medium presbyterii, et facta Summo Pontifici genuflexiop**.e,** accedent ad Cardinales et Patres, et recipient eorum suffragia.

115. Précèdent comitante altero **ex** caeremoniarum magistris scrutatores suffragiorum bini et bini, quibuscum notarii Concilii ita iungentur, ut duo scrutatores unum ex Concilii notariis adiunctum habeant. Hi vero munus colligendi Patrum suffragia ita obibunt, ut per quatuor principales aulae Concilii partes distributi, terni simul (duo nempe scrutatores et unus Concilii notarius) accedent ad partem aulae sibi pro hac **re** assignatam, ibique singillatim Eminentissimorum Cardinalium» itemque Patriarcharum suffragia exqujrent iuxta ordinem sedendi; Primatuurn vero, Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque Concilii Patrum singulorum suffragia rogabunt pariter iuxta ordinem sedendi, stantes in piano aulae Concilii; singulorum atem suffragia accurate describent.

116. Cardinales et Patres suffragium proferent elata voce per verbum *Placet,* aut *Non placet,* sedentes cum mitris. Abbates et alii, quibus ex privilegio datur suffragium proferre, assurgent detecto capite, et facta versus Summum Pontificem genuflexione, verbum *Placet,* vel *Non placet* pronuntiabunt.

117. Cum in una ex praedictis aulae partibus suffragia omnia collecta fuerint, duo isti scrutatores cum notario, qui suffragia in ea parte collegerunt, accedent ad tabulam Secretarii in medio positam: ibi suffragia collecta computabuntur, et referetur in Acta, utrum omnibus, qui suffragia dederunt, Decretum placuerit, an sint nonnulli quibus nonnisi cum aliqua mutatione aut conditione placeat, vel omnino non placeat.

118. In dirigendis atque numerandis Patrum suffragiis per Scrutatores collectis, Secretarius praesto erit, ut iuxta formulam antea pro diverso eventu deliberatam, ea, quae ex computatione omnium suffragiorum provenient, scripto consignet.

119. Tum Scrutatores cum Secretario ad solium accedentes suffragiorum summam rite consignatam Summo Pontifici submi-

nistraburit, ut per supremam eius auctoritatem accedat confìr matio, et habeatur promulgatio.

120. Summus Pontifex alta voce Decreta confirmabit praescriptam pronuntians solemnem formulam nempe « Decreta modo lecta placuerunt Patribus, nemine dissentiente *(vel si qui forte dissenserint,* tot numero exceptis), Nosque sacro approbante Concilio illa ita decernimus, statuimus atque sancimus ut lecta sunt. »

121. Secretarius, ritu superius notato, iterum ad Summum Pontificem accedet et recipiet ab eo Decretum indictionis futurae sessionis.

122. Secretarius ambonem conscendet et ritu prius praescripto futuram sessionem intimabit, descendet de ambone et sedem suam petet.

123. Protonotarii accedent ante ultimum gradum solii a sinistro latere.

124. Promotores pariter ad solium accedent et in medio infimi gradus genuflexi rogabunt Protonotarios, ut de omnibus quae acta sunt in hac sessione, unum aut plura instrumentum vel instrumenta conficiant.

125. Protonotarius senior respondebit: *Confidemus vobis testibus,* innuens Praepositum domui pontificiae et Praefectum cubiculi, qui pro hoc actu prope dexterum solii latus consistent.

126. Aperietur ostium aulae conciliaris, et qui prius discesserunt, locum sibi debitum occupabunt.

127. Duo Episcopi pro libro et candela ad solium.

128. Cardinalis Presbyter assistens iterum ad solium.

129. Summus Pontifex, deposita mitra, surget, et ex libro, quem Cardinalis Presbyter assistens tenebit, praecinet hymnum *Te Deum laudamus,* qui prosequetur a choro cantorum alternatim cum clero.

130. Circa finem hymni accedent ante gradus solii duo acolythi Signaturae Votantes cum candelabris.

131. Duo Episcopi pro libro et candela.

132. Completo cantu hymni praefati, Summus Pontifex cantabit f. *Dominus vobiscum* et orationem praescriptam ex libro a Cardinali Presbytero oblato.

133. Post orationem Cardinalis Diaconus, qui Evangelium cantavit, accedet iterum ad solium cum Subdiacono Apostolico.

134. Acolythi Signaturae Votantes revertentur ad solium pro recipiendis paramentis, quibus se êxuet Summus Pontifex.

135. Sacrista redibit ad altare ut sacra Pontificis paramenta recipiat.

136. Cardinalis Diaconus detrahet Sacrum Pallium Summo Pontifici, quod tradet Subdiacono Apostolico.

137. Subdiaconus Apostolicus ad altare cum S. Palli o, una cum acolytho Signaturae Votante, qui spinulas referet.

138. Cardinalis Diaconus reliquis paramentis ordinatim exuet Summum Pontificem, quae tradet acolythis.

139. Acolythi Signaturae Votantes referent sacra paramenta ad altare, quae tradent Sacristae.

140. Summus Pontifex induet mozzettam et stolam.

141. Subdiaconus Apostolicus cum duobus Signaturae Votantibus iterum ad solium pro recipiendis sandaliis et caligis, quae Summus Pontifex deponet.

142. Subdiaconus Apostolicus caligas et sandalia ad credentiam repörtabit.

143. Summus Pontifex, postquam Calceos ordinarios re sumpserit, faldam deponet.

144. Repönetur faldistorium ante altare per Clericos Capellae.

145. Summus Pontifex, praecedente Cruce a Capellano Secreto delata, descendet de solio, accedet ad faldistorium et genuflexus parumper orabit.

146. Surget, et facta Cruci altaris reverentia, benedicet Patribus, et ad suas aedes remeabit.

147. Eminentissimi Cardinales extra aulam pro lubitu sacra paramenta deponent.

148. Reverendissimi Patres discedent de aula et in proximis sacellis opportune dispositis sacras vestes deponent, et resumptis vestibus ordinariis discedent. »

Lectores nostri cogitare ex sese poterunt de rei maiestate, quam describere non valemus: eam sibi fingere possunt ex documentis hactenus adductis, una cogitantes, numquam Romam contemplatam esse tantam catholicae Ecclesiae Praesulum simul iunctam multitudinem: numquam vidisse tanto ordine tantaque elegantia in uno loco Ecclesiae Praesules coadunatos, ut in aula Vaticani Concilii.

Per Pastores tot tantarumque ecclesiarum Pontifici obsequentes, qui unus post alium ad genu Pontifici osculandum humillime accedebant (quamquam Pontifex manum ex sua benignitate osculandam velo obtectam eis exhiberet) facto ipso conspexisses, Pontificem esse Vicarium Christi Pomini; eam mirabilem, ore divino praenunciatam, Petram, cui omnis innititur Christi Domini Ecclesia.

Per eam solemnissimam benedictionem, quam Pontifex, cruce arrepta, et solus stans Synodo oranti a Deo est adprecatus, ut benedicere, regere eandemque conservare dignaretur, facto ipso vidisses Pastorem Pastorum.

Per sublimes preces, quae latinae Ecclesiae usui sunt, quibus immensa ac stipata populi multitudo, licet variarum linguarum, uno ore unoque animi sensu concinebat, videbatur coniuncta caelestis et terrestris Ierusalem.

Huius communis animi sensus tamquam corona fuit Pontificis Allocutio, quae tota ex intimo Eius corde dimanans, tenoris est qui sequitur.

ALLOCUTIO

« Habita in Vaticana Basilica, sacrò- oecumenico Concilio inchoando, a SS.mo Domino Nostro Pio Divina providentia PAPA IX, die 8 Decembris 1869, ad Episcopos catholici orbis in idem Concilium congregatos ».

VENERABILES FRATRES.

« Quod votis omnibus ac precibus ab Deo petebamus, ut Oecumenicum Concilium a Nobis indictum concelebrare possemus, id insigni ac singulari Dei ipsius beneficio datum Nobis esse, summopere laetamur. Itaque exultât cor Nostrum in Domino et incredibili consolatione perfunditur, quod auspicatissimo hoc die Immaculatae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptioni sacro, Vos, qui in partem sollicitudinis Nostrae vocati estis, iterum maiori quam alias frequentia, in hac catholicae Religionis arce praesentes intuemur, aspectuque Vestro perfruimur iucundissimo.

« Vos autem nunc, Venerabiles Fratres, in nomine Christi

congregati **(1)** adestis, ut Nobiscum testimonium perhibeatis Verbo Dei et testimonium iesu Christi **(2),** viamque Dei in veritate omnes homines Nobiscum doceatis **(3),** et oppositionibus, falsi nominis scientiae **(4),** Nobiscum Spiritu sancto duce iudicetis **(5).**

« Si enim unquam alias, hoc maxime tempore, quo vere luxit et defluxit terra infecta ab habitatoribus suis **(6),** divinae gloriae zelus, et Dominici gregis salus a Nobis postulat, ut circumdemus Sion et complectamur eam, narremus in turribus eius, et ponamus corda nostra in virtute eius **(7),**

« Videtis enim, Venerabiles Fratres, quanto impetu antiquus humani generis hostis domum Dei, quam decet sanctitudo, aggressus sit etjisque aggrediatur. Eo auctore funesta illa impiorum coniuratio late grassatur, quae coniunctione fortis, opibus potens, munita institutis, et velamen habens malitiae libertatem **(8),** acerrimum adversus Sanctam Christi Ecclesiam bellum omni scelere imbutum urgere non desinit. Huius belli genus, vim, arma, progressus, consilia non ignoratis. Versatur Vobis continenter ante oculos sanarum doctrinarum, quibus humanae res in suis quaeque ordinibus innituntur, perturbatio et confusio, luctuosa iuris cuiusque perversio, multiplices mentiendi audacter et corrumpendi artes, quibus iustitiae, honestatis et auctoritatis salutaria vincula solvuntur, pessimae quaeque cupiditates inflammantur, Christiana Fides ab animis funditus convenitur, ita ut certum hoc tempore Ecclesiae Dei metuendum esset exitium, si ullis hominum machinationibus et conatibus exscindi posset. At nihil Ecclesia potentius, inquiebat sanctus Ioannes Chrysostomus : Ecclesia est ipso caelo fortior. Caelum et terra transibunt ; verba autem meam non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam **(9).**

« Quamquam vero Civitas Domini virtutum, Civitas Dei Nostri inexpugnabili fundamento nitatur; tamen agnoscentes ac intimo corde dolentes tantam malorum congeriem animarumque ruinam, ad quam avertendam vel vitam ponere parati essemus, Nos quj

"(1) Matlh. 18, 20.
(2) Apoc. 1, 2.
(3) Matth. 22, 16.
(4) I Tim. 6, 20.
(5) Act. Apost. 15, 19.
(6) Isai. 24, 4 5.
(7) Psalm. 47, 11 12.
(8) I Petr. 2, 16.
(9) Homil. ante exil. n. 1.

aeterni pastoris Vicaria in Terris procuratione fungentes, zelo domus Dei prae caeteris incendamur necesse est, eam viam et rationem ineundam Nobis esse duximus, quae ad tot Ecclesiae detrimenta sarcienda utilior et opportunior videretur. Ac illud Isaiae saepe animo revolventes: « Ini consilium, coge concilium », et reputantes huiusmodi remedium in gravissimis rei christianae temporibus a Praedecessoribus Nostris salutariter esse usurpatum, post diuturnas preces, post collata cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus consilia, post expetita etiam plurium Sacrorum Antistitum suffragia, Vos, Venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, Custodes Dominici Gregis et Pastores, apud hanc Petri Cathedram censuimus evocandos; atque hodie, divina benignitate favente, quae tantae rei impedimenta sustulit, sanctae Congregationis initia, solemni maiorum ritu celebramus. Tot autem sunt, tamque uberes charitatis sensus, quibus hoc tempore afficimur, Venerabiles Fratres, ut eos in sinu continere non valeamus. Videmur enim in Vestro conspectu universam Catholicae gentis familiam, carissimos Nobis Filios praesentes intueri : cogitamus tot amoris pignora, tot ferventis animi opera, quibus Vestro impulsu, ductu et exemplo suam pietatem et observantiam Nobis et huic Apostolicae Sedi mirifice probarunt, ac porro probant; atque hac cogitatione Nobis temperare non possumus, quin in vestro amplissimo coetu, Nostram erga eos omnes gratissimam voluntatem solemni et publica significatione profitentes, Deum enixe adprecemur, ut probatio eorum fidei multo pretiosior auro, inveniatur in laudem et gloriam et honorem", in revelatione Iesu Christi (1). Miseram deinde etiam tot hominum conditionem cogitamus, qui a via veritatis et iustitiae, ideoque verae felicitatis, decepti aberrant, eorumque saluti opem afferre desiderio desideramus, memores Divini Redemptoris et Magistri Nostri Iesu, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat. Intendimus praeterea oculos in. hoc Principis Apostolorum Trophaeum apud quod consistimus, in hanc almam Urbem quae Dei munere tradita "non fuit in direptionem gentium, in Romanum hunc Populum Nobis dilectissimum, cuius constanti amore, fide, obsequio circumdamur, atque ad Dei benignitatem extollendam vocamur, qui divini sui praesidii spem in Nobis hoc

(1) I. Petr. 1, 7,

tempore magis magisque fulcire et confirmare voluerit. At praecipue Vos cogitatione complectimur, Venerabiles Fratres, in quorum sollicitudine, zelo et concordia magnum momentum ad Dei gloriam operandam positum nunc esse intelligimus; agnoscimus flagrans studium, quod ad Vestrum munus implendum attulistis, ac praesertim praeclaram et arctissimam illam Vestrum omnium cum Nobis et hac Apostolica Sede coniunctionem, qua, ut semper alias in maximis Nostris acerbitatibus, ita potissimum hoc tempore nihil Nobis iucundius, nihil Ecclesiae utilius esse potest; ac vehementer gaudemus in Domino Vos ita esse animo comparatos, ut ad certam solidamque spem uberrimorum fructuum et maxime optabilium ex Synodali hac Vestra coitione concipiendam impeMamur. Ut nullum fortasse aliud infestius et callidius bellum in Christi Regnum exarsit, sic nullum fuit tempus in quo magis Sacerdotum Domini cum Supremo Gregis Eius Pastore unio, a qua in Ecclesiam mira vis manat, postulantur; quae quidem unio, singulari divinae providentiae munere et spectata virtute Vestra, ita iugiter reipsa constitit, ut spectaculum facta sit, et futuram magis confidamus in dies, mundo et angelis et hominibus.

« Agite igitur, Venerabiles Fratres, confortamini in Domino : ac in nomine ipsius Trinitatis Augustae, sanctificati in veritate **(1),** induti arma lucis, docete Nobiscum viam, veritatem et vitam, ad quam tot agitata aerumnis gens humana iam non adspirare non potest: date Nobiscum operam, ut pax regnis, lex barbaris, monasteriis quies, Ecclesiis ordo, clericis disciplina, Deo populus acceptabilis restitui possit (2) Stat Deus in loco sancto suo, Nostris interest consiliis et actibus, suos Ipse ministros et adiutores in tam eximio misericordiae suae opere Nos adlegit, atque huic ministerio ita Nos inservire oportet, ut Illi unice hoc tempore mentes, corda, vires consecremus.

« Sed nostrae infirmitatis conscii, Nostris diffisi viribus, ad Te levamus cum fiducia oculos, precesque convertimus, o Divine Spiritus : Tu fons verae lucis et sapientiae divinae, Tuae gratiae lumen praeter mentibus Nostris, ut ea quae recta, quae salutaria, quae optima sunt, videamus. Corda rege, fove, dirige, ut huius Concilii actiones rite inchoentur, prospere promoveantur, salubriter perficiantur.

(1) Ioann. 17, 19.

(2) S. Berti, de Cons. 1. 4 c. 4.

« Tu vero, Mater pulchrae dilectionis, agnitionis et sanctae spei, Ecclesiae Regina et propugnatrix, Tu Nos, consultationes, labores Nostros in tuam maternam fidem tutelamque recipias, ac Tuis age apud Deum precibus, ut in uno semper spiritu maneamus ei corde,

« Vos quoque Nostris adeste votis, Angeli et Archangeli, Tuque Apostolorum Princeps, Beatissime Petre, Tuque Coapostole Eius, Paulle, doctor gentium et predicator veritatis in universo mundo: Vosque omnes, Sancti caelites, et praecipue quorum cineres hic veneramur, potenti Vos deprecatione eflicite, ut omnes, ministerium Nostrum fideliter implentes, suscipiamus misericordiam Dei in medio Templi Eius, Cui honor et gloria in saecula saeculorum ».

DE PRIMA CONGREGATIONE GENERALI

DIE X DECEMBRIS MDCCCLXIX.

Praeter Sessiones generales publicas, quibus Pontifex ipse praesidet, in iisque Decreta quae confirmanda arbitretur, omnium Patrum exquisito consensu, probat, confirmat atque sancit iuxta methodum descriptam in Constitutione Apostolica Multiplices; *praeter eiusmodi Sessiones, inquam, complures habentur Congregationes generales Patrum,, in quibus facultas relinquitur disputandi de propositis schematibus qnteq Romae paratis, ut disceptationi Patrum ordine traderentur.*

Verum in primis Congregationibus, de quibus dicturi sumus, disputatio, nulla habita est, propterea quod de constituendis variis pefiuliaribusque-. Consiliis WdX agendum, quae Deputationes *appellantur, i!u%$a dictam ApoßtoMcam Constitutionem.*

Miß Congregationibus, non, intervenit Pontifex,, sed Synodus per constitutos. Praesides administratur, eaeaue habentur in aula conciliari ianuis clausis ¡ atque, pex Cursores intimantur, si Congregatio non sit antecedentis prosecutio. Ubi enim de prosequenda actione agitur, Congregatio in ipsa synodo indicitur.*

MONITUM

« In Congregationibus synodalibus sive, generalibus sive particularibus, E.mi et R.mi DD. Cardinales supra rocchettum induent mantellettum et mozzettam coloris rubri vel violacei, iuxta temporis qualitatem, prout in libello *Denunciano dierum* etc. praescribitur.

« R.mi Patres habitu praelatitio ordinario induti accedent, nempe R.mi Patriarchae rocchetto, mantelletto et mozzetta violacei coloris, R.mi Primates, Archiepiscopi rocchetto et mantelletto colorisjtem violacei, et R.mi Patres regularibus Ordinibus addicti mantelletto at mozzetta coloris habitus suae religionis. R.mi Patres 'ritus Orientalis induent vestes ordinarias iuxta morem sui ritus. RR. Abbates regulares utentur habitu praelatitio, quem in sua Congregatione solent adhibere.

« Locus, hora et dies singularum Congregationum a R. P. D, Secretario indicentur. »

Aloisius Perrari Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

« Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Feria VI, die 10 Decembris 1869 hora nona matutina in aula Concilii habebitur prima oecumenicae Synodi Vaticanae Congregatio generalis, in qua fiet electio Iudicum excusationum, nec non Iudicum quaerelarun et controversiarum iuxta n. V. Brevis Apostolici d. 27 Novembris, quod die 2 huius mensis Patribus Concilii in Congregatione praesynodali distributum est. Electio fiet per schedulas secretas, ita ut quilibet Patrum in una schedula describat *quinque* nomina eorum Patrum, quos ipse in Iudices excusationum, in altera autem schedula *quinque* nomina eorum* quos in Iudices querelarum et controversiarum eligendos deliberaverit. »

« Romae 6 Decembris 1869. »

Iosephus Ep. Sancti Hippolyti Secretar. Concilii Vatic.

Prima itaque Generalis Congregatio habita est die 10 Decembris, cui praesederunt, nomine et auctoritate Pontificis, Cardinales Antoninus De Luca, Iosephus Andreas Bizzarri, Aloisius Bilio, Hannibal Capotti: ratione enim aegritudinis aberat Card. Carolus de Beisach,

Celebrato aidem sacro de Spiritu sancto per Archiepiscopum Auximanum et Cingulanum Salvatorem ex Marchionibus Nobili-Vitelleschi, ille, qui inter praesentes Concilii Praesides in cardinalitia dignitate senior est, initium dedit precibus, de quibus fit mentio in Ordine, quem supra retulimus pag. 276, easque simul Patres stantes recitarunt. His precibus effusis, idem Cardinalis sic Patres est allocutus.

BREVIS ORATIO

Habita in prima Congregatione Generali Sacri Concilii Vaticani die 10 Decembris anno Domini 1869 ab E.mo Cardinali Antonino De Luca titulo SS. Quatuor Coronatorum.

Reverendissimi Patres,

« In hoc sacro et venerando consessu, qui maiestatem et admirabilem unitatem catholicae Ecclesiae, per totum qua late patet terrarum orbem diffusae, oculis intuentium exhibet, ante Vestrum conspectum venimus, mandato Sanctissimi Domini Nostri Summi Pontificis obsequentes. Ipse etenim gravissimum Nobis oíñcium committere voluit praesidendi Congregationibus Generalibus huius Sacrosanctae Vaticanae Synodi.

« Si magnitudinem ac difficultates muneris nobis impositi respicimus, sollicito animo Nos esse oportet, timentes, ne vires nostrae tantae rei nimium impares evadant.

« Verumtamen religio, zelus, doctrina, prudentia, ceteraeque virtutes, quibus Vos, Reverendissimi Patres, praecellitis, curas Nostras profecto levant, ac firmam certamque spem ingerunt, fore, ut haec tam salutaris actio, collatis studiis ac conspirantibus animis, sancte et feliciter, Deo bene iuvante, usque procedat.

« Sancti igitur Spiritus lumine ac virtute adiuti, et hac via et rationes incedentes efficiemus, ut ex hoc Sacrosancto Oecu-

menico Concilio Vaticano Ecclesia Sancta Dei exspectatos eosque uberrimos colligat fructus. »

Haec brevis Oratio in eadem Synodo Patribus orientalibus, qui latinam linguam non calleant, in eorundem vernaculam versja est a constitbuis Interpretibus, qui hoc peragunt munus ubi opus est>.

In eadem Congregatione publicata fuerunt nomina eius ***Cqmr*** *silii, a Pontifice constituti, cui exhibenda est, si quam rem* ***dMt*** *quaestionem Patres in Concilio ut statuatur definiatu.rque pröpfr nendam duxerint iuxta $ II. Constitutionis* Multiplices. *Huius Consilii nomina sunt quae sequuntur.*

NOMINA

« Eminentissimorum ac Beverendissimorum Cardinalium et Beverendissimorum Patrum ex quibus constat peculiaris Congregatio a SS.mo Domino Nostro Pio PAPA IX, *deputata pro recipiendis et expendehdis Patrum Propositionibus. »*

REVERENDISSIMI AC EMINENTISSIMI CARDINALES

« Constantinus Cardinalis Patrizi
Camillus Cardinalis Di Pietro
Philippus Cardinalis De Angelis
Cosimus Cardinalis Corsi
Xistus Cardinalis Riario Sforza
Iosephus Otmaras Cardinalis Rauscher
Henricus M. G. Cardinalis De Bonnechose
Paulus Cardinalis Gullen
Laurentius Cardinalis Barili
Ioannes Ignatius Cardinalis Moreno
Raphael Cardinalis Monaco La Valletta
Iacobus Cardinalis Antonelli. »

REVERENDISSIMI PATRES

« Gregorius Iussef Patriarcha Antiochenus Melchitarum
Iosephus Valerga Patriarcha Hierosolymitanus

Iosephus Hippolytus Guibert Archiepiscopus Turonensis
Alexander Riccardi De Netro Archiepiscopus Taurinensis
Marianus Barrio y Fernandez Archiepiscopus Valentinensis
Raphael Valentinus Valdivieso Archiepisc.'S. Iacobi de Chile
Ioannes Martinus Spalding Archiepiscopus Baltimorensis
Franciscus Xaverius Apuzzo Archiepiscopus Surrentinus
Alexander Franchi Archiepiscopus Thessalonicensis
Petrus Giannelli Archiepiscopus Sardianus
Henricus Eduardus Manning Archiepisc. Westmonasteriensis
Victor Augustus I. Dechamps Archiepiscopus Mechliniensis
Conradus Martin Episcopus Paterbonensis
Petrus Hieremias M. Gelesia Episcopus Pactensis ».

Devenerunt inde Patres ad nomina per secreta suffragia designanda eorum, quos vellent duo Consilia constituere tum Iudicum excusationum, *tum* Iudicum Querelarum et Controversiarum *iuxta §. V. dictae Constitutionis. Id est quisque Patrum scripsit quinque Episcoporum nomina pro primo Consilio constituendo, atque item alia quinque pro altero, ut, facto inde scrutinio, qui maiora suffragia haberent, electi intelligerentur.*

Distributa pariter in eadem Congregatione fuerunt schemata nonnulla, de quibus in futuris Congregationibus disceptandum esset, ac pariter distributae sunt Litterae Apostolicae in forma Bullae, de Romani Pontificis electione quovis oecumenico Concilio durante, quarum tenor est qui sequitur.

« Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia **P**APAE IX. Constitutio de electione Romani Pontificis si contingat sedem Apostolicam vacare durante Concilio Oecumenico ».

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei Memoriam.

« Cum Romanis Pontificibus in B. Petro Apostolorum Principe pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plena potestas tradita fuerit; pax

et unitas ipsius Ecclesiae in grave discrimen facile adducerentur, si Apostolica Sede vacante, in electione novi Pontificis quidquam fieri contingeret, quod eam incertam ac dubiam reddere posset.

« Ad tam funestum periculum avertendum plures a Romanis Pontificibus Decessoribus nostris, ac praesertim a fel. record. Alexandro III. in Generali Concilio Lateranensi III. (1), a B. Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunensi II. (2), a Clemente V. (3), a Gregorio XV. (4), ab Urbano VIII. (5) et a Clemente XII. (6) editae sunt Constitutiones, quibus dum multa alia praescribuntur, ut negotium tanti momenti rite recteque expediatur, generatim et absque ulla ^exceptione declaratur ac decernitur, electionem Summi Pontificis ad S. R. E. Cardinalium Collegium unice et exclusive spectare.

« Haec Nos animo recolentes, cum Oecumenicum et Generale Concilium Vaticanum per Apostolicas Litteras quae incipiunt *Aeterni Patris* in. Kal. Iulias anno 1868. a Nobis indictum, in eo iam sit ut solemniter initietur, Apostolici Nostri muneris esse ducimus, quamcumque occasionem discordiarum et dissensionum circa electione.n Summi Pontificis praevenire ac praecidere, si Divinae voluntati placuerit, Nos, eode n Concilio perdurante, ex hac mortali vita migrare:

« Quapropter exemplo permoti fel. record. Iulii II. Decessoris Nostri, de quo eo nportum ex historia est (7), tempore Generalis Concili Lateranensis V. lethali morbo correptum Cardinales coram se convocasse, ac de legitima Successoris Sui electione sollicitum, illis adstantibus, edixisse, hanc non a praedicto Concilio, sed ab eorun tantum Collegio esse perficiendam, prout reapse, memorati Iulii sequuta morte, factum fuisse constat; atque exemplo insuper excitati aliorun Decessorum Nostrorum itäm fel. rec. Pauli III. et Pii IV. quorum primus Apostolicis Litteris datis XIII. Kal. Decembris an. 1544; alter vero similibus Litteris datis x. Kal. Octobris 1561, casum mortis suae praevi-

(1) Cap. *Licet* de Electione.

(2) Cap. *Ubi* de Electione in 6.

(3) Clement. 2 de Electione,

(4) Constit. *Decet Romanum Pontificem.*

(5) Constit. *Ad Romani Pontificis* *Y.* Kal. Februarii 1625.

(6) Constit. *Apostolatus* IV. Nonas Octobris 1732.

(7) Raynald. Annal. Eccles, ad annum 1513 n. VII.

dentes, cum Tridentina Synodus celebraretur, decreverunt, eiusmodi casu occurrente, electionem novi Pontificis nonnisi a S. R. E. Cardinalibus esse faciendam, exclusa prorsus quacumque memoratae Synodi participatione: atque insuper de his habita cum nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, ex certa scientia Nostra, Motu proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, decernimus atque statuimus, quod, si placuerit Deo mortali nostrae peregrinationi, praedicto Generali Concilio Vaticano perdurante, finem imponere, electio novi Summi Pontificis, in quibuscumque statu et terminis Concilium ipsum subsistat, nonnisi per S. R. E. Cardinales fieri debeat, minime vero per ipsum Concilium, atque etiam omnino exclusis ab eadem electione peragenda quibuscumque aliis personis cuiusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte deputandis, praeter Cardinales praedictos.

« Quin immo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales, omni prorsus impedimento submoto, et quavis perturbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius et expeditius procedere quaeant, de eadem scientia et Apostolicae potestatis plenitudine, illud praeterea decernimus atque statuimus, ut si, praedicto Vaticano Concilio perdurante, Nos decedere contigerit, idem Concilium in quibuscumque statu et terminis existat, illico et immediate suspensum ac dilatum intelligatur, quemadmodum per Nostras has Litteras illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus infra notandum differre intendimus, adeo ut, nulla prorsus interiecta mora, cessare statim debeat a quibuscumque conventibus, congregationibus et sessionibus, et a quibusvis Decretis seu canonibus conficiendis, nec ob qualemcumque causam, etiamsi gravissima et speciali mentione digna videatur, ulterius progredi, donec novus Pontifex a Sacro Cardinalium Collegio canonice electus suprema sua auctoritate Concilii ipsius reassumptionem et prosequutionem duxerit intimandam.

« Opportunum autem censentes, ut quae occasione praedicti Concilii Vaticani hactenus ordinavimus tum quoad Summi Pontificis electionem, tum quoad eiusdem Concilii suspensionem, certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam suppeditent, pari scientia et potestate decernimus atque statuimus ut futuris quibuscumque temporibus, quando-

cumque contigerit Romanum Pontificem decedere, perdurante celebratione alicuius Concilii Oecumenici, sive Romae illud habeatur, sive in alio quovis Orbis loco, electio novi Pontificis ab uno S. R. E. Cardinalium Collegio semper et exclusive, iuxta modum superius definitum fieri debeat, atque ipsum Concilium, pariter iuxta regulam superius sancitam, statim ab accepto certo nuntio demortui Pontificis suspensum ipso iure intelligatur, et tamdiu dilatum, donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari iusserit.

« Praesentes autem litteras semper validas, firmas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac jiullo umquam tempore ex quocumque capite, aut qualibet causa de subreptionis, vel obreptionis seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quopiam, quantumvis substantiali inexcogitato et inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem aut expressionem requirente, defectu, aut ex quocumqae alio capite a iure stato, vel quocumque praetextu, ratione, aut causa quantumvis tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, redargui, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum revocationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et Decretis, etiamsi in eis de hisce praesentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi debere atque ex nunc quidquid contra praemissa, Apostolica Sede vacante, quavis auctoritate etiam memorati Concilii Vaticani, vel alterius cuiuscumque futuris* temporibus Concilii Oecumenici, licet de unanimi consensu hodiernorum, seu pro tempore exsistentium S. R. E. Cardinalium scienter vel ignoranter fuerit attentatum, irritum et inane ac nullius roboris decernimus.

« Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae **III.** Decessoris Nostri in Concilio Lateranensi edita, quae incipit « Licet et vitanda » de quibuscumque aliis etiam in universalibus Conciliis latis, specialibus vel generalibus Costitutionibus Apostolicis, quamvis in corpore iuris clausis, et

sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis Decretis in genere vel in specie, etiam Motu pari ac consistorialiter statutis, quibus omnibus et singulis quatenus pariter opus sit eorumque omnium tenoribus perinde ac si praesentibus de verbo ad verbum exprimantur, pro insertis et expressis habentes, in eà tantum parte, quae praesentibus adversatur, illis alias in suo robore permánsüris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime et plenissime ac sufficienter, nec non specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

« Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, Ordinationis, Statuti, Decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel illis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Onnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

« Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo nono. Pridie Nonas Decembris, Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.

M. Card. **M**ATTEI Pro-Datarius N. Card. **P**ARACCIANI **G**LARELLI

Visa de Curia

Dominicus Bruti

Loco Plumbi

I. Cugnoni.

DE SECUNDA CONGREGATIONE GENERALI

HABITA DIE XIV DECEMBRIS MDCCCLXIX.

MONITUM

« Eminentissimi ac Reverendissimi Praesides Congregationum generalium, habita ratione desiderii a pluribus Patribus manifestati statuerunt, in Congregatione generali, quae habebitur Feria III. die 14 decembris hora nona matutina, non esse

eligendam nisi unam deputationem, scilicet eam, quae pro rebus ad fidem pertinentibus destinata est ».

« Romae die 12 Decembris 1869 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secret. Concilii Vatic.

Hac in Congregatione, celebrata Missa de Spiritu sancto per Archiepiscopum Bituricensem Carolum ex Principibus de la Tour d' Auvergne-Lauraguais, recitatisque precibus per praesidem Cardinalem Antoninum De Luca, eorum Patrum nomina publicata sunt, qui, scrutinio peracto, in Iudices Excusationum electi sunt reperti, atque eorj¿m pariter, qui in Iudices Querelarum et Controversiarum. Scrutinia autem ideo in Synodo facta non sunt, quod nimium temporis spatium id postularet: ideoque, assentientibus Patribus, per deputatos viros in Secretaria Concilii facta sunt. Nomina autem sunt quae sequuntur.

NOMINA

« Beverendissimorum Patrum qui in Iudices Excusationum maiori suffragiorum numero electi sunt ».

REVERENDISSIMI PATRES

« Paulus Melchers Archiepiscopus Coloniensis
Benvenutus Monzón y Martins Archiepiscopus Granatensis
Ioachim Limberti Archiepiscopus Florentinus
Ioannes Baptista Landriot Archiepiscopus Rhemensis
Franciscus Pedicini Archiepiscopus Barensis ».

NOMINA

« Beverendissimorum Patrum qui Iudices Querelarum et Controversiarum maiori suffragiorum numero electi sunt ».

REVERENDISSIMI PATRES

« Iosephus Angelini Archiepiscopus Corinthiensis
Gaspar Mermillod Episcopus Hebronensis
Innocentius Sannibale Episcopus Eugubinus.
Ioannes Rosati Episcopus Tudertinus.
Antonius Canzi Episcopus Cyrenensis.

Inde per secreta suffragia guisóme Patrum viginUquatuQr scripsit nomina ad constituendum Consilium de rebus ad fidem pertinentibus, Ut iterum, scrutinio peracto, qui maiora suffragia referrent, electi intelligerentur.

Denique distributae sunt Litterae Apostolicae in forma Bullae, quibus limitantur ac enumerantur Censurae, quibus ipso facto atque iure legum quarumdam violatores innodati subsunt. Eiusmodi Litterae Apostolicae, ea de causa promulgatae in Synodo sunt, quod, licet iamdiu negotium de quo agunt, examinandum traditum fuerit, paratae tamen non essent nisi appropinquante Concilii Vaticani tempore: quo factum est, ut missae ad Episcopos non fuerint, sed in ipso proximo Concilio, mandante Pontifice, singulis Patribus traderentur: inde autem die 18 eiusdem mensis affixae quoque fuerunt in consuetis Urbis locis; quae quidem affixio efficit, ut in omnibus Orbis catholici locis promulgatae intelligantur. Harum Litterarum, quibus n&rmullas adnotationes subnectimus, tenoris suni qui sequitur.

« Sanctissimi Domini nostri PII Divina Providentiae PAPAE IX. Constitutio qua ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur ».

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

« Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse: quasdam

etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse,* eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri, Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motuproprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

« Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae ».

« Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

« Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

•II.

« Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes (1).

III.

« Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV.

« Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V.

« Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorerm

(1) Hoc Articulo 2° magna censurarum abrogatio facta est, ac simplex datum principium, ita ut cessent censurae latae pro libris, qui in indicem librorum prohibitorum sunt relati, exceptis illis, qui in hoc articulo memorantur. Quare reliqui omnes libri in dictum Indicem relati sine gravi culpa legi quidem non poterunt, non tamen lectores ceterique, quibus prohibitio extenditur, in censuras incurrent. Item excommunicati sunt, excommunicatione tamen nulli reservata, qui imprimunt vel imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes sine venia Ordinari, de quibus inferius sanctio sta' tuitur.

VI.

« Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes **(1).**

VII.

« Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (2): item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII.

« Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes (3).

IX.

« Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernenti um, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

(1) Ad hunc Articulum 6 faciunt, quae scripsi in *Vol. I, pag. 567 et seqq.* de recursu ad laicum tribunal in causis ecclesiasticis.

(2) Per verba *praeter canonicas dispositiones* allusio fit ad Concordata Guberniorum cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant.

(3) Exemplum huius articuli (qui multum convenit cum Articulo 6°) innuitur in his ephemeridibus in *Vol. IV, pag. 147* in adnotatione.

« Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (1).

XI.

« Usurpantes aut séquestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes (2).

XII.

« Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios ***Ci***vitates, Terras loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes (3).

« A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Istituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultare, etiam quovis prae

(1) Circa hunc Articulum 10 recolenda est Instructio S. Inquisitionis, quam edidi in *Vol. III, pag. 499 et seqq.* nec non Decretum, quod i etuli in *Vo . II, pag . 673.*

(2) De hoc Articulo 11° exemplum publicum habemus in iis, quae in Italia per Gubsrniuir rantur, et ad rem facit Allocutio Consistorialis habita die 22 Septembris 1867, quam edidi in *Vol-III, pag. 113 et seqq.*

(3) Cum hoc Articulo 12° confer responsa S. Poenitentiariae, quae edidi in *Vol. I, pag. 557 et seqq.* et alia responsa quae retuli in *Vol. II, pag. 678 et seqq.*

textu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatus se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si- convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

« Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

« Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nemen complicis,, prouti damnata est a Benedicto XIV, in Const. *Suprema 7* Iulii 1745 ; *Ubi primum.*2 Iulii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746 (1).

(i) Benedictus XIV in Const. *Suprema* praxim inquirendi a poenitente nomen vel individuam personam complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavi!: « Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandem a a nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad. sacrosanti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem ».

In Const. *Ubi primum* idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem inter alias sanctiones haec edixit: «Statuentes ac decernentes, ut quicumque... ausus in posterum fuerit docere licitam esse eiusmodi praxim, prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut o qui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis ab alio quocumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis vel pro tempore exsistente Romano Pontifice, absolvi».

In Constitut. *Ad eradicandum,* Pontifex, contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones hon ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: « Decernimus et declaramus, memoratam praxim is se ipsa et ubique locorum ac temporum, Apostolica Auctoritate reprobatane atque damnatam esse et censeri debere.... »

II.

« Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat

III.

« Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV.

« Nomen dantes sectae *Massonicae,* aut *Garbonariae,* aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (1).

V.

« Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes **(2),**

Vi.

« Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque ligitima licentia ingrediendo ; pariterque eos introducentes

(1) Confer documenta, qua hac de re adduxi in *Vol. I, p. 290, 193 et 301.* Animadverte insuper, quam limitata fuerit obligatio denunciandi Sectarios, quae coercita est ad denunciandos tantum cori phaeos et duces si sint occulta

(2) Habes exemplum violationis Asyli in causa, quam adduxi in *Vol. II, pag. 45 et seqq.*

vel admitientes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam (1).

VII.

« Mulieres violantes Regularium virorum clausuram-, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII.

« Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

(1) S. Pius V, in costitutiöne *Decori* edita die 24 Ianuarii 1570 haec constituit J « § 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eisjsubier cta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

« § % Unde nos, malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam Decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monalium disponenti, ac aliis nostris Litteris desupex huiusmodi clausura editis adducentes, volumus, sancimus et ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiénsis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quortiCumque aliorum Ordinum, etiam militiárum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu alio" rum-monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi eoe causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitaé praeter alios Ordinum superiores, quib.us cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Bpiscoporum et Ordinariorum iurisdictione exsempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere;* aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non concomitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeter quam à Romano Pontifice, nisi iii mortis articulo, absolvi nequeant ». Quae tamen nunc sunt abrogata.

IX.

« Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X.

« Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI.

« Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 ianuarii 1569 (1).

(1) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex Constitutione *Quam plenum* S. Pii V, edita die % Ianuari 1569, sunt Episcopis inferiores. Pontifex in hac Constit, graves quosdam enarrans abusus in quorundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat, atque demum poenas sancit, hac ratione: « § 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a, sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus, inter cetera pericula, deprehenditur, quod cuicumque il'as accipienti certa soluta pecunia, licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat, non iis tantum casibus in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius Sanctae Sedis esset omnino referendus.

« § 2. Ad hanc, ipsi, in dispensandis caelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

« § 3. Itemque Missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra Decretum

XII.

« Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII.

« Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutio-^ nibus S. Pii Y.^*Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX; *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII. *Ad Romam Pontificis curam* 26 Iunii 1592 et Alexandri VIL *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660 alie-

Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

« § 4 Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini Concilii Decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea Constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur; nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum iore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, supra dicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletan o et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum, quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu Confraternitatum erigendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et execramur ac perpetuo abolemus, nullaque et irrita fuisse et esse nuneiamus, mandantes litteras et indices.

§ 5. Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperiantur, dilaceran, confringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

«§ 6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contenderini attentari, ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi iaceant, donec, satifactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, a,* qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere ».

nationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (1).

(1) In Constitutione *Admonet nos,* solemnissime edita a S. Pio V excqm municatione mulctantur omnes illi,qui per se vel per alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet Constitutio: « § 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum .praedictorum *(quae Sanctae Sedi in temporalibus sunt subiecta),* aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel maioris, existentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdem que Gubernatores aut Sedis Apostolicae Legati vel Pro-Legati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, eliam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a nobis et Sede praefata quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis et successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus, aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant ».

Innocentius IX in Constitutione *Quae ab hac Sancta Sede,* in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum inseruit integram Constitutionem *Admonet* S. Pii V atque commemorans, Gregorium XIII. Const. *Inter,* Sixtum V. Const. *Quanta,* et Gregorium XIV iurasse eam Pianam Constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse, ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit, et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas Civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII in Constitutione *Ad Romani Pontificis curam,* iterum confirmavit utramque Constitutionem : immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV, atque explicavit quomodo sub iuramentum

XIV.

« Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV.

« Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem (1).

XVII.

« Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: «Cum huiusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogati onum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relinquere ».

Alexander VII in Constitutione *Inter ceteras animi* easdem citatas Constitutiones referens iterum enucleatius declaravit et confirmavit.

(1) Sic ex. gr. sunt omnes excommunicati, qui auxilium vel favorem praestant illi valentissimo presbytero, qui appellatur Cyrinus Rinaldi, qui Iudex extinctae Monarchiaè Siculae, a Summo Pontifice nominatim excommunicatus et ab Ecclesiae corpore segregatus per Litteras Apostolicas, quas retulimus in *Vol. IV p. 118 et seqq.*, adhuc attentare fertur (ut ab aliquo audivimus, qui e Sicilia Romam venit) violentos apparentis iurisdictionis actus; cuius quidem heroicam fortitudinem omnes, qui sunt in universo terrarum orbe (et in aliis quoque partibus!) admirabuntur. Exercet enim legitimam auctoritatem, quemadmodum exercent illi, qui in theatris figuram agunt Magistratus sive Regum sive Imperatorum.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

« Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

I.

« Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II.

« Procurantes abortum, effectu sequuto.

III.

« Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

« Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

I.

« Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae spulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II.

« Caedentes aut perterrefacientes inquisitores, denimtiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III.

« Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis (1).

(1) Constitutio *Ambitiosae,* quae legitur in Sexto Decretalium *lib. 3 Exirav. Commun, cap. unie, de rebus Ecclesiae non alienandis* edita fuit a Paulo II anno 1467, quaeque quotidie allegatur ubi agitur de contractibus rerum Ecclesiae, tenoris est qui sequitur: «Ambitiosae cupiditati illorum « praecipue, qui divinis et humanis « affectatis, damnatione postposita, *im-« mobilia et pretiosa mobilia Deo di-« cata,* ex quibus Ecclesiae, Monasteria, « et pia Loca reguntur illustranturque, « et eorum Ministri sibi alimoniam « vindicant, profanis usibus applicare, « aut cum maximo illorum a,c divini « cultus detrimento, exquisitis mediis « usurpare praesumunt, occurrere cu-« pientes, *omnium rerum et bonorum « ecclesiasticorum alienationem, omne-« que pactum per quod ipsorum do-« minium transfertur, concessionem, « hypothecam, locationem et condu-« ctionem ultra triennium, nec non « infeudationem vel contractum em-« phyieuticum,* praeterquam in casibus « iure expressis, ac de rebus et bonis, « in emphyteusim ab antiquo concedi « solitis, et tunc *Ecclesiarum eviden U « utilitate,* ac de fructibus et bonis, « quae servando servari non possunt « pro instantis temporis exigentia, hac « perpetuo valitura Constitutione *fieri* « prohibemus. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitioni-« bus, et Decretis aliis super hoc editis, « quae tenore praesentium innovamus, « in suo nihilominus robore perman-« suris. Si quis autem conti a huius « nostrae prohibitionis seriem de bonis «et iebus eisdem *quicquam alienare « praesumpserit, alienatio, hypotheca, « concessio, locatio, conductio, et in-« feudatio huiusmodi nullius omnino « sint roboris vel momenti. Et tam « qui alienai, quam is qui aliénalas « res, ei bona praedicta receperit, sen-« tentiam excommunicationis incur-« rat.* Alienanti vero bona Ecclesia-« rum, Monasteriorum, Locorumque « piorum quorumlibet, inconsulto Ro-« mano Pontifice, aut contra praesentis « Constitutionis tenorem, si Pontificali « vel Abbatiali praefulgeat dignitate, « ingressus Ecclesiae sit penitus inter-« dictus. Et si per sex menses imme-« diate sequentes sub interdicto huius-«modi, animo (quod absit) perseve-« raverit indurato, lapsis mensibus « eisdem, a regimine et administra-« tione suae Ecclesiae, vel Monasterii « cui praesidet^ in spiritualibus et tem-« poralibus sit eo ipso suspensus. In-« feriores vero Praelati, Commenda-« tarii, et aliarum Ecclesiarum Re-« ctores beneficia vel administrationem « quomodolibet obtinentes, Priorati-« bus, Praeposituris, Praepositatibus, « Dignitatibus, Personatibus, admini-« strationibus, officiis, canonicatibus, « praebendis, aliisque Ecclesiasticis « cum cura et sine cura saecularibus « et Regularibus beneficiis, quorum « res et bona alienarunt dumtaxat, «ipso facto privati existant: illaque «absque declaratione aliqua vacare

IV.

<< Negligentes sive culpabiliter omitientes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitae fuerint, ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. ***Universi*** 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. ***Sacramentum poenitentiae*** 1 Iunii 1741 (1).

« Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excoro-

« censeantur, possintque per locorum « Ordinarios, vel alios, ad quos eorum « collatio pertinet, personis idoneis « illis exceptis quae propterea privatae « fuerint) libere de iure conferri, nisi « alias dispositioni Apostolicae Sedis « sint specialiter aut generaliter reser- « vata. Nihilominus alienatae res et « bona huiusmodi ad Ecclesias, Mo- « nasteria, et Loca pia ad quae ante « alienationem huiusmodi pertinebant, « libere revertantur. Nulli ergo omnino « hominum liceat hanc paginam no- « strae prohibitionis et innovationis « infringere, vel ei ausu temerario con- « traire. Si quis hoc attentare prae- « sumpserit, indignationem Omnipo- « tenus Dei et Beatorum Petri et Pauli « Apostolorum eius, se noverit incur- « suram. Datum Romae apud S. Mar- « cum anno Dominicae Incarnationis « MCCCCLXVII. Calendis Martii, Pon- « tifie. Nostri anno III. Censura, quae « remanet, est excommunicatio ».

(1) Casus expressi in Constitutione Gregorii XV. *Universi* **ita se habent: « § 4.... Statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint,** ***ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis huiusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.***

« § 7. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitâtes, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes... ».

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae* **sunt qui sequuntur: «** ***Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam***

municavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Heic "paulisper sistimus, ut inseramiiS excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium cum adiectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere Constitutionem de qua agimus. Namque dd commodum Lectorum nostrorum eas excommunicationis poenas inquirere curavimus in Tridentinis Dispositionibus, ut eas possint cum ipsis textus Tridentini verbis sub oculis habere.

Et quoniam poena anathematis in Decreto Sess. IV. excipitur, eaque, quoad extensionem, coercetur, expedit quoque hoc Tridentinum Decretum in medium deducere, ut limitatio facta melius intelligatur. Illud autem est quod immediate sequitur.

EXCOMMUNICATIONES LATAE A CONCILIO TRIDENTINO

Sess. 4 ex Decreto de editione et usu sacrorum librorum. *« Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur ».*

extra occasionem Confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive iactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint ».

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut iurium, quorum excommunicatio est Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

Sess. **22** c. 11 de Refor. « *Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, censué ac iura aliam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit______Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subiaceat______».*

Excommunicato Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae monialium: itemque violantes earum clausuram.

Sess. 15 c. 5 de Regul. « *Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit* Periculoso, *renovans Sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram .sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores*

per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Ghristianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda omnibus magistratibus saecularibus iniungit.

Sess. 25 ex cap. 5 de Reg. « *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda ».*

Excommunicantur Raptores mulierum eorundemque consocii.

Sess. 24 ex cap. 6 de Refor. matr. « *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem* ***habeat,*** *et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati... ».*

Excommunicantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24 ex cap. 9 de Ref. matr. *« Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae haereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit matrimonii Ubertatem violare et ab eis iniurias nasci, a quibus iura excedantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant ».*

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

Sess. 25 cap. **18** de Regul. « *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis* **(1),** *ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint* ».

(1) Casus in iure expressi ad hos reducuntur: in *cap. 18 de Convers. coniugatorum* Innocentius III ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse: « Significavit nobis A. mu« lier, quod, quum ipsa F. viro suo co« ram Decano Sancti Quiriaci, vice Ar« chiepiscopi Senonensis in hac parte « fungente, licentiam concesserit reli« gionemintrandi; continentiae tamen « voto eidem in iuncto, et recepta fide « ab ipsa, quod perpetuo contineret, « idem Decanus, post factam profes« sionem a viro praedicto in mona« sterio in quo habitum assumpserat « monachalem, asseruit, ipsam debere « Religionem intrare, quamquam id « primo non expressisset eidem, et hoc « expresso, illi licentiam non dedisset. « Quocirca mandamus quatenus si est « ita, et est talis de qua suspicio haberi « non possit, ipsam, votum continet« tiae observantem, intrare monaste« rium compelli non permittatis in« vitam ». Ex quo capite Glossa sic arguit: «Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli,* intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam ».

Item Gregorius IX *in cap. 19 eod. tit.* alterum consideravit casum, atque ita rescripsit: « Mulieres vero, quae « relicto maritali toro lapsu carnis ce« ciderunt, si mariti earum a te dili« genfer commoniti eas ad frugem « melioris vitae conversas noluerint « recipere propter Deum, in claustris « cum ieligiosis mulieribus studeas « collocare, ut perpetuam poenitentiam « ibi agant ».

Excommunicantur Duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adiuvant, vel assistunt.

Sess. 25 ex cap. 19 de Ref. « *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis.,. poenam incurrant... Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur.* »

Excommunicantur qui sequentes falsas propositiones doceant.

Sess. 13 ex can. 11 de Euchar. « *Ne tantum Sacramentum* (Eucharistiae) *indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Sgnodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* »

Sess. 24 ex cap. 1 de Ref. matr. « *Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* »

Hae sunt excommunicationes quas inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SS.mi Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

Suspensiones latae Sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

« Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerim Litteras apostolicas de sua promotione.

II.

« Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III.

« Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV.

« Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V.

« Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

VI.

« Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII.

« Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint **(1);** nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

« Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale futurum Concilium appellantia.

(1) Confer documenta et cetera ad rem facientia, quae exposui in *Vol II, pag. 585 et seqq.*

IL

« Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admitientes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

« Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioiii vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Heic iterum paulisper sistimus maerentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant; atque abstinemus in praesentia a quavis interpretatione, ut fecimus in referendis excommunicationibus ab eodem Tridentino latis.

DB SUSPENSIONIBUS VEL INTERDICTIS A CONCILIO TRIDENTINO LATIS

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra Ordinatione.

Sess. **23** ex cap. **8** de Ref. « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibns permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. »*

Sess. **23** ex cap. 14 de Ref. « *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare ».*

Sess. 7 c. **10** de Ref. « *Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasions arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiacet interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus, gaudeant; In maioribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi.* »

Sess. 6 c. 5 de Ref. « *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subbicela tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure suspensi.* »

Sess. 23 c. 10 de Refor. « *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre ; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum diócesis fines existant, pertineat ; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III Decretum (i) a Capitulo episcopali sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Epfc scopi, loco Capituli sede vacante succedentibus; obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi* ».

Sess. 14 ex cap. 2 de Ref. « *Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut*

(1) Hoc Decretum est illud Sessionis 7 c. 10 modo relatus.

aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi. »

Interdicuntur Episcopi, qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

Sess. 6 ex cap. 1 de Refor. « *Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) *ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur.* »

Sess. 25 ex cap. 14 de Ref. « *Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine* (concubinatus) *non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.* »

Hactenus de Suspensionibus vel Interdictis a Synodo Tridentina inflictis. Sic autem prosequitur et explicit Constitutio Sanctissimi Patris de qua agimus.

« Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas

esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

« Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, suppriminus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

« Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV cap. Vide reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

« Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere ; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere ; et irritum atque inane

esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

« Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

« Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto. »

M. CARD. MATTBI Pro-Datarius   N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia

Dominicus Bruti

Loco Plumbi   I. Cugnoni.

DE TERTIA CONGREGATIONE GENERALI

« Intimatio per Cursorem facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Feria II, die 20 Decembris 1869 hora nona matutina in Aula Concilii habebitur Congregatio Generalis, in qua fiet electio alterius Deputationis pro rebus Disciplinae Ecclesiasticae, iuxta numerum VII Brevis Apostolici : *Multiplices inter* diei 27 Novembris huius anni. Electio fiet per schedulas secretas, ita ut quilibet Patrum in una schedula describat nomina viginti quatuor Patrum, quos ipse ad eiusmodi Deputationem eligendos censuerit.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 17 Decembris 1869. »

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii,

s

Die itaque 20 *Decembris habita est tertia generalis Congregatio praesidentem quatuor statutis E.mis Cardinalibus. Sacrum de Spiritu sancto celebravit Archiepiscopus Salisburgensis Maximilianus de Tarnoczy. Recitatis inde precibus per E.mum Cardinalem Antoninum De Duca in cardinalitia dignitate inter Praesides antiquiorem, publicata sunt nomina eorum Patrum, qui, ex datis schedulis praehabitae Congregationis Generalis, maiora retulerunt suffragia ad componendum Consilium de rebus ad fidem pertinentibus. Nomina autem huius deputati a Synodo Consilii sunt quae sequuntur.*

DEPUTATIO

PRO REBUS AD FIDEM PERTINENTIBUS

« Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione Generali habita Feria III die decimaquarta vertenti» mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi ».

REVERENDISSIMI PATRES

« 1. Emmanuel Garcia Gil Archiepiscopus Caesaraugustanus
2. Ludovicus Franciscus Pie Episcopus Pictaviensis
3. Patritius Leahy Archiepiscopus Casseliensis
4. Renatus Franciscus Régnier Archiepiscopus Cameracensis
5. Ioannes Simor Archiepiscopus Strigoniensis
6. Andreas Ignatius Schaepman Archiepiscopus Ultraiectensis
7. Antonius Hassun Patriarcha Ciliciae Armenorum
8. Bartholomaeus D'Avanzo Episcopus Calvensis et Theanensis
9. Miecislaus Ledochowski Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis
10. Franciscus Aemilius Cugini Archiepiscopus Mutinensis
11. Sebastianus Dias Larangeira Episcopus S. Petri Fluminis Grandensis Australis
12. Ignatius Senestrey Episcopus Ratisbonensis
13. Victor Augustus Dechamps Archiepiscopus Mechliniensis
14. Ioannes Martinus Spalding Archiepiscopus Baltimorensis
15. Antonius Monescillo Episcopus Giennensis

16. Petrus Iosephus De Preux Episcopus Sedunensis
17. Vincentius Gasser Episcopus Brixinensis
18. Raphael Valentinus Valdivieso Archiepiscopus S. Iacobi de Chile.
19. Henricus Eduardus Manning Archiepiscopus Westmonasteriensis
20. Fridericus Maria Zinelli Episcopus Tarvisinus
21. Iosephus Cardoni Archiepiscopus Edessenus
22. Walterus Steins Archiepiscopus Bostrensis
23. Conradus Martin Episcopus Paterbornensis
24. Iosephus Sant'Alemany Archiepiscopus S. Francisci.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 17 Decembris 1869 ».

IOSEPHUS EPISC. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Inde secretas schedulas conscripserunt Patres pro altero componendo Consilio de rebus ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus iuxta praenunciatam intimationem, ac praeterea indicata die vicesimaoctava ad alteram Congregationem Generalem habendam pro deputando alio Consilio de rebus ad Ordines Regulares pertinentibus, denunciatum quoque est, in eadem futura Congregatione Patres, qui id petiissent, de primo proposito schemate esse loquuturos.

DE QUARTA CONGREGATIONE GENERALI

« Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Feria III die 28 Decembris hora nona matutina habebitur Congregatio Generalis, in qua post collectas schedulas pro electione tertiae Deputationis super rebus Ordinum Regularium, audientur Patres qui de schemate proposito et distributo loqui voluerint, iuxta num. VII Brevis Apostolici *Multiplices inter* diei 27 Novembris huius anni.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 21 Decembris 1869 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii

In hac Congregatione, celebrata Missa de Spiritu sancto ab Archiepiscopo Baltimorensi Ioanne Martino Spalding, recitatisque de more precibus per Praesidem in Cardinalitia dignitate seniorem, promulgata sunt nomina Patrum, qui, scrutinio peracto, maiora suffragia retulerunt ad Consilium componendum, de quo actum est in praecedenti Congregatione. Sunt autem quae sequuntur.

DEPUTATIO

PRO REBUS DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE

« *Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione Generali* ***habita*** *Feria II die vigesima vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi* ».

REVERENDISSIMI PATRES

« 1. Ioannes Mac-Closkey Archiepiscopus Neo-Eboracensis
2. Guillelmus Ullathorne Episcopus Birmingamiensis
3. Ioannes Mac-Hale Archiepiscopus Tuamensis
4. Pelagius De Lavastida y Davalos Archiep. Mexicanus
5. Pantaleon Monserrat y Navarro Episcopus Barcinonensis
6. Anastasius Yusto Archiepiscopus Burgensis
7. Iulius Arrigoni Archiepiscopus Lucanus
8. Franciscus Baillargeon Archiepiscopus Quebecensis
9. Paulus Ballerini Patriarcha Alexandrinus ritus latini
10. Claudius Plantier Episcopus Nemausensis
11. Theodorus de Montpellier Episcopus Leodiensis
12. Stephanus Marilley Episcopus Lausanensis et Genevensis
13. Franciscus Xaverius Wierzchleyski Episcopus Leopoliensis ritus latini.
14. Georgius Stahl Episcopus Herbipolensis
15. Ioannes Ambrosius Huerta Episcopus Puniensis
16. Carolus Fillion Episcopus Cenomanensis
17. Ioannes Baptista Zwerger Episcopus Secoviensis
18. Nicolaus Sergent Episcopus Corisopitensis

19. Michael Heiss Episcopus Crossensis
20. Marianus Ricciardi Archiepiscopus Reginensis
2t. Leo Meurin Episcopus Ascalonensis
22. Ioannes Çhittadauro di Reburdone Episcopus Calataniasiadensis
23. Marinus Marini Archiep. Episcopus Urbevetanus
24. Iosephus Aggarbati Episcopus Senogalliensis.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 23 Decembris 1869 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concil.

Facta horum nominum publicatione, Patres schedulas scripserunt inscribentes unusquisque vigintiquatuor nomina pro componendo Consilio de rebus ad Ordines Regulares pertinentibus.

Traditis huiusmodi schedulis, coepta est manifestatio opinionum Patrum nonnullorum de primo schemate proposito. Idest Patres illi, qui loqui petierant iuxta normam Constitutionis Multiplices, *loqui coeperunt, facultate incipiendi facta ab Eminentissimo Praeside Card. Antonino De Luca. Liberrime autem hi Patres unus post alium ambonem conscendentes locuti sunt de primo schemate quod de dogmatica re agit : duo stenographi eodem tempore prope ambonem considentes omnia signarunt nerba a Patribus loquentibus prolata. Quatuordecim erant initio inscripti Patres, qui loqui petierant, quique deinde pedetentim aucti sunt, ac in Congregatione de qua agimus septem tantum loqui potuerunt, nemine respondente ad opiniones sive pro, sive contra, sive etiam praeter schema prolatas ; quodque in reliquis Congregationibus servatur.*

Nomina horum septem qui sunt loquuti haec sunt : E.mus Cardinalis Rauscher, Archiepiscopus Viennensis, et sex Archiepiscopi, idest Kenrik, Archiep. S. Ludovici in Statibus Americae foedere iunctis - Tizzani, Archiep. Nisibensis in partibus infidelium - Apuzzo Archiep. Surrentinus - Spaccapietra Archiep. Smirnensis Pace Forno Archiep. Episc. Melitensis - Conolly Archiep. Alifaxiensis in Nova Scotia.

Congregatio, eademque ordine quinta, prosequuta est die 30 *Decembris, in qua de more celebrata Missa de Siritu sancto, quam Armenio ritu celebravit Archiepiscopus Aleppensis, Gregorius Ba-*

litian, inde locuti sunt de eodem schemate, Vanesa, Archiep. Graecus-Bhumenus Fogorasiensis et Alba Iuliensis - Strossmayer, Episcopus Bosnensis et Sirmiensis - Ginoulhiac, Episc. Gratianopolitanus - Gaixal y Estrade, Episc. Urgellensis.

Iterum Congregatio Generalis, eademque ordine sexta, intimata ac protracta est in diem **3** *Ianuarii* **1870,** *in qua Missam de Spiritu sancto celebravit Archiepiscopus Valentinus, Marianus Barrio y Fernandez.*

Absoluta Missa, et recitata consueta Oratione « Adsumus Domine » *E.mus primus Praeses Card. Antoninus De Luca, surgens, et pulsato de more tintinnabulo, nunciavit Patribus obitum duorum Cardinalium, Caroli de Beisach et Francisci Pentini, et duorum Episcoporum, nempe Premisliensis ritus latini, et Fodiani in haec verba :*

REVERENDISSIMI PATRES

« Notum vobis est ex quo inchoatum est Oecumenicum Vaticanum Concilium, pretiosam in conspectu Domini mortem obiisse quatuor Patres, nempe E.mum Carolum Augustum de Reisach Episcopum Sabinensem et primum Praesidem Congregationum nostrarum generalium, E.mum Franciscum Pentini Diaconum S. Mariae in Porticu, R.mum Antonium Manastyrski Episcopum Premisliensem latini ritus, et R.mum Bernardinum Frascolla Episcopum Fodianum. Christianae virtutes et praeclara merita erga Sanctam Dei Ecclesiam et hanc Apostolicam Sedem, quibus amplissime ornati erant, certam suavemque spem nobis ingerunt iam eorum animas aeterna perfrui requie in osculo Domini, nostrisque favere laboribus sua apud Deum intercessione. Quoniam tamen ea est humanae naturae fragilitas, ut nostris suffragiis adhuc fortasse indigere possint, idcirco eas divinae misericordiae enixe commendare ne omittamus.

« Simul autem significare R.mis Patribus valde laetamur, in locum defuncti Cardinalis de Reisach, unius e Praesidibus Congregationum Generalium, electum fuisse a SS.mo D. N. per Apostolicas litteras datas die trigesima mox elapsi Decembris E.mum Cardinalem Philippum De Angelis Camerarium Sanctae Romanae Ecclesiae et Archiepiscopum Firmanum. Et. R. D. Sub-Secretarius recitet memoratas litteras Apostolicas ».

Recitatis ex ambone a Concilii Sub-Secretario dictis litteris Apostolicis in forma Brevis, idem primus Praeses significavit Synodo SS.mum D. N. iuxta Articulum VII Constitutionis Multiplices *designasse per duo chirographa data die* 29 *Decembris E.mum Cardinalem Aloisium Bilio, qui praesideat Consilio pro rebus ad fidem pertinentibus, et E.mum Cardinalem Prosperum Caterini, qui praesideat alteri Consilio a ßynodo deputato pro rebus ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus.*

Deinde Sub-Secretarius, id indicente Praeside, denunciami eorum nomina, qui ex peracto scrutinio electi sunt inventi ad componendum Consilium a Synodo deputatum de rebus Ordinum Regularium ; et eorum nomina sunt quae sequuntur.

DEPUTATIO

PRO REBUS ORDINUM REGULARIUM

« Peracto scrutinio schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione Generali habita Feria III die vigesima octava vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi ».

REVERENDISSIMI PATRES

« 1. Franciscus Fleix y Solans Archiepiscopus Tarraconensis
2. Andreas Raess Episcopus Argentinensis
3. Godofredus Saint-Marc Archiepiscopus Rhedonensis
4. Ferdinandus Blanco Episcopus Abulensis
5. Ioannes Derry Episcopus Clonfertensis
6. Iosephus Benedictus Dusmet Archiepiscopus Cataniensis
7. Felix Cantimorri Episcopus Parmensis
8. Iosephus Ignatius Checa Archiepiscopus Quitensis
9. Fridericus de Fürstenberg Archiepiscopus Olomucensis
10. Carolus Pooten Archiepiscopus Antibarensis et Scodrensis
11. Paulus Micaleff Episcopus Typhernatensis
12. Stephanus Vincentius Ryan Episcopus Buftalensis
13. Simon Spilotros Episcopus Tricaricensis
14. Alexander Angeloni Archiepiscopus Urbinatensis

15. Ignatius Moraes Gardoso Episcopus Pharannensis
16. Franciscus de Leonrod Episcopus Eystetensis
17. Guillelmus Iosephus Clifford Episcopus Cliftoniensis
18. Thomas Michael Salzano Episcopus Tanensis
19. Iohannes Ioseph Faiet Episcopus Brugensis
20. Maria Ephrem Garrelon Episcopus Nemesinus
21. Aloisius Nazari di Calabiano Archiepiscopus Mediolanensis
22. Georgius Ebediesu Chajat Archiepiscopus Amidensis Chaldaeorum
23. Gaspar Willi Episcopus Antipatrensis
24. Iohannes Thomas Ghilardi Episcopus Montis Regalis.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 31 Decembris 1869 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii

Post eiusmodi denunciationes prosequuta est opinionum manifestatio eorum Patrum qui loqui petierant, atque loquuti sunt quatuor tantum, id est Episcopus Savanensis Augustinus Verot - Episcopus Salutiarum, Laurentius Gastaldi - E.mus Card. Iosephus Trevisanto, Patriarcha Venetiarum - Patriarcha Ciliciae Armenorum, Antonius Hassun, ac de more hora fere prima post meridiem dimissa est Congregatio, denunciata quoque die quarta Ianuarii, qua Congregatio prosequeretur.

In septima itaque Congregatione, quae est prosequutio antecedentium, celebrata fuit Missa per Archiepiscopum Westmonasteriensem, Henricum Manning, atque inde Praeses Card. Antoninus De Luca denunciava obitum Episcopi Panamensis, Eduardi Vasquez ex Ordine Praedicatorum, in haec verba :

REVERENDISSIMI PATRES

« Magno animi nostro dolore significare vobis debemus, superiori nocte, mortali hac vita defunctum esse R.mum Episcopum Panamensem, Eduardum Vasquez, post longam et molestam infirmitatem patientissime in exemplum toleratam. Iusta funebria ei quamprimum persolventur. Interea eum divinae misericordiae commendemus tum sanctissimo Missae sacrificio, tum aliis christianae charitatis operibus ».

Post haec, eodem indícente Praeside, Patres sunt loquuti, quorum nomina, prout fertur, sunt quae sequuntur: Archiepiscopus Senonensis, Victor Bernardou - Episcopus Moulinensis, Petrus de Dreux Brèzè, qui scripturam legit nomine Episcopi Montis Albani in Gallia Ioannis Doney - Praesul Boillès, antea Episcopus Luconensis - Episcopus Cornetanus et Centumcellarum, Franciscus Gandolfi - Episcopus Paterbornensis, Corradus Martin - Episcopus Briocensis, Augustinus David - Episcopus Casalensis, Petrus Ferre - Episcopus S. Galli, Ioannes Baptista Greit.

Denique prosequutio Congregationis dilata est in diem octavam Ianuarii, atque Patres dimissi sunt.

DE SECUNDA PUBLICA SESSIONE

HABITA DIE VI IANUARII MDCCCLXX

« Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Die sexta Ianuarii 1870 feria quinta in festo Epiphaniae Domini *hora nona* antimeridiana in Patriarchali Basilica S. Petri in Vaticano habebitur sessio sacri Concilii Oecumenici.

« E.mi et R.mi DD. Cardinales *vestibus rubris* induti cum *calceis nigris* accedent ad memoratam Basilicam, ubi adorato SS. SACRAMENTO, paramenta *coloris albi* cuique ordini propria assument et petent subsellia in aula conciliari.

« R.mi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes, adorato ut supra SS. SACRAMENTO, in paratis sacellis vestes sacras *coloris albi* sibi debitas induent et in aulam praedictam convenient.

« Missa consueto ritu cantabitur ab E.mo et R.mo D. Cardinali Mattei Episcopo Ostiensi et Veliterno in qua obedientia SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO non praestabitur, non habebitur sermo post Evangelium, neque fient circuli consueti.

« Expleta Missa, statutae preces iuxta Ordinem persolventur, post quas a SUMMO PONTIFICE et ab omnibus Patribus, qui

vel ex iure, vel ex privilegio suffragium proferunt in Concilio, solemnis professio Fidei emittetur iuxta notam formulam a Pio IV s. m. praescriptam sua Constitutione quae incipit: *Iniunctum nobis* data idibus Novembris anni 1564.

« Intimentur itaque omnes et singuli E.mi et R.mi DD. Cardinales, R.mi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et supremi Moderatores Congregationum et Ordinum regularium ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

« Intimentur quoque Vice-Camerarius, Princeps solii, Concilii custos, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister sacri Hospitii, Protonotarii de numero participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici Camerae Apostolicae duo, Votantes Signaturae quatuor, Abbreviatores de Parco maiori duo, officiales Concilii.

« De Mandato SS.mi D. N. PAPAE ».

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Gaerem. Praefectus.

MONITUM

« In secunda Sessione publica Concilii Oecumenici Vaticani, habenda die 6 Ianuarii festo Epiphaniae Domini, solemnis professio Fidei emittetur iuxta sequentem ordinem.

« Promotores sacrosancti Concilii accedentes ad solium Pontificis instabunt, ut ab omnibus Patribus emittatur Fidei professio iuxta formulam a Pio IV s. m. praescriptam.

« Sanctissimus Pater primus omnium formulam pronun« ciabit. Deinde unus ex Patribus e suggestu formulam elata voce leget.

« Recitata formula praedicta, omnes Patres, servato dignitatis et promotionis ordine, accedent unus post alium ad thronum Pontificium, et in genua provoluti, tactis manu dextera Sanctis Dei Evangeliis, praedictam fidei professionem ratam habebunt per verba « Ego N. N. spondeo, voveo, et iuro iuxta form ulam praeiectam. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia » librum osculantes.

« Orientales vero eadem verba proferent unusquisque in suo idiomate. »

Aloisius Ferrari Protonot. Apost. C aerem. Praefectus.

Sessio itaque habita est iuxta eiusmodi intimationem et denunciationem. Missam solemniter celebravit, ut in prima Sessione, E.mus Card. Constantinus Patrizi, qui Card. Decano immediate succedit. Decanus enim Card. Mattei gravibus senectutis incommodis domi detinetur.

*Quoad ordinem differt praesens a prima Sessione per haec praecipua capita, quod solemnis supplicatio, qua ingressi sunt Patres Basilicam et Concilii aulam habita non fuerit ; sed contra singuli pedetentim, albo pluviali induti, illico aulam Concilii adierunt, propriam petentes sedem et Pontificem exspectantes. Pontifex successit nobili de more circumdatus familia, cruce praeeunte; eidem adstiterunt Cardinales Diaconi Antonelli et Mertel : ingressus est per minorem aulae ianuam. *Missa coepta et celebrata est _ eo more iisdemque caeremoniis, quibus celebrari solet, quando coram Pontifice publice celebratur: nulla habita est Oratio neque obedientia praestita. Solio adstiterunt dicti Cardinales Diaconi, itemque Presbyter Cardinalis De Angelis.*

Celebrata Missa, actio conciliaris coepta est, eo ritu quo prima Sessio celebrata est. Super altare, quod longe a fronte Pontificis est situm, per Secretarium Concilii liber Evangeliorum est collocatus super parvo elegantissimo throno. Interim Pontifex aliis vestibus est indutus, atque sublimem precem recitavit Adsumus Domine, *reliquasque ut in iam dato Caeremoniarum* Ordine, *et* Methodo, *quam infra dabimus pro consuetis quae agentur Sessionibus.*

Non est opus heic dicere, populum, qui a maioribus aulae ianuis ultra longeque diffundebatur, tum Litaniis, tum hymnis Veni Creator, *et* Te Deum, *vocem suam coniunxisse vocibus Patrum, eoque animi sensu, ut cor unum et anima una videretur.*

Cardinalis Capalti Evangelium cecinit desumptum ex capi e XVIII S. Matthaei.

In hac secunda generali Sessione nullum Decretum publicatum est, propterea quod nullum adhuc in promptu esset : at nihilominus Sessio magni momenti fuit ob singularem fidei professionem. Namque ipse Pontifex primus omnium coram synodo eam

solemniter fecit, quod in aliis oecumenicis synodis contigisse non legimus: ea formula facta est fidei professio, quae Apostolicam, Nicaenam, et Tridentinam fidem exhiberet, quaeque, a Christo Domino auctore dimanans, tamquam praetiosissimum depositum in catholica Ecclesia vallatum, munitum, custoditur, quod per saeculorum vicissitudines ad aetatem usque nostram immaculatum pervenit, nova munitione in praesentia augendum : ea die facta est haec solemnis fidei professio, qua die in catholica Ecclesia solemnia celebrantur de eo fidei lumine, quod gentes ad Christum natum recta via perduxit : quod lumen quidem parumper disparuit super regia civitate, sed ut illico (ea civitate neglecta quae sibi lumen esse jputaret, caeleste reformidans) splendidius re fulgeret; gentesque cum Christo nato perpetuo coniungeret.

Itaque, ad instantiam Promotorum Concilii, surgens Pontifex coram amplissimo Patrum consessu, suoque exemplo Patribus consurgentibus, fidei professionem incepit ac prosequutus est ea reboante voce, quae totam Synodi aulam distincto sono replevit.

Interim omnium mentes intima cogitatione suavique animi sensu nutriri visae sunt, quemadmodum adstantium vultus significabat. Alios autem novimus sibi animo repraesentasse Simonem Petrum, qui Christo Domino sciscitanti: Vos quem me esse dicitis? *prompte respondit:* Tu es Christus filius Dei vivi: *alii considerarunt Simonem Petrum confirmantem fratres: alii unitatem fidei, quae sub variis concinnata et explicata formulis illibata in Petri successoribus iugiter permansit : alii doctorem fidei, qui suo exemplo ostendit, quo scuto, quibus armis mundus vincatur.*

O Boma, quando virtute veterum tuorum et sapientia legum populos nationesque tibi subiiciebas, haud intellexisti, qua abscondita virtute movereris, et quo ducereris : cognoverunt quidem identidem fortissimi populi, quibus impetum faciebas, Romanos ope divina pugnare; sed. quo tandem per victorias ducereris, omnes ignorarunt. Sapientia legum tuarum perspecta fuit omnibus populis ; sed unde lumen illud sapientiae tibi derivaret, qua de causa inter ceteras mundi nationes praeelecta esses, ut in omnibus ferme populis, et armis, et legibus, dominareris, nesciebas. Unde contigit, ut post tot tantasque partas victorias in vanitate sensus tui conquiescens, magistra evaseris erroris.

Vinculum quidem imposuisti populis, ut omnes tibi coniunx dos retiñeres in unitatem externi nominis: quod et stulti huius

saeculi, ignorantes divinae providentiae tramites, in hoc te imitari affectant, quasi haec sit vera nationum gloria; teque appetunt, id se renovaturos sperantes, quod dum parvula esses, in te admirantur.

Aliud, aliud profecto erat, quod de te praecogitaverat, qui dives est in omnibus Deus, quique gentes in terra dirigit, in te enim earum legum auctoritas, illud fidei magisterium constituendum erat, quod omnes coniungeret cum Deo homines, ut omnes homines vera unitate inter se coniungerentur. Beatus populus cuius dominus Deus eius!

Leva nunc in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, *pro quibus fidei Auctor et Consummatur instantissime oravit,* ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, *atque ea de causa ut mundus crederet missioni Filii Dei,* ut credat mundus, quia tu me misisti.

Omnes istos in sinu tuo congregatos iam alias vidisti vinculo charitatis, hodie autem eosdem amplioresque vides iunctos vinculo fidei sub eo duce, qui locum veterum tuorum Caesarum gloriose occupat.

Non quidem militum, equitum, armorum scutorumque fragorem audis ut olim, sed Pastorum populorum omnium vocem, longe firmiorem quam arma et scuta, profitentem, confirmantem, voventem, iurantem unam fidem, quae mundum vincit, cuius fidei magistrum cum te perpetuo colligatum profitentur.

At non satis; multo maiora videbis : namque filii tui de longe venient et filiae tuae de latere surgent. Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha, omnes de Saba venient aurum et thus deferentes et laudem Domino annuntiantes.

Pontifex itaque, ut ante dixi, e solio surgens hanc fidei formulam elata voce pronunciavit, omnibusque Patribus praeivit :

« Ego Pius Ecclesiae Catholicae Episcopus firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum

filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit ad caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est eum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi: Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit et tenet saeta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiteran non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictarum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate, Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ee-

desia transubstantiatione m appellat, Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illorumque usum christiano populo maxime salutarem es,se affirmo. Sanctam catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco (Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiem spondeo ac iuro) **(1).** Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum. Ego Pius Ecclesiae Catholicae Episcopus spondeo, voveo ac iuro sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

Hac recitata formula, Patribusque confidentibus, ad Pontificis solium accessit. Concilii Secretarius secumferens Episcopum Fabrianensem ; atque ille Pontifici obtulit formulam fidei, quam Pontifex alteri dedit, quique ambonem petens et conscendens eandem formulam elata sonoraque sua voce distincte pronunciavit.

Ea completa, Cardinales omnes, inde Patriarchae unus post alium, deinde Primates Archiepiscopi et Episcopi ceterique Patres,

(1) Haec verba reliquit Pontifex, sed non reliquerunt ceteri Patres fidei professionem confirmantes.

qui prius bini et bini, denique quaderni et quaterni, ne longius quam par esset haec actio protraheretur, ad solium accedentes, coram Pontifice genua flexi (adstantibus utrimque Concilii Secretario et Sub-Secretario nomina adnotantibus Patrum) manum dexteram libro ante Pontificem posito apponentes haec verba, sive latine, sive ar obice, sive armeniace, sim bulgarice, sive chaldaice, sive graece; sive syriace, clare distincteque pronunciarunt: « Ego N. N. spondeo, voveo et iuro iuxta formulam praelectam. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Haec actio nihilominus duas fere horas perduravit, qua completa, Pontifex surgens hymnum Te Deum *cantu incepit, quo per Cantores et Patres completo, solemnem benedictionem est impertitus, atque ita soluta est Sessio. Denunciata dies non est ad alteram habendam Sessionem, propterea quod complures Patres in sermones facile diffunderetur, neque praevideri posset quando Decreta parata forent.*

In eadem tamen Sessione distributus est Patribus libellus Methodum désignons, qua actiones conciliares in futuris Sessionibus administrabuntur, et tenoris est qui sequitur.

METHODUS

SERVANDA IN SESSIONIBUS SACRI CONCILII OECUMENICI QUOD IN PATRIARCHALI BASILICA S. PETRI IN VATICANO CELEBRABITUR.

« 1. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres ad Basilicam Vaticanam accedent, et adorato Sanctissimo Sacramento, induent sacra paramenta coloris *rubri* sibi respective propria et mitras, et statim accedent ad aulam, ubi facta Cruci altaris inclinatione, locum ab Assignatoribus indictum occupabunt.

•2. Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Missam lectam celebraturus sacras vestes induet in sacello Gregoriano B. Mariae Virginis, et Summi Pontificis adventum praestolabar.

3. Eminentissimus Cardinalis Prior Presbyterorum induet pluviale coloris *rubri,* et in loco suo post Cardinales Episcopos sedebit.

4. Eminentissimus Cardinalis Diaconus Evangelium in actione synodali cantaturus in sacello praedicto parabitur amictu, alba, cingulo, stola et dalmatica coloris *rubri,* atque, sumpta mitra, locum inter alios Eminentissimos Cardinales occupabit.

5. Subdiaconus Apostolicus induetur amictu, alba, cingulo et tunicella coloris pariter *rubri;* et prope altare in loco designato consistet.

6. Summus Pontifex ad Basilicam descendet, et adorato Sanctissimo Sacramento, perget ad aulam, et assistet Missae ab Eminentissimo Cardinali celebrandae.

7. Eminentissimi Cardinales et Reverendissimi Patres assistent in suis locis Missae praedictae.

8. Summus Pontifex textum Evangelii osculabitur, et liber ministrabitur a digniori Eminentissimo Cardinali, qui pariter suo tempore porriget ipsi Summo Pontifici pacis instrumentum.

9. Expleta Missa, discedet Cardinalis qui Sacrum celebravit, et sacras vestes in praefato sacello deponet, et assumptis paramentis ordini convenientibus, ad aulam redibit inter alios Eminentissimos Cardinales.

10. Expleta Missa, Summus Pontifex a duobus Eminentissimis Cardinalibus Diaconis antiquioribus associabitur, et ad sedem eminentem ascendet, in qua sedebit.

11. Clerici Capellae removebunt faldistorium e medio Presbyterii.

1°2. Per subsacristam super altare paramenta pro Summo Pontifice prius disposita ordinabuntur.

13. R. P. D. Sacrista ad altare accedet pro diribendis sacris vestibus Papae.

14. Votantes ad altare pro deferendis sacris vestibus praedictis, quas deferent ad solium.

15. Summus Pontifex, adiuvantibus Cardinalibus Diaconis assistentibus, stolam et mozzettam exuet, atque ab eisdem ornabitur amictu, alba, cingulo, stola, pluviale, formale, ac mitra.

16. Clerici Capellae locabunt super altare thronum pro reponendo codice S. Evangelii.

17; Episcopus Concilii Secretarius de loco suo descendet, et, facta Summo Pontifici reverentia, ad Credentiam accedet. Tum omnibus surgentibus, idem Episcopus nemini reverentiam faciens,

detecto capite, S. Evangelii codicem ad altare deferet, quem super parato throno statuet.

18. Locato super altare codice S. Evangelii, Episcopus Secretarius locum suum inter Officiales occupabit.

19. A Clericis Capellae parabitur faldistorium in plano solii.

20. Cardinalis primus Diaconus asssistens alta voce dicet: *Orate.*

21. Summus Pontifex, deposita mitra, procumbet super faldistorium; reliqui omnes in propriis locis genua flectent.

22. Interim praesto erunt duo Episcopi cum libro et candela.

23. Post breve temporis spatium surget tantum Summus Pontifex et leget in tono feriali alta voce orationem *Adsumus*, *Domine,* etc. in cuius fine omnes respondebunt *Amen.*

24. Cardinalis secundus Diaconus assistens primus omnium surget et dicet alta voce: *Erigite vos.*

25. Omnes surgent et stabunt.

26. Cantores cantabunt antiphonam *Exaudi nos, Domine etc.*

27. Cardinalis primus Diaconus iterum dicet alta voce : *Orate.*

28. Omnes iterum genua flectent et aliquantulum orabunt.

29. Cardinalis secundus Diaconus omnium primus assurget et dicet alta voce: *Erigite vos.*

30. Omnes surgent et stabunt, ut prius.

31. Summus Pontifex canet in tono feriali orationem *Mentes nostras,* etc.

32. Completa oratione, omnes iterum procumbent, sine mitra, excepto Summo Pontifice, qui mitra simplici utetur.

33. Duo cantores genuflexi in presbyterio litanias cantabunt.

34. Summus Pontifex, ubi notatum est, surget solus, et manu sinistra tenens Crucem loco baculi pastoralis ter benedicet Synodo dicens : *Ut hanc sanctam Synodum,* etc.

35. Perficientur Litaniae.

36. Surgent omnes et stabunt.

37. Summus Pontifex dicet: *Oremus.*

38. Cardinalis primus Diaconus: *Flectamus genua;* et omnes genuitectent praeter Summum Pontificem.

39. Cardinalis secundus Diaconus dicet: *Levate;* et omnes surgent.

40. Summus Pontifex recitabit in tono feriali orationem *Da quaesumus,* qua completa, resumet mitram, ad sedem redibit, et in ea sedebit.

41. Cardinales et Patres sedebunt et mitra se operient.

42. Cardinalis Diaconus Evangelium cantaturus et Subdiaconus Apostolicus accedent ad credentiam et manipulum assument

43. Idem Cardinalis Diaconus accipiet librum Evangeliorum, quem ritu consueto deferet et ponet super altare.,

44. Accedet ad solium et osculabitur manum Summi Pontificis.

45. Acolythi Signaturae Votantes cum candelabris, et Subdiaconus Apostolicus ante altare.

46. Cardinalis Presbyter assistens ad solium accedet.

47. Papa, ministrante eodem Cardinali Presbytero, ponet incensum in thuribulum cum benedictione.

48. Cardinalis Diaconus ante altare genuflexus recitabit orationem *Munda cor meum,* etc. et accepto libro de altari, se adiunget Subdiacono et Acolythis.

49. Cardinalis Diaconus, Subdiaconus Apostolicus, Acolythi et Thuriferarius ad solium pro benedictione.

50. Accepta, ut supra, benedictione, cantabitur Evangelium.

51. Ad cantum Evangelii omnes surgent capite detecto, deposito etiam pileolo.

52. Cantato Evangelio, Summus Pontifex osculabitur librum a Subdiacono porrectum et incensabitur a Cardinali Presbytero assistente, qui post thurificationem ad solium revertetur.

53. Cardinalis Diaconus et Subdiaconus Apostolicus deponent manipulum et ad loca sua regredientur.

54. Acolythi et thuriferarius candelabra et thuribulum deponent.

55. Reponetur per Clericos Capellae faldistorium in plano solii.

56. Summus Pontifex, deposita mitra, accedet ad faldistorium.

57. Duo Episcopi cum libro et candela.

58. Summus Pontifex ex libro sibi oblato a Cardinali Presbytero assistente, praecinet hymnum *Veni, creator Spiritus,* et procumbet snper faldistorio.

59. Reliqui omnes in suis locis genua flectent; et nudato capite.

60. Cantores prosequentur hymnum.

61. Finito primo versu, Summus Pontifex surget et stabit in sede sua.

62. Reliqui omnes surgent et stabunt in suis locis.

63. Removebatur faldistorium e plano solii.

64. Duo Episcopi cum libro et candela.

65. Summus Pontifex, expleto hymno, cantabit versiculum et orationem ex libro, quem Cardinalis Presbyter sustinebit.

66. Duo cantores cantabunt y. *Benedicamus Domino,* et responso *Deo gratias,* discedent cantores omnes ex aula et remanebunt in sacello Gregoriano B. Mariae V.

67. Summus Pontifex sedebit et resumet mitram.

68. Reliqui omnes sedebunt cum mitris.

69. Per Praefectum Caeremoniarum dimittentur qui locum non habent in^Concilio, nempe

Magister sacri Hospitii.

Reliqui Praelati qui non sunt officiales, exceptis Subdiacono Apostolico et Decano S. Rotae.

Cubicularii omnes secreti et honoris, duobus tantum de numero participantium exceptis, qui inservient Summo Pontifici.

Capellani secreti et communes.

Camerarii extra.

Acolythi et Clerici Capellae.

Ostiarii de virga rubea.

Caudatarii.

70. Dimissis itaque qui nequeunt interesse actionibus sequentibus, claudetur ab extra ostium aulae ob ostiariis.

71. Ad aulae conciliaris ianuam maiorem et ad alias minores vigilabunt ab extra Ostiarii, et ab eis custodientur.

72. In sacello B. M. V. et in altero S. Petronillae, ianuis internis clausis, morabuntur qui locum non habent in Concilio.

73. Episcopus Secretarius una cum alio Episcopo, qui decreta lecturus erit, accedent ad solium, et facta prius profunda reverentia ante gradus solii eiusdem, ad Summum Pontificem accedent, cui osculabuntur eius genu dexterum.

74. Summus Pontifex tradet Decreta ia eadem Sessione promulganda, vel ipsi Secretario, vel alteri Episcopo, qui leget Decreta.

75. Secretarius vel alter Episcopus ascendet ambonem, quo conscenso, versus Summum Pontificem profundam reverentiam faciet: tum detecto capite leget titulum Decretorum nempe: *«Pius Episcopus servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad per-*

petuam rei memoriam. » Tum se cooperiet mitra, sedebit, et leget Decreta in ipsa Sessione approbanda.

76. Lectis Decretis, stans detecto eapite interrogabit formula statuta Cardinales et Patres, an placeant Decreta modo lecta.

77. Secretarius, vel alter Episcopus, qui legit Decreta, descendet de ambone et ad locum suum revertetur.

78. Scrutatores cum notariis accedent ad medium presbyterii et, facta Summo Pontifici genuflexione, accedent ad Cardinales et Patres et recipient eorum suffragia.

79. Procedent, comitante altero\ex caeremoniarum magistris, scrutatores suffragiorum bini et bini, quibuscum notarii Concilii ita iungentur, ut duo scrutatores unum ex Concilii notariis adiunctum habeant. Hi vero munus colligendi Patrum suffragia ita obibunt, ut per quatuor principales aulae Concilii partes distributi, terni simul (duo nempe scrutatores et unus Concilii notarius) accedent ad partem aulae sibi pro hac re assignatam, ibique singillatim Eminentissimorum Cardinalium, itemque Patriarcharum suffragia exquirent iuxta ordinem sedendi; Primatum vero, Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque Concilii Patrum singulorum suffragia rogabunt pariter iuxta ordinem sedendi, stantes in plano aulae Concilii; singulorum autem suffragia accurate describent.

80. Cardinales et Patres suffragium proferent elata voce per verbum *Placet,* aut *Non placet,* sedentes cum mitris. Abbates et alii, quibus ex privilegio datur suffragium proferre, assurgent detecto capite, et facta versus Summum Pontificem genuflexione, verbum *Placet* vel *Non placet* pronuntiabunt.

81. Cum in una ex praedictis aulae partibus suffragia omnia collecta fuerint, duo isti scrutatores cum notario, qui suffragia in ea parte collegerunt, accedent ad tabulam secretarii in medio positam, ibi suffragia collecta computabuntur, et raferetur in Acta, utrum omnibus, qui suffragia dederunt, Decretum placuerit, an sint nonnulli quibus nonnisi cum aliqua mutatione aut conditione placeat, vel omnino non placeat.

82. In digerendis atque numerandis Patrum suffragiis per scrutatores collectis, Secretarius praesto erit, ut iuxta formulam antea pro diverso eventu deliberatam, ea quae ex computatione omnium sufragiorum provenient, scripto consignet.

83. Tum scrutatores cum Secretario ad solium accedentes suffragiorum summam rite consignatam Summo Pontifici subministrabunt, ut per supremam eius auctoritatem accedat confirmatio et habeatur promulgatio.

84. Summus Pontifex alta voce Decreta confirmabit praescriptam pronuntians solemnem formulam nempe: « Decreta modo lecta placuerunt Patribus, nemine dissentiente *(vel si qui forte dissenserint* tot numero exceptis) Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus, statuimus atque sancimus, ut lecta sunt. »

85. Secretarius, ritu superius notato, iterum ad Summum Pontificem accedet et recipiet ab eo Decretum indictionis futurae Sessionis.

86. Secretarius ambonem conscendet et ritu prius praescripto futuram Sessionem intimabit, descendet de ambone et sedem suam petet.

87. Protonotarii accedent ante ultimum gradum solii a sinistro latere.

88. Promotores pariter ad solium accedent et in medio infimi gradus genuflexi rogabunt Protonotarios, ut de omnibus quae acta sunt in hac Sessione, unum aut plura instrumentum vel instrumenta conficiant.

89. Protonotarius senior respondebit *Confidemus vobis testibus,* innuens Praepositum domui pontificiae et Praefectum cubiculi, qui pro hoc actu prope dexterum solii latus consistent.

90. Aperietur ostium aulae conciliaris, et qui prius discesserunt, locum sibi debitum occupabunt.

91. Duo Episcopi pro libro et candela ad solium.

92. Cardinalis Presbyter assistens iterum ad solium.

93. Summus Pontifex, deposita mitra, surget et ex libro, quem Cardinalis Presbyter assistens tenebit, praecinet hymnum *Te Deum laudamus,* qui prosequetur a choro cantorum alternatim cum clero.

94. Circa finem hymni accedent ante gradus solii duo acolythi Signaturae Votantes cum candelabris.

95. Duo Episcopi pro libro et candela.

96. Completo cantu hymni praefati, Summus Pontifex cantabit ℣. *Dominus vobiscum* et orationem praescriptam ex libro a Cardinali Presbytero oblato.

97. Interim Subdiaconus Apostolicus Crucem Papalem deferet ante gradus solii.

98. Compléta oratione, Summus Pontifex populo benedictionem dabit: *Sit nomen Domini,* etc.

99. A Clericis Capellae reponetur faldistorium ante altare.

100. Cardinalis primus Diaconus mitram Summo Pontifici reponet, qui de solio descendet et ante altare parumper orabit.

101. Tum Summus Pontifex surget a faldistorio, Cruci altaris reverentiam faciet, Patribus benedicet, et consueto comitatu revertetur im proximum sacellum Gregorianum B. M. V. in quo sacras vestes deponet, et resumpta mozzetta et stola, ad suas aedes remeabit.

102. Eminentissimi Cardinales extra aulam pro lubitu sacra paramenta deponent.

103. Reverendissimi Patres discedent de aula et in paratis sacellis Transfixionis B. M. V. et S. Sebastiani sacras vestes deponent, et resumptis vestibus ordinariis discedent».

DE CONGREGATIONIBUS GENERALIBUS

Octava generalis Congregatio habita est die **8** *Ianuarii in qua, celebrata Missa de Spiritu sancto per Archiep. Primatem Gnesnensem et Posnaniensem Ledochowshi, recitatisque de more precibus, primus Praeses denunciava Synodo, Pontificem per chirographum die* **4** *Ianuarii deputasse E.mum Cardinalem Bizzarri in praesidem Consilii pro rebus ad Ordines regulares pertinentibus. Inde prosequuti sunt Patrum sermones de primo schemate, atque quatuor sunt loquuti, videlicet Iosephus Valerga, Patriarcha Hierosolymitanus, qui, ratione exilis vocis, scriptum alteri legendum dedit — Ioannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemensis — Victor Bechamps, Archiep. Mechliniensis — Andreas Raess Episcopus Argentinensis. Inde dimissa est Congregatio, quaeque in diem decimam prorogata est, atque simul Patribus duo alia schemata sunt distributa quae dé re ad ecclesiasticam disciplinam pertinente agunt.*

Die .decima Ianuarii iterum habita Congregatio, eaque ordine nona, de more hora nona ante meridiem, Missam celebravit Iosephus Checa Archiep. Quitensis, atque septem Patres sunt loquuti, id est, Thomas Salzano, Episcopus Tanensis in part. inf. — Simon Spilotros, Episcopus Tricarieensis — Guillelmus Meignan, Episcopus Cathalaunensis — Stephanus Ramadiè, Episcopus Elnensis — Emmanuel dei Valle, Episcopus Huanucensis -~ Georgius Chaiat, Archiepiscopus Amidensis Caldaeorum — Ludovicus Haynald, Archiepisc. Colocensis et Bacsiensis — Iosephus Papp - Szilaggi de Ules f alva, Episcopus Magno - Varadiensis Graecorum ritus Rhumeni.*

Post eiusmodi sermones Patrum, quorum plusquam triginta de primo hoc schemate dogmatico scimus esse loquutos, schema per Concilii Praesides remissum est ad Consilium deputatum pro rebus ad fidem pertinentibus. Namque iuxta Constitutionem Multiplices, *quam Lectoribus nostris dedimus* pag. 231, *in* Art. VII §. Iamvero *haec cauta sunt:* «Si in ea quae habetur Congregatione exhibitum schema vel nullas, vel nonnisi leves difficultates in ipso congressu facile expediendas obtulerit,, tunc nihil morae erit, quominus, disceptationibus compositis, Decreti vel Canonis conciliaris, de quo agitur, formula, rogatis Patrum suffragiis, statuatur. Sin autem circa schema praedictum huiusmodi oriantur difficultates, ut, sententiis in contraria conversis, via non suppetat, qua in ipso conventu componi possint, tum ... Cardinales eiusdem generalis Congregationis Praesides curabunt, ut schema, de quo agitur, una cum obiectis difficultatibus examini subiiciatur illius ex specialibus Deputationibus ad quam iuxta assignata cuique rerum tractandarum genera pertinere intelligitur. Quae in hac peculiari Deputatione deliberata fuerint, eorum relatio typis edita Patribus diribenda erit etc. »

Itaque quum variae difficultates exortae essent, Praesides Concilii edixerunt, ut propositum schema ad Consilium, pro rebus ad fidem pertinentibus deputatum, remitteretur. Quid inde factum fuerit, quoad noscimus, hoc est : ex officio sermones omnes Patrum in brevissimam Synopsim sunt redacti, atque, ad instar adnotationum, Patrum animadversiones et opiniones adiectae sunt eidem schemati, illudque adnotationibus auctum propositum est eiusdem Consilii Patribus; hi Patres, per nonnullos ex ipsis delectos, schema iterum concinnarunt ita, ut animadversiones quae difficultatem

non admitterent, illico reciperent, alias autem in concinnando schemate in consideratione haberent. Hac de causa dictum Consilium in speciales wit Congregationes (1). *Quod schema ita reformatum, atque adnotationibus auctum reproponitur Synodo iuxta Constitutionem* Multiplices.

In Congregatione, ordine decima, quae habita est die 14 *Ianuarii Missam celebravit Ioachim Limberti, Archiepiscopus Florentinus; atque inde Patres inscripserunt in schedulis, iam in antecedenti Congregatione distributis, nomina eorum, quos vellent constituere Consilium pro rebus ritus orientalis, atque indicatum praeterea est hoc in Consilio esse quoque agendum de missionibus apostolicis.*

Inscriptis depositisque in urna schedulis, novi incepti sunt Patrum sermones de sehematibtis quae ad disciplinam pertinent, atque, uti fertur, loquuti sunt Card. Fridericus Schwarzenberg, Archiepiscopus Pragensis — Card. Iacobus Mathieu, Archiep. Bisuntinus — Paulus Ballerini, Patriarcha Alexandrinus — Ioannes Simor, Archiepiscopus et Primas Strigoniensis — Benvenutus Monzón y Martins, Archiepiscopus Granatensis. Inde distributa quoque sunt alia eiusdem generis schemata.

In eadem Generali Congregatione primus Praeses Card. De Angelis in memoriam revocavit Pontificis iussum in Constitutione Multiplices *indictum de secreto servando, tum a Patribus, tum ab iis omnibus, qui Synodo inserviunt. Hoc Monitum ea praecipue de causa factum est, quod nonnullae effrontés ephemerides referrent, quae in Concilio dicerentur agerénturque, quamquam partim vera partim falsa; id autem oriebatur ex notitiis transmissis forte ab uno vel altero, qui Secretum Pontificium parvi facientes, dignitatisque Apostolicae Sedis in gerendis Ecclesiae negotiis penitus ignari, sibi facultatem sumpserant, de rebus conciliaribus quae*

(1) Inceptae sunt iam Congregationes speciales, seu Consilium pro rebus fidei a Synodo deputatum convocatum est die septima Ianuarii in aedibus Vaticanis, quae appellari solent aedes *Tributi;* iterumque coadunatum est die nona et undecima.

Die autem Dominico 23 eiusdem mensis convocatum est in aliis Vaticanis aedibus Consilium a SS.mo D. N. deputatum pro excipiendis propositionibus, quae a Patribus proponantur, atque in eo variae discussiones habitae fuerunt de admissione quorundam propositionum, deque ordine quo essent Synodo proponendae.

sub Secretum cadunt, Ubere loquendi aliisque communicandi hac in re suam sapientiam collocantes.

Documentum, quod singulis Patribus fuit distributum, (quodque per catholicas ephemerides publici iuris factum esse vidimus, sicut et aliud quod subnectimus) tenoris est qui sequitur.

MONITUM

« *Eminentissimorum Praesidum Congregationum Generalium publicatum in Congregatione Generali die 14 Ianuarii 1870.*

« In Sacrosancto Concilio Tridentino, die 17 Februarii an. 1562, Cardinales Praesides graviter Patres admonuerunt, ne ea, quae examinanda proponebantur, evulgarent, antequam in publica Sessione ederentur, recitatis per Secretarium Angelum Massarelli verbis sequentibus: «Reverendissimi Patres! Sciunt Dominatio-
« nes Vestrae, quam indignum sit, quamque indecens, ut Decreta
« et alia, quae Patribus examinanda, proponuntur, antequam fir-
« mentur, et in publica Sessione edantur, evulgentur. Quare
« Illustrissimi DD. Legati et Praesides admonent atque etiam
« hortantur Dominationes Vestras, ut pro honore atque existi-
« matione huius Sacri Concilii et ad obviandum scandalis, quae
« oriri possent, Decreta et alia quaecumque, quae examinanda
« proponuntur, non evulgent, neque eorum exemplum alicui extra
« gremium Concilii exhibeant, neve extra civitatem ad aliquos
«transmittant; idque, ne a suis familiaribus fiat, severissime
« prohibeant.

« Iamvero, quoniam sine magno animi nostri dolore et iusta bonorum omnium offensione id modo accidit, de quo suo tempore lamentabantur Cardinales Concilii Tridentini Praesides, idem monitum instaurare cogimur, atque illud iis omnibus serio inculcare, qui in litteris Apostolicis, *Multiplices inter n. III*, recensentur, videlicet, omnibus et singulis Patribus, Officialibus Concilii, Theologis, Sacrorum Canonum peritis, ceterisque, qui operam suam Patribus vel Officialibus praedictis quovis modo in rebus huius Concilii praebent, maxime quum ob effrenem publicarum ephemeridum licentiam multo maiora scandala ex secreti violatione nascantur, et habeatur in iisdem Apostolicis Lit-

teris expressum Summi Pontificis de secreto servando preceptum sine gravis culpae reatu transgredi nemini licet.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 14 Ianuarii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

In eadem Congregatione altera commendatio facta est, verbis quae sequuntur.

MONITUM

« Eminentissimorum Praesidum Congregationum Generalium, publicatum in Congreg. Generali die 14 *Ianuarii* 1870 ».

« Plurimorum Patrum desiderio non semel expresso adhaerentes monemus et enixe rogamus eos omnes, qui loqui volent in Congregatione generali, ut quantum fieri potest, maxima brevitate utantur in suis proponendis et explicandis animadversionibus, omittendo ea, quae proprie ad rem non pertinent, neque ex integro repetendo, quae fortasse ab aliis Patribus iam adnotata fuerint ».

« E Secretaria Concilii Vaticani die 14 Ianuarii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concili.

In Congregatione Generali undecima, quaeque habita est die **15** *Ianuarii, celebrata Missa per Carolum Pooten, Archiepiscopum Antibarensem et Scodrensem coepti sunt Patrum sermones de schematibus propositis, quae ad disciplinam ecclesiasticam referuntur, atque sex Patres sunt loquuti, iique, uti fertur, sunt Ioannes Losanna, Episcopus Bugellensis - Iosephus Caixal y Estrade, Episcopus Urgellensis - Ioannes Devoucoux, Episcop>us Ebroicensis - Ioachim Lluch, Episcopus Salamantinus et Civitatensis - Salvator Demartis, Episcopus Galtellinensis et Nornensis - Ferdinandus Ramirez y Vasquez, Episcopus Pacensis.*

In Congregatione Generali duodecima, .habita die 19, *Missam ritu Ambrosiano celebravit Aloisius Nazari de Cailabiana, Archiepiscopus Mediolanensis, atque: inde promulgata sunt nomina eorum, qui, scrutinio peracto j maiora retulerunt suffragia ad componendum ultimum a Synodo deputatum Consilium pro rebus ritus orientalis, cui Consilio commissum quoque est officium de Missionibus Apostolicis agendi; documentum autem eat hoc quod sequitur.*

DEPUTATIO

PRO REBUS RITUS ORIENTALIS IN QUA TRACTABITUR ETIAM DE APOSTOLICIS MISSIONIBUS

« Peracto scrutinio Schedularum, quae exhibitae sunt in Congregatione Generali habita Feria VI die decimaquarta vertentis mensis, maiori suffragiorum numero inventi sunt electi ».

REVERENDISSIMI PATRES

« L Petrus Bostani Archiepiscopus Tvreusis et Sydoniensis rit. Maronit.

2. Vincentius Spaccapietra Archiepiscopus Smyrnensis
3. Carolus Lavigerie Archiepiscopus Algeri ami s
4. Cyrillus Behnam Benni Episcopus Mausiliensis rit. Syr.
5. Ambrosius Basilius Abdo Episcopus Mariamnensis ritus Graeco-Melchit.

(i. Ioseph Papp-Szilagyi Episcopus Magno-Varadiensis ritus Graeco-Rh umen.

7. Aloisius Ciurcia Archiepiscopus lrenopolitanus
8. Aloisius Gabriel de la Place Episcopus Hadrianopolitanus
9. Stephanus Ludovieus. Gharbonneaux Episcopus lassensis

K). Thomas Grant Episcopus Southwarcensis

11. Hilarius Alcázar Episcopus Paphensis
12. Daniel Macr-Getti ngan Episcopus Rapotensis
13. Iosephus Pluym Episcopus Nicopolitanus.
14. Melchior Na sari an Archiepiscopus Mardensis rit. Armen.

15. Stephanus Melchisedechian Episcopus Erzerumiensis rit. Armen.
16. Augustinus Georgius Bar-Scinu Episcopus Salmasiensis rit. Ghald.
17. Ioannes Lynch Episcopus Torontinus
18. Ioannes Marango Episcopus Thinensis et Miconensis
19. Franciscus Ioannes Laouenan Episcopus Flaviopolitanus
20. Antonius Carolus Gousseau Episcopus Engolismensis
21. Ludovicus Goesbriand Episcopus Burlingtonensis
22. Iosephus Valerga Patriarca Hierosolymitanus
23. Iacobus Quinn Episcopus Brisbanensis
24. Carolus Poirier Episcopus Rosensis

E Secretaria Concilii Vaticani die 18 Ianuarii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secret. Com-. Vatic.

Prosequuti deinde sunt Patrum sermones ac sex sunt loquuti; iique, ut fertur, sunt Vincentius Spacca pietra, Archiepiscopus S my mensis - Georgius Darboy, Archiep. Parisiensis - Paulus Melchcrs, Archiepiscopus Coloniensis - Franciscus Gandolfi, Episcopus Centumcellarum et Cornetanus - Livius Parlatore Episcopus S. Marci et Bisinianensis - Praesul de Charbonnel iam Episcopus Torontinus nunc Sozopolitanus in part.

In Congregatione Generali tertiadecima, habita die 21 *Ianuarii S. Agneti Virgini et Martyr i sacra, Missam celebravit ritu Maronitico loseph us Giorgia Archiepiscopus Cyprensis : quum difficile esset Patribus actiones sacratissimas intelligere ob ritus a latino longe diversos, Caeremoniarum Magister easdem interim Patribus elata voce significabat: eiusmodi Missae celebratio horam fere perduravit. Distributo dein Patribus altero schemate, quod de re dogmatica agit, alacriter prosequuti sunt Patrum sermones de rebus disciplinae; quinque autem sunt loquuti, id est Guillelmus de Ke.it etc r, Episcopus Moguntin>us - Constantinus Ponet, Episcopus Gerundensis - Antonius Fania, Episc. Potentin us et Marsicensis -Praesul Casangian, Archiepiscopus Antiochenus Armeni ritus - Antonius Dupanloup, Episcopus Aurelianensis.*

[n Congregatione quartadecima habita die 22 *Missam celebravit Patritius Leahy, Archiepiscopus CasseUensis, atque inde loquuti sunt Petrus Dreux-tìrèxé, Episcopus Monimentis - Nico-*

laus Pace, Episcopus Amerinus **r-** *Ioan. Baptista Ormaechea, Episc, de Tulancingo - Nicolaus Darbert, Episcopus Petrocoricensis - Iosephus Moreyra, Episcopus de Guamagna seu Ayacuquensis. Inde alterum schema distributum est Patribus de re dogmatica, quodque, uti fertur, agit satis ample* de Ecclesia.

In Congregatione decimaquinta habita die ^Ianuarii Missam celebravit Iosephus SanfAlemany, Archiepiscopus S. Francisci, et quatuor Patres deinde sunt loquuti, id est Franciscus Casula, Episcopus Uxellensis et Terralbensis - Iosephus Strossmayer, Episcopus Bosnensis et Syrmiensis - Iesualdus Vitali, Episcopus Ferentinus - Ioannes Faiet, Episc. Brugensis.

In Congregatione decimosexta, habita die **25** *Missam celebravit Alexander Angeloni, Archiepiscopus Urbinatensis, atque inde sex Patres loquuti sunt de eadem re ad ecclesiasticam disciplinam pertinente, iique sunt Ioan. Baptista Swerger, Episcopus Lecoviensis - Amabilis hachât, Episc. Basileensis - Stephanus Melchisedechian, Episcopus Erzerumiensis Armenorum - Laurentius Gastaldi, Episcopus Salutarium - Card. Camillus di Pietro, Episcop. Albanensis - Iosephus Audu, Patriarcha Babylonensis Chaldaeorum.*

Hisce sermonibus clausa est series eorum Patrum, qui loqui petierant super primis schematibus propositis de rebus disciplinae agentibus, quorum sermocinano incepta est a Congregatione undecima: eadem schemata remissa sunt ad Consilium a Synodo deputatum pro rebus disciplinae iuxta Litteras Apostolicas, Multiplices inter. *Denique facultas facta est loquendi de aliis iam distributis schematibus ad disciplinam pariter pertinentibus, atque unus tantum in Congregatione de qua agimus sermones aperuit, idest Cardinalis Ludovicus de La Lastra Archepiscopus Hispalensis.*

Ex hactenus dictis expositisque documentis Lectores nostri prae oculis habent integram methodum, qua Concilium Vaticanum constitutum est atque hactenus processit: idque habent continuata actorum et narrationum serie; hac gravi de causa intermisimus parumper methodum nostrarum ephemeridum, quam ut iterum prosequamur breviores erimus in referendis nostris notitiis aliunde haustis.

Congregationes itaque generales de more sunt prosequutae, et die 27 *Ianuarii sex Patres sunt loquuti de schemate proposito, quod ut fertur* de vita et honestate clericorum *agit : in ea nunciatus est Patribus obitus Francisci Suarez Peredo, Episcopi Verae Crucis, eorundemque precibus commendatus.*

Die 28 *quatuor Patres sermones prosequuti sunt.*

Die 31 *publicatae sunt nonnullorum Patrum excusationes a Consilio Iudicum excusationum et controversiarum recognitae et probatae de his videlicet qui Romam convenire haud potuerunt sive propter infirmitatem vel senectutem, sive propter necessitates ecclesiarum, spirituales vel temporales, qui omnes vigintiseptem numerantur: item causae quatuor Patrum sunt pariter publicatae ab eodem Consilio iam recognitae, qui veniam in diocesim redeundi petierunt: horum omnium nomina in distincto elencho daturos speramus quando completa erunt. Inde quinque Patres sunt loquuti, atque obitus nunciatus est Bernandi Mascarou-Laurence, Episcopi Tarbiensis, cuius mors praeclaris adiunctis coronata est.*

Die 3 *Februarii prosequuta est Congregatio, atque in ea septem Patres sunt loquuti; et Patrum precibus commendatus est Marianus Puigllat y Amigo, Episcopus Illerdensis, qui mortis periculo detinebatur, quique superveniente nocte decessit.*

Die 4 *Februarii quinque alii sunt loquuti.*

Die 7 *quatuor prosequuti sunt sermones.*

Die 8 *sex alii numerum absolverunt, atque clausa est sermocinano de tertio schemate ad disciplinam pertinente, quod iuxta Litteras Apostolicas* Multiplices *remissum est ad Consilium deputatum pro rebus ecclesiasticae disciplinae* (1).

Die 10 *Februarii nova Congregatio habita est atque incepti sunt Patrum sermones de novo schemate, quod uti, fertur* de parvo cathechismo *agit. Multi Patres nomina ad loquendum de eo iam dederant, atque in hac Congregatione septem sunt loquuti.*

Die 14 *Prosequuta est Congregatio, atque in ea publicatum est documentum a Iudicibus controversiarum exhibitum, quod teneris est qui sequitur.*

(1) Consilium pro rebus ecclesiasticae disciplinae deputatum convocatum est prima vice die 9 Februarii in aedibus Vaticanis quae Tribuli appellantur.

Eminentissimi Praesides
Eminentissimi et Reverendissimi Patres t

« Perfertur ad notitiam Reverendissimorum Concilii Patrum, quod Reverendissimi Domini, Archiepiscopus Antibarensis, Archiepiscopus Mechliniensis et Archiepiscopus Salernitanus, quibus locus inter Archiepiscopos assignatus fuerat, suas querelas ea de re ad Iudices querelarum et Controversiarum detulerant, postulantes, ut sibi locus inter Primates assignaretur, Praedicti autem Iudices, suo munere fungentes, et rationes ab eisdem Reverendissimi^ Dominis allegatas sedulo expendentes, cum ex allatis documentis ipsis constaret, de facto cos vocatos fuisse Primates, rem ita composuerunt, ut décernèrent, eosdem manutenendos esse in eadem Primatus possessione durante Concilio oecumenico Vaticano, quin exinde ullum ius datum vel aliis imminutum censeatur ad formam Litterarum, Apostolicarum *Multiplices inter* diei 27 Novembris 1869, salvo iure experiundi tituli valorem in formali iudicio ».

« Ex Secretaria Concilii Vaticani die 12 Februarii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concil.

Item nonnulla alia Patrum nomina publicata sunt, qui ob urgentes suarum dioßcesmm necessitates discendendi veniam peierant, quorum ça usae recognitae et approbatae erant ab eodem Consilio Iudicum excusationum.

*hiñe quinque Patres sunt loquuti ac denique obitus nunciatus est Basilii Gil y Bueno, Episòopi Oscensis et Marbasirensis**

Die **15** *prosequuta est Congregatio atque septem alii swnt de eodem schemate loquuti.*

Die 18 *facta relatione de nonnullis Patribus qui ratione valetudinis vel senectutis Gogregdtionibu/***S** *intervenire non possent, septem Patres prosequuti sunt sermones**

Die 21 *Februarii de eodem schemate septem sunt loquuti**

Die 22 *Februarii septem Patres sunt loquuti atque cum his clama est sermocinano de schemate indicato. Nova materia de re ecclesiasticae disciplinae distributa, Decretum publicatum est continens novam quandam methodum qua synodus inde administraba ur.*

Viderunt hactenus Lectores nostri quanta data sit Patribus loquendi libertas, quae forsan aliis in synodis data non est. In hac nova methodo datur quoque ampla facultas scribendi, ita ut Patrum mentes et in synodo et domi in studium rerum conciliorum incumbant. Labor autem maximus et impensissimuS gravabit singula Consilia a Synodo deputata. Res autem ita sunt perbelle compositae, id dum libertas Patribus non denegatur, vicissim non denegetur Synodo facultas <cohibendi allocutiones, quas sibi inanes snperfluasque existimaverit. Unde hoc secundo rerum gradu opus fervebit. Decretum itaque tenoris est qui sequitur.

DECRETUM

« Apostolicis Litteris, die 27 Novembris anno proxime superiori editis, quarum initium « *Multiplices inter* » Summus Pontifex ordinem generalem constituit in Vaticani Concilii celebratione servandum ; in iisque, praeter alia, certas quasdam regulas tradidit quibus ratione disceptationum a Patribus habendarum consuleretur.

« Iam vero ipse Sanctissimus Dominus propositum sibi finem facilius assequi cupiens, nec non rationem habens expostulationum quae a plerisque Concilii Patribus haud semel exhibitae sunt ex eo quod disceptationum Conciliarium series in longum plus aequo protrahatur; ex apostolica sua sollicitudine quasdam peculiares pro Congregationum Generalium discussionibus tradere normas constituit, quae praestitutum Generalem ordinem evolvendo, atque integram servando eam discussionum libertatem, quae Catholicae Ecclesiae Episcopos deceat, pleniori expeditiorique ratione ad rerurh tractandarum examen, disceptationem, et deliberationem conferrent.

« Quamobrem Cardinalibus Congregationum Generalium Praesidibus in consilium adhibitis, et quaesita etiam sententia Patrum peculiaris Congregationis recipiendis expendendisque Episcoporum propositionibus, idem Sanctissimus Dominus Noster sequentes ordinationes edendas servandasque mandavit :

1. Distributo schemate Concilii Patribus, Cardinales Praesides Congregationum Generalium congruum tempus praefigeut intra quod Patres ipsi, qui aliqua in schemate animadvertenda censuerint, ea scripto tradere debeant.

2. Animadversiones hoc ordine exarandae erunt; ut primum illae scripto adnotentur quae schema generatim respiciunt sive integrum sive divisum, prout a Praesidibus indicatum fuerit: deinde illae quae ad singulas schematis partes referuntur, schematis ipsius ordine servato.

3. Qui ex patribus animadversiones vel in verba vel in paragraphos propositi schematis afferendas putaverint, novam verborum vel paragraphorum formulam subiicient in locum prioris in schemate substituendam.

4. Animadversiones a Patribus Concilii hac ratione exaratae et propria subscriptione munitae Secretario Concilii tradentur, eiusque opera ad respectivas Episcoporum Deputationes transmittentur.

5. Postquam huiusmodi animadversiones expensae fuerint in conventu eius Deputationis, ad quam pertinent, singulis Patribus distribuetur schema reformatum, una cum summaria relatione, in qua de propositis animadversionibus mentio fiet.

6. Schemate una simul cum supradicta relatione Patribus Concilii communicato, Cardinales Praesides diem statuent Congregationis Generalis in qua discussio inchoabitur.

7. Discussio fiet primum generatim de schemate integro vel diviso prout Cardinalibus Praesidibus visum fuerit, eaque absoluta, de unaquaque singillatim schematis ipsius parte disceptabitur; proposita semper in hac singularum partium discussione ab Oratoribus formula expensi schematis periodo vel paragrapho substituenda, ac Praesidibus post habitum sermonem scripto exhibenda.

8. Qui de reformato schemate loqui voluerint dum suum disserendi propositum Praesidibus significandum curabunt, innuere pariter debebunt utrum de toto schemate in genere, vel de eius partibus in specie acturi sint; et, quatenus in specie, de qua schematis parte sibi agendum esse statuerint.

9. Liberum erit cuique ex respectivae Deputationis Episcopis, impetrata a Praesidibus venia, Oratorum difficultatibus et animadversionibus respondere: ita tamen ut facultas ipsis sit vel statim post Oratoris sermonem eloqui, vel pluribus insimul Oratoribus eadem super re disceptantibus reponere, idque vel eodem vel alio die perficere.

10. Oratorum sermones intra fines propositi argumenti

cohibeantur. Si quem vero Patrum extra metas vagari contingat, Praesidum erit ad propositam quaestionem ipsum revocare.

11. Si discussionum series, re proposita iam satis excussa, plus aequo protrahatur, Cardinales Praesides, postulatione scripto exhibita a decem minimum Patribus, Congregationem Generalem percontari poterunt, an velit disceptationem diutius continuari: et exquisitis per actum assurgendi vel sedendi suffragiis, finem discussioni imponent, si id maiori Patrum praesentium numero visum fuerit.

12. Asoluta super una schematis parte discussione, antequam transitus fiat ad aliam, Cardinales Praesides suffragia Congregationis Generalis exquirent, primum quidem super propositis in ea ipsa discussione^ emendationibus, deinde super integro partis examinatae textu.

13. Suffragia tum super emendationibus, tum super singularum partium textu ita a Patribus Concilii ferentur, ut Praesides distinctis vicibus ad surgendum invitent primum eos qui emendationi vel textui assentiuntur, deinde eos qui.contradicunt: recensitis autem suffragiis, id decernetur quod maiori Patrum numero placuerit.

14. Cum de omnibus schematis partibus hac ratione suffragia lata fuerint, de examinato schemate Patrum sententias Cardinales Praesides rogabunt. Haec autem suffragia oretenus edentur per verba *placet* aut *non placet;* ita tamen ut qui conditionem aliquam adiiciendam existiment, suffragium suum scripto tradere debeant.

« Datum Romae die 20 Februari anno 1870 »,

PHILIPPUS Card. DE ANGELIS Praeses
ANTONINUS Card. DE LUCA Praeses
ANDREAS Card. BIZZARRI Praeses
ALOISIUS Card. BILIO Praeses
HANNIBAL Card. CAPALTI Praeses

Iosephus Episcopus Sancti Hippolyti Secretarius

EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

NULLITATIS MATRIMONII

Die 2(i Iunit et 18 Decembris 1869.

Compendium facti. In loco B. dioecesis N. in Italia, anno 1863 Aloisius, iuvenis rudis atque agrorum cultor, amores agere coepit cum Anna eiusdem loci et conditionis puella. Hic amor licet quadraginta quinque fere dies perduraverit, limites tamen ita praetergressus est, ut amantes ad sese cognoscendos impulerit. Sponsalibus iam initis, denunciationes ter habitae fuerant in ecclesia matrimonii praenuntia, quando Aloisius certior fit. Annam, quam honestam hectenus putaverat, a" quinque et amplius mensibus, uterum, alterius viri opera, gestare.

Animum illico mutat vir atque ineundarum nuptiarum propositum abrumpit.

At die 18 Iunii eiusdem anni, horis pomeridianis, nec opinus a duobus militibus, ex iis qui *nationales* in Itatia vocantur accitur, atque domum cuiusdam Michaelis eiusdem militiae Centurionis rapitur. Aderant ibi Politiae Procurator: Decurio cum duobus ex suis militibus, qui a civica securitate sunt, quique italice *Carabinieri* audiunt. Atque hic, quum Aloisius sciscitanti Decurione cur Annam uxorem ducere recusaret, respondisset, se ideo nolle, quod eam iam ventre gravem rescire!; tum ille pugnis iuvenem atque alapis impetit, et ad militarem Nationalium stationem ductum iterum verberibus afficit, omnibusque revictis mandat conficiendum in suam militarem stationem ubi ad noctem usque detinetur. Quum autem haec Aloisio propterea contingeret, quod mulierem iam sibi desponsatam atque cognitam non amplius uxorem ducere vellet, haec ipse cognoscens his in adiunctis dixisse fertur, se Annam uxorem ducere velle. Inde militari manu stipatus domum Annae adducitur.

Eo iam convenerant Centurio militiae nationalis, Decurio ipse, loci Syndicus, Tabellio, aliique. Accersitur etiam Parochus, qui causatus necessitatem eundi ad quendam infirmum, adesse renuebat; re tamen vera ideo renuebat quod nosset, agi tum de matrimonio per vim celebrando, neque paruit, nisi timore et ipse correptus, vel postquam ei suasum est, omnem ab ineundo matrimonio vim esse removendam.

Quid tum evenerit sic enarravit Aloisius in supplici libello SS.mo Patri exhibito: « se interrogatum a Syndico, an in matrimonium acciperet Annam, agitasse tantisper humeros in signum animi haesitantis et ex timore perplexi: quum tamen Politiae Procurator in se irruere animadverteret protenso baculo, se invitum Syndico responsum dedisse affirmativum, atque inde, actu civili, ut aiunt, exarato, omnes simul discedentes in ecclesiam sese contulisse, nocte iam multum protracta ».

Itaque comitantibus iis viris militibusque qui memorati sunt. qui et ipsi templum sunt ingressi et nuptiali ritui adesse voluerunt, tum Parochus petiit ab Aloisio, contentus ne esset, Annam sibi matrimonio iungere? cui ille, ut asserit, timore novarum percussionum, affirmativo modo respondit. Inde non domum suam redire, ut cubiebat, permittitur, sed ab ipsis militibus domum Annae reducitur, ubi lassitudine, ut ipse ait, victus seorsum humi cubavit.

Postridie vel biduo post, in aliam domum ab Annae patre assignatam concedunt coniuges, atque duos circiter menses convixerunt iurgiis inter eos dissidiisque numquam deficientibus.

Cum vero Anna, altero ab initis nuptiis mense exeunte, prolem enixa esset, Aloisius aufugit, per aliquot dies delituit, ac deinde domum paternam repetiit, neque amplius posthac mulieri uniri voluit licet Episcopus exsilio redux omnem lapidem moverit ad eundem cum Anna reconciliandum. Immo vero Aloisius anno 1867 penes curiam episcopalem institit, ut matrimonium cum Anna, ob vim metumque initum, irritum declararetur.

Episcopus itaque, vinculi defensore constituto, processum conficiendum per suum Vicarium iuxta Const. Bened. XIV. *Dei miseratione,* mandat. Audita est sub iureiurando utraque pars, quinque testes, septima manus tam viri, quam mulieris.

Absolutis actis die 3 Decembris 1867 Aloisius penes ipsam curiam institit, ut ad Causam citius dirimendam, prima iudicii

sede praetermissa, S. Congregationi Concilii causa cognoscenda remitteretur. Consentiente muliere, Episcopus processus tabulas die 5 Iunii 1868 ad S. C. transmisit, rogans SS.mum Patrem, ut « sanatis, si .quae sunt quoad formam, nullitatibus in actis (circa « quae Curiales huius parvae dioecesis usum non habent) causa « ista primaria Congregatione quamprimum definire iubeas, quia « sponsis utpote omni humana ope destitutis apud metropolita- « nam curiam instare pro secunda sententia non valentibus, prae- « sertim ea sede vacante, in longum omnia trahi necessum esset ».

At die 30 Augusti eiusdem anni per R. P. D. Seretarium S. C. C. Episcopo responsum est, opus esse, ut in prima iudicii sede ipse sententiam diceret, deindeque in S. C. pertractaretur.

Episcopus ergo, praehabitis deductionibus Defensoris ex officio, die 9 Decembris sententiam de nullitate tulit, quam ad S. C. misit, atque facta rerum relatione, SS.mus in audientia diei 11 Ianuarii labentis anni 1869 benigne annuit, ut causa proponeretur oeconomice coram S. C. cum voto Theologi et Canonistae et cum animadversionibus Defensoris matrimonii ex officio. Praeterea in audientia diei 15 Martii sanare actorum defectus SS.mus dignatus est.

Disceptatio synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Tum Theologus tum Canonista expensa rerum gestarum serie in eam opinionem devenerunt, ut matrimonium nullum existimarent. Synopsim tantum dabimus Voti quod Canonista exaravit. Hic, quoniam de quaestione potius facti quam iuris esset, ab initio orationis animadvertit, tam Aloisium actorem, quam quinque testes, qui actioni partim interfuere partim de auditu norunt, atque etiam septimam hominis manum in haec capita satis convenire, I° patefactam ab Aloisio ante matrimonium fuisse voluntatem eidem contrariam: 2° captum eundem fuisse horis pomeridianis: 3° percussum graviter a Decurione: 4° funibus ligatum et custodia detentum: 5° militibus stipantibus ex uno ad alterum locum eductum ac reductum: 6° iisdem militibus adstantibus, primum domum Annae, deinde ad templum traductum : 7° interfuisse tam domi Annae, quam in templo eos ipsos, qui vim metumque Aloisio intulerint: 8°post celebratum hac ratione matrimonium, **non** liberum relictum Aloisium, sed

domum Annae reductum: 9° iurgia et dissensiones usque ad separationem inter coniuges numquam defuisse.

His animadversis, haec duo singillatim ostendere studuit Canonista: I° talem vim metumque hoc in casu intercessisse, ut consensum radicitus vitiant, irritumque matrimonium reddiderit: ^° per subsequentem cohabitationem nec metum fuisse purgatum nec matrimonium revalidatum.

Et ad primum quod attinet, allegata notissima Decretali Alexandri III in *cap.* 14 *de Sponsal,* quae sic se habet: « *cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat, sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire* » : animadvertit, Theologos et Canonistas conditiones metus matrimonium invalidantis ad has fere reducere: **I**° ut cadat in constantem virum: 2° sit ab extrinseco : 3° iniustus : 4° ad extorquendum consensum directe incussus.

Porro describebat Canonista quid esset metus cadens in constantem virum cum Sánchez *lib.* 5 *disp.* 1 *de Matrim,* ubi hic auctor scripsit: « Desiderantur hae conditiones ut metus cadat « in constantem virum : I° ut metus sit gravis, 2° ut aestimatio « mali sit fortis et metum patiens non vane et leviter credat, « 3° ut incutiens potens sit minas exsequi, 4° ut non possit timens « ante vertere mala quae timentur, implorando auxilium, consu- << lendo superiorem, etc. ».

Has autem conditiones in praesenti themate singillatim omnes concurrere ostendere studuit ex testium testimoniis, quibus allatis quoad primam conditionem a Sanchesio propositam, concludebat, animi trepidationem instantis vel futuri periculi causa, in quo metus consistit, eiusque gradum iudicis arbitrio relinqui singula causarum et personarum adiuncta perpendentis, *1.*3 *ff. ex quibus caus. maior,* et in praesenti themate agi de rustico adolescente ex inopinato arrepto, funiculis ligato, verberibus affecto, carcere detento, armatorum manu stipato ab iis, qui publica auctoritate potiebantur, minis ac verberibus lacessito, tumultuarie de uno ad alterum locum rapto, nocturno tempore, quo timores augeri solent, et domum sponsae ab ecclesia translato:

Haec autem omnia talia videri^ quae mentem non tantum rustici adolescentis, sed cuiusvis constantissimi fortissimique viri turbare debuissent.

Quum autem ceterae conditiones a Sanchesio enumeratae apprime cohaereret cum metu Aloisio illato, constare eo ipso de metu eadente in constantem virum qui **fuerat** ab extrinseco incussus.

Quoad alteram Canonistarum conditionem, quod metus sit iniustus, ex eo patebat, quod incussus esset non ab auctoritate competenti, non causa cognita, non causa iusta: namque milites, Syndicus, Politiae Procurator, qui nulla in causis matrimonialibus iurisdictione ponebant, vim metumque intulerunt; et causa non erat iusta, cum Aloisius, cognita mulieris praegnantia, iure poterat a sponsalibus cum ea initis resilire.

Item quoad ultimam conditionem, qua requiritur, ut metus directe incutiatur ad extorquendum consensum ex eo aperte patebat, quod Aloisius iam firmo animo destinaverat Annae nuptias repudiare, atque idcirco eius persecutores minis verberibusque usi erant, ut eum ab hoc proposito dimoverent, et ad consensum impellerent, quod opportunis testimoniis ostendebat.

Ad alterum controversiae caput quod attinet, videlicet, per subsequentem cohabitationem et copulam metum non fuisse purgatum, neque matrimonium revalidatum, animadvertit, regulam esse, ut ad ea revalidanda, quae invalide gesta sunt, rem in eum statum adducendam esse, quo valide incipere potuisset, quod et Alexander III dixerat in allegata Decretali agens de rapta puella, quo tempore raptus, irritandi matrimonii causa, non distinguebatur ab impedimento vis et metus: haec enim subiunxit Pontifex: *plene débet securitate gaudere, cuius est animus indagandus. Quocirca mandamus, quatenus puella, de cuius matrimonio quaestio ventilatur, in domo in qua eam nihil timere oporteat, facias honeste collocare.*

Quod non solum cum Aloisio factum non esset, sed contrarium contigisset, idque opportunis testimoniis pariter ostendebat. Hanc in rem plura congessit Canonista ad rei potius eruditionem, quum hisce in causis certum sit, in locis, quibus vigeat lex Tridentina, matrimonium vi metuque contractum, quando impedimentum sit publicum, non revalidan nisi repetita forma, quod

et ipsg Canonista ostendit, de qua re, videsis, quae adduximus in *Vol. II¿* ***Appena.*** *I pag.* 52 *et seqq.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII. Defensor matrimonii ex officio inter cetera, quae scripsit, animadvertit, apprime constare et sponsalia fuisse inita, denunciationes factas, matrimonium fuisse coram Parocho initum, quibus stantibus, non esse pluris quam par sit aestimandum rumorem de vi metuve incusso : qui ceteroquin non omnino iniustus censendus esset, quum et Aloisius non solum sponsalia cum Anna inivisset sed et etiam eam cognovisset; ideoque promissis stare, factaque suo per matrimonium emendare deberet, quod contra fas egisset. Neque plurimi esse faciendam Aloisii renuentiam Annam uxorem ducendi postquam notum ei factum est, eam non virginem iamdiu fuisse: quum improbabile esset, quod Aloisius haec non ante dignovisset: ideoque iactatam renuentiam, qua diceretur, obfirmato animo Annam postea repudiasse, firmo fundamento carere : eo vel magis, quod dum Aloisius a civili auctoritate deprehensus causam sciret, cur detineretur, non una vice dixerit, se velle Annam uxorem ducere.

Hisce aliisque copiose deductis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An constet de nullitate matrimonii in casu ».

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii, causa cognita die 26 Iunii 1869 respondere censuit: *Affirmative.*

Hac edita Resolutione, novam audientiam imploravit vinculi matrimonialis Defensor iuxta praescriptum Constitutionis Benedictinae, *Bei miseratione* (quam recolere possunt Lectores nostri in *Vol. IV pag.* 346); atque nova Vota sunt exquisita tum ab altero Theologo tum ab altero Canonista, qui pariter in nullitatem matrimonii satis convenerunt, quibus propositis cum novis animadversionibus defensoris Matrimonii ex officio in Congregatione habita die 18 Decembris 1869, S. Congregatio, causa iterum discussa, respondit: *In decisis.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Matrimonii substantiam in libero consensu consistere.

II. Ideoque matrimonium hostili more contractum ipso iure et facto nullum esse, licet forma servetur.

III. Neque videri multum referre, an vis militaris ad matrimonium celebrandum illata sit ex iusta vel iniusta causa: consensus enim mensuram huius illatae vis egressus praesumi vix potest (1).

I-V. In praesenti themate causam iustam cogendi virum ad matrimonium defuisse, quum vir haud teneretur datam fidem servare mulieri, quam virginem putans, nec virginem, immo praegnantem dignovit.

V. Neque iustam fuisse coactionem, quum ea neque legitime neque a competenti auctoritate facta fuerit.

(1) Puto, matrimonium manere quoque nullum, licet Aloisius per hypothesim ex quavis legitima causa Annam uxorem ducere obligatus exstitisset, et manus militaris mota esset ex iussu auctoritatis ecclesiasticae, etiam supremae, ut illum cogeret ad contrahendum; namque verum semper esset ob violentiam extrinsecam cui resistere non potuisset, physice et directe illatam ad contrahendum, verba contractus protulisse. Attamen secus esset dicendum, si censuris adhibitis, immo etiamsi in carcerem detrusus ut obligationi satisfaceret, tandem matrimonium, quod celebrare teneretur, celebrare quaesivisset.

Die 26 Iunii 1869.

Summaria precum. Iosephus Sacerdos oppidi N. "suo, quo decessit testamento, anno 1863 capellaniam choralem instituit: reliquit scilicet unam et triginta *onzas* annuas quas Gapellanus eligendus percipere deberet; quos redditus cum oneribus ita partitus est: sex et triginta *onzas* pro stipendio Missae quotidianae celebrandae in ecclesia B. eiusdem oppidi a dicto Capellano eligendo; tres *onzas* pro sumptibus ad celebrandum necessariis ; duodecim *onzas* pro divino officio quotidie psallendo in choro cum ceteris Canonicis ecclesiae collegiatae eiusdem oppidi.

Voluit praeterea testator, ut quoad celebrationem Missae Capellanus suus penderet a Capellano dictae ecclesiae B. in qua Missam celebrandam constituit; et quoad recitationem divini Officii penderet ab Archipresbytero ecclesiae collegiatae. Casu vero, quo suus Capellanus dictis obligationibus defungi voluntarie praetermitteret, constituit, ut pro unaquaque Missae omissione quinque *taris* mulctaretur, et pro unaquaque omissione Offici quatuor *taris.*

Mortuo testatore, iuxta methodum a testatore quoque praescriptam, electus est in Capellanum Ioannes Subdiaconus, qui testatori sanguine iungebatur. Verum hic nimis graves reputans obligationes a testatore iniunctas, atque pariter nimis graves existimans muletas, quibus ex voluntaria omissione subiici deberet, preces SS.mo Patri admovit postulans: **I**° ut, benigna interpretatione facta de voluntate defuncti testatoris, ipse frueretur spatio trium vacationum mensium a choro singulis annis, quemadmodum ceteri Canonici dictae collegiatae fruerentur: 2° ut si quando extra vacationum tempus voluntarie a choro abesset, vel iniunctam Missam non celebraret, pro unaquaque omissione unum tantum *larum* amitteret, non vero quatuor pro Officio et quinque pro Missa.

His precibus acceptis, de more rogato Episcopo pro informatione et voto, auditoque Capitulo, Archipresbytero et Capel-

lano B. in scriptis etc. omnes benigna aliqua interpretatione aut pro aliqua imminutione mulctae consenserunt.

ANIMADVERSIONES PRO CAPELLANO. Inter cetera animadversum est ex officio pro Capellano, in dioecesi de qua agimus, consuetum Missae stipendium consistere in tribus *taris;* atque, computatione facta, pro interventu in choro non nisi unum *tarum* quolibet die Capellano superesse. E converso, muletam pro voluntariis omissionibus adeo excedere emolumentum, ut, si nonnullis vicibus choro interesse Capellanus praetermitteret, et celebrationi quotidianae Missae non satisfaceret, amissurus facile esset multorum dierum emolumentum: id autem ab aequitate canonica esse alienum, quum ipsum Tridentinum Concilium neque negligentes Canonicos omnium fructuum amissione mulctaverit nisi secundo absentiae et negligentiae anno, *cap. 12, sess. 24 de Ref.*

Quoad vacationes a choro rationes non deesse ex ipsa voluntate testatoris petendas, quae oratori suffragarentur; namque, quum testator in divino psallendo Officio Capellanum obstringere voluerit cum ceteris Canonicis, eo ipso videri iniunxisse onus, quod Canonicorum onus dictae collegiatae ecclesiae excedere non deberet: porro in ea collegiata ecclesia gaudere Canonicus tribus vacationum mensibus: ergo et his vacationibus gaudere videri Capellanum.

ANIMADVERSIONES CONTRA PRECES. E converso contra preces animadversum est, testatorum voluntates sancte esse servandas, prout utrumque ius clamat: iamvero non obscure apparere in praesenti themate, testatorem quotidianam Missam et choralem recitationem divini Officii ita legato coniunxisse, ut quotidie haec duo simul explerentur. Nullam praeterea gravem causam suppetere, quae Capellanum ab hisce oneribus sublevandum esse aliquatenus suaderet, quum ipse libere hisce oneribus se subiecisset; neque redditus existimandos esse adeo tenues, si alia ratione considerentur, id est non seorsim, sed coniunctim tamquam una capellaniae choralis dos.

Hisce aliisque animadversis, propositis precibus S. Congregatio Concilii in comitiis habitis die 26 Iunii 1869 respondendum censuit : *Orator gaudeat vacationibus a choro uti Canonici gaudent; in reliquis servetur lex fundationis.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

i. Leges fundationis sancte esse servandas, neque a S. Sede eas aliquatenus immutari sine gravibus causis.

IL Non esse tamen confundendam immutationem legum cum earundem legum interpretatione.

III. In praesenti themate S. Congregationem interpretatam esse voluntatem testatoris quoad vacationes a choro, non autem eius voluntatem immutasse **(1).**

IV. Hanc interpretationem reale fundamentum habuisse in ipsa voluntatis testatoris significatione; quum, addicendo choro quotidiano Capellanum cum Canonicis, eadem chorali lege eum obstrictum, nihilo aperte refragante, voluisse testator censendus sit.

(1) Ex eo dignoscitur, S. Congregationem interpretatam tantum esse voluntatem testatoris, quod non adiecit clausulam *facto verbo cum, SS.mo:* quae clausula necessaria fuisset, si de aliqua voluntatis immutatione actum esset, quum S. Congregatio auctoritatem non habeat leges fundationum immutandi,

IUBILATIONIS

Die 26 Iunii 1869.

Summaria precum. Redeunt hae preces post ea Rescripta S. C. G. quae exposuimus in ***Vol.*** *III,* ***pag. 468 et seqq.*** quaeque Lector recolere potest, ut rem plenius intelligat.

Ioannes Canonicus ecclesiae cathedralis N. etsi instantissime iamdiu postulavit iubilationis indultum, attamen re expensa in Congregatione habita die 25 Maii 1867, dimissus fuit Rescripto ***negative.*** Agebatur enim de Canonico, qui per multos annos choro ideo non inserviverat, quod in alia laudabilia munera sive paroecialia sive praedicationis ex Episcopi venia vel mandato incubuerat, non tamen obtento indulto ab Apostolica Sede; quod evenisse dicebatur non ex culpa, sed ex ignorantia.

Existimans vero orator ideo sibi infaustum cecidisse illud responsum, quod magnus quoque ***fallentiarum*** numeras in libris conscriptus sibi imputaretur, hinc continuum et laudabile chori servitium per alios duos annos impigre praestare studuit. Exinde, biennio elapso, preces iteravit, quum iam transiisset tempus annorum quatuor et duorum mensium praeter quadragenarium chorale tempus. Hisce enim annis testabatur, se certe reintegrasse praehabitas a choro absentias.

His precibus addebat alias quoque commiserationis causas.

Episcopus rogatus, ut audito Capitulo de hac re referret, rescripsit: « Capitulum... censet praefatum Canonicum in praesen-
« tiarum mereri posse petitum Iubilationis Indultum. Reapse post
« gratiae, de qua agitur, denegationem perlaudabfle chori servi-
« tium praestitit, per quod putari debet, eum praeteritas supple-
« visse omissiones computatas decursu quadraginta annorum ser-
« vitii choralis. Accedit quoque gravis eiusdem aetas, necnon
« nonnulla valetudinis incommoda una cum afflictionibus ac mo-
« lestiis ob rei familiaris angustias, domesticasque calamitates,
« praesertim ob mortem eius fratris sibi carissimi. Denique idem
« Canonicus a sua iuventute usque ad totum praeteritum an-
« num 1868 commendabiliter curae animarum vacavit, ac Verbi
« Dei praedicationi in civitate et dioecesi N. aliisque locis. Quo-

« circa ego quoque submisse opinor praedictum Canonicum modo « dignum esse Apostolico Iubilationis Indulto, quod humiliter « petit. »

RESCRIPTUM. Relatis his precibus in S. Congregatione Concilii die 26 Iunii 1869, Rescriptum prodiit: *Quoad indultum Iubilationis relatum: sed attenta oratoris adversa valetudine pro gratia dispensationis pro diebus et horis ad triennium, facto verbo cum Sanctissimo^*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Indultum Iubilationis (quod datur in praemium servitii quadragenarii praestiti ecclesiae chorali) non concedi, si tempus psallendi impensum fuerit in alia ministerii opera etsi laudabilia.

II. Hoc enim praemium non est remuneratio quorumcumque laborum, sed tantum servitii choralis, quo cessante, cessat huius remunerationis causa, maxime si id indebite evenerit, id est sine facultate Apostolica, quae a chorali officio exemerit.

SERVITII CHORI

Die 17 Aprilis et 18 Decembris 1869.

Summaria precum. Capitulum ecclesiae collegiatae N. in Neapolitano regno anno 1853 supplicem libellum S. Congregationi Concilii porrigens postulavit, ut Canonicis alternis vicibus choro interesse liceret; ac praeterea gratiam postulavit celebrandi sine cantu Missam conventualem his diebus, quibus alias Missas ex peculiaribus fundationibus praeter praescriptas a Rubricis canere obligaretur.

Rogatus Archiepiscopus eius dioecesis respondit: in ecclesiae ac populi spirituale bonum alternativam choralem de qua in precibus futuram se existimare; ita enim fieri inquiebat, ut altera pars Capituli, quod viginti Canonicis atque sex Mansionariis constabat, suam operam impendere posset in alias ecclesias, in pia et ecclesiastica instituta, cum extra Capitulum non suppeteret Clerus, qui spiritualibus duodecim fere animarum millium necessitatibus praesto esse posset. Alternativam tamen methodum diebus tantum ferialibus circumscribendam esse, exceptis videlicet diebus Dominicis, diebus festis primae et secundae classis, itemque Sanctorum protectorum ac ecclesiarum titularium cum singulorum octavi». Ad cantum vero Missae Conventualis quod spectat, nihil fore innovandum opinatus est; quod si plures Missas cantu celebrari contigeret, ingressus in chorum ante consuetam horam fieri posset.

Die 28 Martii 1857 S. C. C. his precibus sic respondit: *Pro gratia reductionis servitii chori iuxta votum Archiepiscopi, excepto etiam tempore Adventus et Quadragesimae, facto verbo cum SS.mo. Quo vero ad dispensationem a cantu Missae Conventualis, lectum.* Relato responso per Secretarium ad SS.mum Patrem, Pontifex pro gratia annuit, sed voluit quoque exceptum diem commemorationis omnium defunctorum.

Eiusmodi gratiam in acceptis habentes Capitulares, preces tamen hisce postremis annis renovarunt postulantes, ut obligatio conveniendi omnes in chorum diebus primae ac secundae classis transferretur potius in dies *duplicis,* ut aiunt, *vel simplicis prae-*

cepti qui essent abrogati, et loco oetavarum Patrocinii S. Iosephi ecclesiae eorum titularis, ac dedicationis S. Michaelis Archangeli Protectoris, quibus diebus vi praecedentis Rescripti omnes convenire tenerentur, substitueretur alii dies; quorum elenchum exhibebant. At quum neque admodum clare rem exposuisset, neque causam quae eiusmodi substitütiones faciendas esse suaderet, satis exponerent, propositis precibus in Congregatione diei 17 Aprilis 1867, *S'.* C. respondit: *Dilata et exquirantur pleniores informationes.*

Pro-Vicarius Generalis eius dioecesis ad huius Rescripti tramites rescribens nomine Archiepiscopi innuit, Capituli preces esse secundum indolem reductionis dierum festorum, quam in Neapolitano Regno fecerunt Summi Pontifices. Reductis enim siippressisque festivitatibus, dum fidèles exempti essent ab obligatione quiescendi a servilibus operibus, manserunt omnes obligationes ecclesiasticae quoad sacras functiones. Quas preces commendavit Archiepiscopus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ad pleniorem, quae petebatur, rerum informationem haec ex officio sunt adnotata. Ante Pontificatum Benedicti XIV in Regno Neapolitano plurimi erant dies festi praeter dies Dominicas et solemniores. Archiepiscopi et Episcopi eius Regni, perspicientes gravi cum incommodo tot dierum numero fideles a saecularibus negotiis et operibus servilibus arceri, supplices porrexerunt preces Benedicto XIV pro dierum festorum reductione. His Pontifex ille benigne indulsit per litteras in forma Brevis, *Cum sicut,* datas die 12 Decembris 1748. Statutum enim fuit, ut retentis omnibus diebus Dominicis, nec non Ascensionis, Corporis Christi et Nativitatis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. Virginis Mariae Immaculatae, natale die SS. Apostolorum Petri et Pauli, die festo omnium Sanctorum ac festo die cuiusvis praecipui quarumque civitatum ac locorum Patroni, quibus diebus non tantum Missas fideles audire tenerentur, sed etiam a servilibus operibus abstinere: *in reliquis festis, sive per Apostolicam hanc Sedem, sive per synodales quarumcumque dioecesum huiusmodi constitutiones, sive quacumque alia de causa..... praeceptis, qui sacrosancto Missae sacrificio intersint..., negotiis familiaribus, servilibusque suis operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo incumbere integrum unicuique esse.*

Ex eo tempore dies illi festi, quibus sola obligatio audiendi Missam relicta est, dicti fuerunt unius vel *simplicis praecepti,* ceteri vero *duplicis praecepti.*

At labentibus annis, et miseria in illis regionibus ob publicas calamitates excrescente, Ferdinandus I utriusque Siciliae Rex Pontificem Pium VII humilibus precibus rogavit pro nova festorum reductione. Pontifex ille precibus obsecundans per Litteras in forma Brevis, *Paternae charitatis,* editas die 10 Aprilis 1818 haec edixit: *Retineantur nempe praeter universos dies Dominicos per annum festa sequentia, videlicet Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae Domini, Purificationis B.mae Virginis, S. Ioseph Patriarchae, Ascensionis Domini, festum S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis in Caelum, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi. Pro urbe vero Neapolis tantum retineantur festa SS. Ianuarii et Antonii de Padua, ac pro urbe Panormi festum S. Rosaliae Virginis. Festa autem Patronorum principalium singularium civitatum, oppidorum et locorum; quibus adiunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus transferantur cum respectiva officiorum et Missarum celebratione ad proximum diem Dominicum, eoque impedito ad diem Dominicum proxime sequentem. In praedictis igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto Christifideles sacris adesse et a servilibus operibus abstinere omnino debeant... ».*

Huiusmodi Constitutio praeter festa indicata, quum de reliquis sermonem non faciat, uti abrogata quoad utrumque praeceptum habita fuerunt. Verum nihil per eam innovatum fuit quoad Missas, Officia et Obligationes chori vel applicationem Missae pro populo; addidit enim Pontifex: *Sed quoniam, dum populorum conscientiae et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt indulgere providemus, Sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo Sanctorum solemnitatum Officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus.*

RESCRIPTUM. Propositis iterum psecibus in S. Congregatione Concilii die 18 Decembris 1869 S. C. respondit : *Pro gratia iuxta petita ad septemnium, exceptis tamen diebus festis primae classis, facto verbo cum SS.mo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Eam esse S. Sedis intentionem, quando numerum dierum festorum in populi commoditatem coercet, ut nihil innovatum intelligat quoad sacras functiones obligationesque Clericorum.

II. Quare, qui choro tenebantur diebus festis ante reductionem festorum, pari modo tenentur post reductionem.

III. Neque dispensationem ab eiusmodi obligatione facile a S. Sede concedi.

IV. Concessa Canonicis gratia alternis vicibus frequentandi chorum, excipi tamen solere praeter dies Dominicos, Adventus et Quadragesimae, etiam dies festos primae et secundae classis, etsi quoad populi obligationes veluti extincti forte censeantur.

V. Colliges demum, petitionem non clare sed confuse factam non mereri gratiam, quae si ex aliqua extrinseca et generica causa concedatur, limitibus saltem temporis coercetur.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPOßüM ET REGULARIUM

EMPTIONIS VENDITIONIS

Die 18 Septembris 1868, 5 Martii et 30 Aprilis 1869.

Compendilim facti. Pia mulier die 19 Iulii 1833 heredem universalem instituit ecclesiam N. Inter hereditatem continebatur aedificium cuius partem legavit duabus suis sororibus, onere imposito heredi seu Capitulo ecclesiae N. solvendi omnia vectigalia omnesque refectionis impensas, quae pro ea parte aedificii legata faciendae essent.

Interim evenit, ut una ex legatariis sororibus Monasterium S. Aegidii ingressa fuerit et, professione solemni emissa, monialis evaserit: quare Monasterium, posssssione eius partis aedificii capta, dominium dimidii legati acquisivit; eandemque dimidiam partem contractu locationis-conductionis dedit alteri legatariae sorori atque legatum adhuc indivisum permansit.

Verum, quum Monasterium aegre ferret inconvenientia quae ex condominio oriri solent, vendere statuit partem eam indivisam cuius dominium acquisiverat; quod Canonici ecclesiae N. quum scivissent, curarunt sibi acquirere eam partem.

Habitae idcirco fuerunt per constitutos Procuratore hac de re tractationes, atque conventum est in pretium scut. 2500 et in modum solutionis faciendae postquam implorassent et obtinuissent Apostolicum Beneplacitum. Procurator dicti Monasterii curam suscepit concinnandi preces ad Beneplacitum Apostolicum obtinendum, quas preces a se concinnatas tradidit Capitulo ut ipsum curam susciperet Beneplacitum obtinendi. Modus autem solutionis conventi pretii hac ratione faciendus erat; solvere scilicet debebat ecclesia N. scutata 1500 in ipso actu stipulationis contractus, eaque deponenda in Monte Pietatis donec legitime investirentur; reliqua vero scutata 1000 in censu scutatörum quinque

pro singulis centenis ab eadem eeeíesía singulis annis Monasterio pensitando constituenda erant, ita ut fundus censitus, esset ip§a pars aedificii quae vendebatur.

Dum naee gesta essent, quidam Antonius consurrexit litenique movit tum in Monasterium S, Aegidii, tum' in heredem eccle-siaHfc N".; quum autem lis ventilaretur apud S- Rotam tractationes supra dictae suspensae manserunt quae finiendae essent per Sti-pulationen! contractus post exitum litis, interim, quum ecclesia N. iam deposuerit, uti asserebatur, summam scutator. 1500 in Monte Pietatis, quaedam facta est conventio inter utrumque locum pium, ut scilicet ea summa subtraheretur e deposito a Canonicis et investiatur in tot Schedas nummarias debiti publici Pontificii quarum fructus perciperent Canonici usque dum contractus per-fici pon posset; perfecto autem contractu, Monasterium, loco scut. 1500, reciperet easdem schedulas nummarias quemcumque valorem sive maiorem sive minorem habere reperirentur.

Perdurante cum Antonio lite, quam dixi, isthaec conventio exsecutioni fuit mandata. At vero dum lis cum Antonio perdu-raren Monasterium S. Aegidii edicta publica die 11 Iulii 1870 affixit pro venditione eius partis aedificii de qua tractationes cum ecclesia N. habitae fuerant, et invenit unum oblatorem, ipsum Antonium, qui pro acquirenda ea parte aedificii promisit scu-tata 2800; id est pretium maius scut. 300 quam illud, quod eccle-sia N. promiserat. Monasterium hoc contractu sibi utili reperto, Beneplacitum Apostolicum postulavit itemque facultatem pretium investiendi in schedulas nummarias debiti publici Pontificii.

Quum haec Capitulum ecclesiae N. cognovisset, obstitit apud S. C. Episc, et Regni- implorans simul, ut quod inter suam ec-clesiam et Monasterium conventum esset, servaretur, salvo iure petendi Beneplacitum Apostolicum quando locus esset stipula-tio^ instrumenti : interim iidem Canonici conquesti sunt de parte domus, quam Monasterium comprehensam in parte legata exi-stimans, venditioni exposuerat; de qua re Canonici apud tribu-nalia litem quoque iam moverant eodem anno 1870 ut sibi, quod suum putarent vindicarent.

Remissis precibus ad Ordinarium pro informatione et voto, constitit partem aedificii, quae ad Monasterium spectaret a pe-ritis ex officio deputatis aestimari scut. 2028, ita ut utraque oblatio tum. Capituli ecclesiae N. tum Antonii multo maior esset quam

valor partis aedificii vendendae: atque idem Ordinarius concludebat, se existimare probandum esse contractum inter Capitulum et^ Monasterium quum in utriusque utilitatem cederet.

Monitis itaque partibus causam in plena Congregatione esse pertractandam, sua iura utraque deduxit.

Disceptatio synoptica.

IURA MONASTERII. Monasterium causidicum constituit, qui sic disputavit: ea quae gesta essent inter utramque pium locum non aliud fuisse nisi tractationes, quae ex sese haud efficaces essent ad gignendam obligationem; quod si maior vis his tractatibus tribuendus censeretur, contendebat, Procuratorem Monasterii, qui iam decesserat, non habuisse mandatum ad contractum concludendum, prout erat ex consuetudine necessarium: et quoddam afferebat testimonium, ut ostenderet hoc mandatum non solum defuisse, sed negatum quoque esse ab eo ad quem illud dare pertinuisset.

Sed hac re etiam praetermissa, animadvertit, consensum alienandi res ecclesiae nullum acquirere valorem donec a S. Sede non adprobetur: hanc autem adprobationem numquam fuisse imploratam; proindeque nullam oriri potuisse obligationem.

Quin immo licet per hypothesim imploratum fuisset Apostolicum Beneplacitum, ius tamen Monasterii a conventione recedendi denegari non posse ostendit ex praxi S. Congregationis, quod tantum negari posset si stipulatum esset instrumentum. Ideoque habita utiliori oblatione, a conventione potuisse Monasterium recedere; eo magis, quod ipsemet Antonius adpromissor paratus semet exhibuerit ad cetera subeunda experimenta *viceêimae et sextae,* quae sunt loco privilegiorum *addictionis in diem et restitutionis in integrum,* prout competunt minoribus, quando de eorum contractibus agitur: ideoque si Capitulo interesset eam partem aedificii acquirere, in eius facultate esse experiri *vicesimam et sextam,* et si Antonium in oblationibus Capitulum aequaret eam partem sibi haberet.

IURA ECCLESIAE N. Contra vero Capitulum contendit, contractum emptionis et venditionis conclusum fuisse, quum de pretio et re alienanda fuerit plene conventum iii quo consistit substantia emptionis venditionis: eandemque obligationem mansisse per ac-

eiciens suspensam, sed cum reservatione Apostolici Beneplaciti: quae quidem reservatio ex se iam importaret conditionem suspensivam ob quam nemini, altero invito, fas sit recedere, Card. De Luca *de Fendis disc.* 66 *n.* 4 *et* 5.

Eo magis Monasterium a dato consensu non potuisse recedere, quod conventum quoque fuerit, ut summa scut. 1500 investiretur, cuius investimentum cessurum esset in lucrum vel damnum venditoris.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Pro utraque contendentium parte nonnullae aliae animadversiones sunt ex officio adiectae; videlicet pro Capitulo consideratum est, contractum, quamvis non adhuc munitum confirmatione tutoria S. Sedis, in suo tamen robore permanere ob reservationem Beneplaciti Apostolici; de qua re sic cum aliis tradit Ventriglia, *prax. for. eccl. t.* 1 *adnot.* 1 §. 3 *n.* 12. « Limita supradicta; ut" validus sit contractus aliena-
« nationis salvo assensu Apostolico, quando nulla possessio est
« tradita, quia alienatio dicitur collata ad tempus habile, si Pon-
« tifici placuerit, et dispositio facta tempore habili, vel facta tem-
« pore inhabili et collata ad tempus habile a pari procedunt...
« Hinc videmus quotidie in praxi stipulari instrumenta conces-
« sionis rei ecclesiae ante assensum Apostolicum cum clausola
« tamen, *reservato dicto assensu nec aliter nec alio modo* et retenta
« possessione rei per ecclesiam. » Item Fulgin. *de contr. emphyt. q.* 16 *n.* 1 *et seq.*

Verum quidem esse, ex communi sententia, personam ecclesiae contrahentem privilegio gaudere resiliendi a consensu praestito usque dum Apostolica sanctio non intervenerit. Sed in praesenti themate Monasterium non videri uti posse hoc privilegio adversus Capitulum, quum- eodem privilegio fruatur; et adagium vigeat: *privilegiatum adversus aeque privilegiatum suo non uti privilegio,* quod arguitur ex 1. *verum §Qff.de minor.* 25 *annor.* et ex. *I. ult. G. qui potior, in pign. hob.*

Quod si etiam Monasterio resiliendi privilegium competeret a conventione cum Capitulo inita, quod Beneplacitum Apostolicum non adhuc intervenerit, dicendum tamen esse obligatione naturali Monasterium adstringi in foro interno, ut cum aliis docent Navarras *Gomment, de alien, r er. eccles, n.* 17; Riccius *prax. resol, p.* 1 *reg.* 7 n. 4; Engel *tit. de rebus eccles, non alien, n.* 19; Reiffenst. in *lib.* 3 *decret, tit.* 13 *n.* 53; Schmalzgrueb. *ius eccl. t.* 3

p. 1 *tit.* 13 § 113: ideoque bonae fidei haud convenire, ut ob privilegium externi fori una pars, altera invita, ab obligatione suscepta subtrahatur.

Denique quavis in hyphothesi, praetereundum non esse, ut, quando alicui ecclesiae sit licitum ab inita conventione recedere, altera pars ius habeat agendi *pro damnis ob promissionem non adimpletam,* ut cum ceteris docet Card. Petra *comm. ad Const. Pauli II n.* 45, et S. Rota *coram Emerix iuniore dec.* 1260 *n.* 1 *et* 2 ubi legitur: « Fundamentum Dominorum fuit, quod Patres « susceperunt mandatum ad impetrandum Beneplacitum Aposto- « licum pro celebratione contractus, si non explicite, saltem im- « plicite ; quia nempe promiserunt creare censum, qui sine Bene- « placito Apostolico creari non poterat; et sic, quum mandatum « ipsum non adimpleverint, tenentur ad fructus loco damnorum « et interesse ad *Textum...* Et in his praecisis terminis mandati « ad obtinendum Beneplacitum Apostolicum non adimpleti fir- « mata fuit per Rotam decisio 291 *n.* 17 *coram Bichio,* et de- « cisio 372 *n.* 5 *par.* 14 *recent.* Non obstante quod non fuerint « in mora constituti per interpellationem, quia haec non requi- « ritur in damnis provenientibus ex conventione. »

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO PRO MONASTERIO. Pro Monasterio animadversum est, habitos quidem fuisse tractatus de venditione, quae proximae contractui essent, non tamen perfectum fuisse contractum: et quamvis concinnatae fuissent preces a Procuratore Monasterii ad obtinendum Apostolicum Beneplacitum, eaeque traditae fuerint Capitulo, in quibus enarrabatur *contrahentes condusisse contractum;* tamen eas preces conclusas fuisse implorando a S. Sede *opportunas facultates ut ad emptionem-venditionem deveniretur.* Notum autem esse adagium : *multa tractantur, quae postea non perficiuntur.*

Verum quidem esse: emptionem-venditionem, utpote contractum, cuius substantia in solo consensu consistat, scriptura haud indigere : attamen in praesenti themate, eum perfici debuisse per publicum instrumentum; de qua re sic sanxit Iustinianus, *Inst. tit. de empt. et vendit,* et in 1. 17 C. *de fide instrum.* « Con- « tractus venditionum, vel permutationum, vel donationum, quas « intimari non est necessarium, dationis etiam arrharum, vel al- « terius cuiuscumque causae, quas tamen in scriptis fieri placuit, « transactionum etiam, quas in instrumento recipi convenit, non

« aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum re-
« cepta subscriptionibusque partium confirmata, et, si per tabel-
« lionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a
« partibus absoluta sint, ut nulli liceat prius, quam haec ita pro-
« cesserint, vel a scheda conscripta, licet litteras unius partis vel
« ambarum habeat, vel ab ipso mundo, quod necdum est im-
« pletum vel absolutum, aliquod ius sibi ex eodem contractu vel
« transactione vindicare; adeo ut nec illud in huiusmodi vendi-
« tionibus licet dicere, quod pretio statuto necessitas venditori
« imponatur, vel contractum venditionis perficere, vel, id, quod
« emptoris interest, ei persolvere. »

Dubia

« An et quomodo concedendum sit imploratum Beneplacitum
« Apostolicum favore (Antonii), vel potius exsecutioni sit man-
« danda alienatio favore Capituli ecclesiae N. in casu. »

RESPONSIO. S. Congregatio Episc, et Regul. causa cognita die 18 Septembris 1868 respondere censuit: *Dilata et reproponatur post exitum causae in sacra Rota.*

Hoc edito Rescripto, die 16 Novembris 1868 Procurator Monasterii documentum exhibuit S. Congregationi, quo Antonius ample valedixit susceptae lìti. Reproposita itaque causa, S. Congregatio die 5 Martii 1869 Ponente E.mo Card. Berardi, rescripsit: *Dilata et ad E.mum Ponentem iuxta mentem:* mens autem S. Congregationis fuit, ut audiretur Capitulum, an augeret pretium ad scutata 2800, manente pariter extinta quoad Monasterium per ipsum venditionis actum, lite deducta anno 1867.

Denique quum Capitulum paratum semet exhiberet ad propositum augmentum, reproposita causa die 30 Aprilis 1869 S. Con-^ gregatio rescripsit: *Attentis peculiaribus circumstantiis in^casu occurrentibus, et attenta conventione superventa inter Capitulum et Monasterium S. Aegidii iuxta mentem panditam a S. Congregatione die* **o** *Martii* 1869 *E.mo Ponenti, negative ad primam partem, affirmative ad secundam iuxta dictam conventionem.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Privatos tractatus de rebus ecclesiae alienandis, pro parte ecclesiae quae alienare quaerat, vim, antequam Beneplacitum Apostolicum obtineatur, non habere.

IL Quare sive tractatus proximi contractui habiti fuerint, sive contractus fuerit mutuo consensu (1) conclusus, donec reservatum Beneplacitum non superveniat, ecclesia vi antecedentis tractatus vel contractus cogi non potest ad perficiendum contractum.

III. Idque valere sive ecclesia contrahat cum civili persona, sive cum alia ecclesia.

IV. Eorum veterum auctorum sententiam, qua docent, contractum conclusum cum conditione Beneplaciti Apostolici obtinendi validum esse, in praxi non videri receptam.

V. Immo post formam traditam a Benedicto XIV de alienandis rebus Fisci ad res ecclesiasticas quoque productam, Beneplacito Apostolico exsecutioni mandato favore melioris oblatoris, adhuc superesse experimenta vicesimae et sextae, quibus durantibus conditionata manet adiudicatio rei primo meliorique oblatori facta **(2).**

VI. In praesenti themate, rebus varia ratione implexis, aequitate suadente, alienationem favore Capituli faciendam esse S. Congregationem iudicasse, omissa forma a Benedicto XIV praescripta.

(1) Si contractus non solum esset mutuo consensu conclusus, sed etiam exsecutioni mandatus per traditionem rei vel possessionem, praeter nullitatem actus, contrahentes in censuram excommunicationis ipso facto incurrerent, etiamsi id fecissent sub conditione Beneplaciti Apostolici obtinendi: agerent enim contra formam extravagantis *Ambitiosae* prohibentis sub hac poena alienationes.

(2) Qui ampliora de hac re quaerat iuxta vigentem praxim SS. Congregationum, consulat opusculum cl. Aloisii Trombetta, *Praxeos regulae etc.*, quod saepius laudavimus. Confer quoque causam adductam in *Vol II p. 418 et seqq.*

EX S. CONGREGATIONE S. U. INQUISITIONIS

De authenticitate huius Decreti nobis plene constat; quamquam non ex authentico fonte, qui sua Decreta difficillime ex suo instituto evulgat: publicatum primo fuit in Dublinensi ephemeride cui titulus: The Irish ecelesiastical record.

DECRETUM

Feria IV die 12 Ianuarii 1870.

« Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, exquisito prius suffragio E.morum Patrum Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana Republica Inquisiturum generalium, ne fidelium, praesertim simplicium, corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens Decretis alias a S. Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto feria IV die 5 Iulii 1865 (1), decrevit ac declaravit, Societatem Americanam seu Hibernicam Fenianorum appellatam comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperrima eiusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869: Incip. « *Apostolicae Sedis* » qua sub num. 4. Excommunicationi latae Sententiae Romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint. » Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit. »

Loco ^ Sigilli

Pro D. ANGELO ARGENTI
S. Rom. et Univ. Inquis. Notario
IACOBUS VOGAGGINI, *Substitutus.*

(1) Decretum hic indicatum habes in *Vol. I pag. 290,* cui variae adnotationes adiiciuntur:

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Decretum quod sequitur publicatum est antequam ptiblicata esset Constitutio: Apostolicae Sedis.

DECRETUM. — Feria VI, die 26 Novembris 1869.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Beverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium' a **/SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX** ***sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 26 Novembris 1869, damnavit et damnat, proscripsit, proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohiMtorum~referri mandavit et mandat Opera quae sequuntur:***

Storia critica della Superstizione, per Luigi Stefano ni, 2[a] Edizione. Milano, 1869.

Der Papst und das Concil, von Janus; *idest,* Papa et Concilium, Auctore Jano. Lipsiae, 1869. *Quocumque idiomate.*

Das Recht der eigenen Ueberzeugung, von I. Frohschammer; *idest-Jus* propriae persuasionis, Auctore L Frohschammer. Leipzig Fues's Verlag (R. Reisland) 1869.

La Piété et la Vie intérieure: Jésus vivant en nous. — Opuscolo tradotto in italiano da un Sacerdote Lombardo, e pubblicato coi tipi della stamperia arcivescovile di Milano, 1867. Decreto S. Officii Feria IV, 30 Iunii 1869. — *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobami.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edsre, aut edita legere, vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus **SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX,** ***per infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,*** **SANCTITAS SUA** ***Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.***

Datum Romae die 30 Novembris 1869.

ANTONINUS Card, DE LUCA Praefectus.

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA ORD. PRAED.

S. IND. CONGR. A SECRETIS

LOCO *tfr* **Sigilli.**

Die 2 Decembris 1869 supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloisium Serafini apost. Curs.

Philippus Ossani Mag. Curs.

EX S. CONGREGATIONE SS, RITUUM

SALUTIARÜM

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

IOANNIS IUVENALIS ANCINAE

EX PRIMIS S. PHILIPPI NERII DISCIPULIS ET POSTEA EPISCOPI SALUTIENSIS

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

DECRETUM. « Ex procera illa Libani Cedro, quae ad maximum Sanctitatis culmen excreverat, Beatissimo nempe Philippo Nerio Almae Urbis Nostrae Patrono et Apostolo, electus germinavit ramus, Vir illustris Venerabilis Ioannes Iuvenalis Ancina. Hic Fossam in Subalpinis Civitate, vitae in auras prodiit decimoquarto Kalendas Novembris anni MDXLV. Piis vere parentibus usus est, quibus cordi fuit puerum singulari studio ad virtutem educere. Nondum adulescentiam excesserat cum Montem Pessulanutn in Gallia missus est, ut in eo bonarum artium Athenaeo litterarum studiis operam daret, discente vero haeresi, quae ipsos infecerat praeceptores, ad patriam revocatus universae Philosophiae ac Medicinae facultates in Academia Montis Regalis addiscere con tendit, et subinde illas egregie edocuit. Interea per viam mandatorum Dei incedens, ac extremi iudicii timore confixus, mundum eiusque concupiscentiam abnegare statuit. Mox ad Urbem accessit, ubi superno ductus consilio Philippum Nerium eiusque Oratorii exercitia frequens adivit. In eamdem Congregationem adscitus et Sacerdotio auctus, quem a tanto Magistro hauserat spiritus fervorem Romae et Neapoli ad animarum bonum abunde

effudit. Hinc omnes admirabantur Viri huius clarissimi eruditionem, rerumque variarum scientiam, verborum ac morum gravitatem, leporem atque urbanitatem; quas animi dotes tanta cum modestia, pietate, charitate, et sui ipsius contemptu ipse copulabat, ut virtutum omnium numeris omnibus absolutam imaginem referret. Ad sacrum Episcopale munus evectus quum esset, eius virtus splendidius emicare coepit, ut lucerna nimirum ardens et lucens, quae supra candelabrum posita omnibus lucet, qui in domo sunt. Tamquam pastor egregius et beneficus oves suas nominatim ad virentia pascua evocabat, manibusque sale sapientiae plenis ut post se venirent alliciebat, immo et trahebat. Denique pro iustitiae causa tuenda ad mortem usque accessit; sacramentis munitus, et in memoriam Christi Vulnerum super humum extendi cupiens animam efflavit pridie Kalendas Septembris anni MDCIV. At eius virtutum fama, quam cum vita.frueretur sanctissimi Viri in maximo habuere loco, haud in sepulcro conquievit, sed,, latius in dies diffusa ubique est. Quapropter conditi fuere Salutiis, atque alibi Ordinaria auctoritate Processus; quos postea subsequuti sunt quatuor alii Processus Romae, Neapoli, Salutiis, et Augustae Taurinorum Apostolica auctoritate instituti: qui plurimos post annos iuridico Sacrorum Rituum Congregationis examine probati fuere. Post varias vicissitudines, quibus praenobilis Causa haec subiecta est, Coetus Sacrorum Rituum Antepraeparatorius super Virtutibus Venerabilis Iuvenalis Ancinae locum habuit in Aedibus Cardinalis Ottoboni cl. mem. decimotertio Kalendas Iulias anni MDCCXVI. Progressu temporis collectus est in Aedibus Pontificalibus ad Vaticanum Praeparatorius Consessus quinto Nonas Octobris anni MDCCXLVII. Postea haec Causa usque ad nostra tempora siluit, quia Deus disposuerat ut Venerabiles universae Catholicae Ecclesiae Antistites Spiritus sancti virtute in Oecumenico Concilio Vaticano congregati novum hocce Pontificalis Ordinis ornamentum laeti exciperent, et veluti inter ipsos sedentem ad Ecclesiae et Societatis causam una simul protuendam contemplarentur. Quare anno MDCCCLV facta a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifice Maximo facultate eam reassumenda et alterum habendi Praeparatorium Conventum cum iisdem Animadversionibus iam in anteactis Comitiis exhibitis; huiusmodi Conventus coactus est in Vaticano Palatio decimosexto Kalendas Octobris anni MDCCCLVI. Demum Generalia obtinuere Co-

mitia coram Sanctissimo Domino Nostro in eodem Palatio Vaticano nono Kalendas Decembris elapsi anni MDCCCLXIX, in quibus cum Reverendissimus Cardinalis Hannibal Capalti Causae Relator, Cardinali Gabrieli Ferretti cl. mem. suffectus, proposuisset Dubium- « *An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum; et de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur?* » Amplissimi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus Praepositi simulque Consultores suas exposuerunt sententias. Quibus auditis atque perpensis Beatissimus Pater suum distulit proferre iudicium hortatusque est Patres Cardinales aliosque adstantes ut secum funderent preces ad impetrandam Divini Spiritus illustrationem.

« Tandem suum statuit aperire animum hac die Sancto Francisco Salesio sacra, qui et sodalis Philippianus fuit, et dum inter vivos ageret Venerabili Iuvenale pie ac familiariter usus est, eumque post obitum summo cohonestavit elogio. Quare Sanctissimus Dominus Sacrificio Eucharistico in privato Aedium Pontificalium Sacello oblato, ad hanc se contulit Ecclesiam Sanctae Mariae ab *humilitate* nuncupatam unitamque Collegio, quod Clericis erudiendis ex America Septentrionali adventantibus ipse instituit; ubi postquam Sacro adstitit in solio assidens ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, simulque Reverendissimum Cardinalem Hannibalem Capalti Causae Relatorem, una cum R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus declaravit « *Constare de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum, ac de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Ioannis Iuvenalis Ancinae, in gradu heroico, in casu, et ad effectum, de quo agitur* ».

« Huiusmodi Decretum in vulgus edi, et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit quarto Kalendas Februarias anno MDCCCLXX ».

C. Episc. Port, et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef

Loco >B Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

DE CONSECRATIONE OLEI, ABSENTIBUS EPISCOPIS CAUSA OECUMENICI CONCILII

« Nonnulli Sacrorum Antistites qui Oecumenico Concilio Vaticano intersunt praevidentes, se a propriis Dioecesibus fore absentes Feria V in Coena Domini anni huius, ac proinde Sacra Olea in usum earumdem Dioecesium ea Feria consecrare non posse, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX obsequentissime exquisierunt ut huic necessitati providere dignaretur. Eorum autem precibus a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario Eidem Sanctissimo Domino Nostro fideliter relatis, Sanctitas Sua perpendens etiam sententias tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum R.mi Domini eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris, qui prae oculis habuerunt concessiones in peculiaribus et similibus casibus factas; suprema Auctoritate Sua, derogando ab Ecclesiasticis hac de re praescriptionibus, indulsit, *ut in Dioecesibus, in quibus non adsunt R.mi Ordinarii; si Titularis aliquis Episcopus non inveniatur, vel a vicinis Dioecesibus Olea Sancta hoc anno consecrata haberi facile nequeant, vetera Olea superioris anni adhiberi valeant in Benedictione Fontis Baptismalis tum in Sabbato Sancto tum in Sabbato Pentecostes, nec non in solemni collatione Baptismatis ac in ungendis Infirmis.* R.mi autem ipsi Ordinarii monere curabunt quamprimum illos ad quos spectat de praedicta Apostolica Dispensatione ut Olea sacra non deficiant: infundendo etiam, urgente necessitate, partem modicam et minoris quantitatis Olei non benedicti in Oleis benedictis. Sanctionibus quibuscumque ac Decretis in contrarium disponentibus minime obstantibus ».

« Die 17 Februarii 1870 ».

C. Episcopus Portuens. et S. Rufinae
Card. PATRIZI S. R. C. Praefectus.

Loco Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS DUABUS IN PATRIARCHATU CHALDAEO VACANTIBUS SEDIBUS, PER ROMANUM PONTIFICEM PROSPICITUR IUXTA PRAESTITUTAS NORMAS EASDEMQUE SANCITAS EO FERE TEMPORE, QUO SAECULARIA PRINCIPUM APOSTOLORUM SOLEMNIA ROMAE CELEBRABANTUR.

DILECTO FILIO PETRO HATTAR PRESBYTERO CHALDAEO

PIUS PAPA IX

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Supremi Apostolatus officium humilitati Nostrae in persona B.mi Petri Apostolorum principis ab ipso Christo Domino commissum illud in primis postulat, ut singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio Patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in Consistoriali Allocutione habita 4 Idus Iulias anni 1867, quam in Nostra Constitutione quae incipit *Reversurus* edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque Orientalis Ritus Patriarchatibus Nos quamprimum fore moderaturos (1).

« Quae omnia Ven. Fr. Iosephus Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum, ad quem Acta praedicti Consistorii, una cum memorata Constitutione a Congregatione Nostra de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis fuerant transmissa, omni obsequio ex-

il) **Indicatam Allocutionem retuli in *Vol. III pag. 343,* et Constitutionem *Reversurus,* habes ibidem *pag. 386 et seqq.***

cepit. Cum enim, posthabitis longevae aetatis ac difficilissimae regionis incommodis, in Gurdistaniae montes tunc divertisse!/ ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit ven": Fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut Nobis Nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum, quidquid pro Chaldaicae Ecclesiae bono Nobis constituendum videretur: quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac sedem Mausilien. seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie Kalendas Augusti superioris anni, aperte declaravit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione constituendas minime dissentire a voluntate Nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur; quin immo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine instituto, reformentur; et ad hunc finem perspicuae leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem Nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudicaremus, iidem nedum Amidenae seu Diarbekiren. Ecclesiae anno ante vacanti: verum et Mardensi, quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maximae profecto 'consolationi Nobis fuere, magnumque solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt; quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate et singularem erga Nos fidem ac devotionem praeseferebant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum Ecclesia reflouresceret. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus; neque operam Nostram, quod et nobis et Praedecessoribus Nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium Ecclesiarum ordinatione constituenda unquam desiderari patiemur.

« Cum itaque Archiepiscopalis Ecclesia Amidena seu Diarbe kiren. Chaldaeorum, ad quam regendam Apostolicis Nostris Lit-

teris datis pridie Idus Ianuarias ann. MDCCCXLVII Ven. Frater Petrus Georgius de Natale a Geziren. Chaldaeorum sede fuerat translatus, vacaverit et vacet in praesens per mortem eiusdem Petri Georgii, qui supremum diem obiit in Albana dioecesi suburbicaria, cumque praefatus Ven. Fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes, quos illi dioecesi gubernandae idoneos existimavit, uti superius relatum est, Nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus Ven. Fratribus Nostris **S.** R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis. Quorum audita relatione mentem animumque Nostrum ad Te convertimus, quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo, aliisque necessariis dotibus praeditum idem Ven. Fr. Patriarcha Nobis una cum aliis proposuit. Quapropter Te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia, absolventes et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium praefatae Archiepiscopali Ecclesiae Amidenae seu Diarbikiren. Chaldaeorum Apostolica auctoritate praeficimus, eiusdemque Ecclesiae curam, regimen, et administrationem in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus.

« Volumus autem ut a praefato Ven. Fr. Iosepho Patriarcha vel alio Antistite ab eo specialiter disignando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Chaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac districte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae iuxta formam ab Urbano VIII Praedecessore Nostro praefinitam, una cum iuramento obedientiae et fidelitatis Nobis ac Successoribus Nostris debitae in manibus memorati Ven. Fr. Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, noveris Te una cum Antistite qui Te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem Nostram, et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum ; Teque insuper a pontificalis officii exercitio, nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali Ee-

clesiae tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a Te sic emissae et iuramenti a Te praestiti authenticum exemplar tua manu signatum, memorati Ven. Fr. Patriarchae subscriptione roboratum, vestrisque sigillis munitum ad Nos quanto citius mitti iubemus per Ven. Fr. Nicolaum Archiepiscopum Marianopolitanum, Nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistânia atque in Perside Delegatum.

« Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum Tibi onus cum gratia Nostrae Benedictionis alacriter suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in Tua dioecesi iuxta sacros Canones personaliter et assidue residens, Catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare, ceterasque gravissimi Tui ministerii partes accuratissime implere studeas., Imprimis vero omnem curam impendas quo universi fideles Tuae curae concrediti, sublata qualibet contentione et aemulatione, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, et pax Christi exultet in cordibus eorum. Et. quoniam administratio quorumdam ecclesiasticorum bonorum occasione simultatibus et contentionibus praebuisse dignoscitur, idcirco huic negotio rite procurando iussimus a memorata Nostra Congregatione opportunas Tibi dari instructiones et mandata.

« Denique praecipimus Tibi ac districte mandamus ut Venerabili Fratri Iosepho Patriarchae eiusque successoribus ab hac Apostolica Sede confirmatis canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas: clero autem et populo istius Tuae dioecesis Amiden. Chaldaeorum expresse mandamus, ut Te uti legitimum suum pastorem devote suscipiant, debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

« Haec volumus, decernimus, atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die **22** Martii 1869, Pontificatus Nostri anno vigesimo tertio ».

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

DILECTO FILIO GABRIELI FARSO PRESBYTERO CHALDAEO

PIUS PAPA IX

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Supremi Apostolatus officium humilitati Nostrae in persona B.mi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino commissum, illud in primis postulat, ut singularem diligentiam ea vigilantiam continenter adhibeamus, ut Ecclesiis cuiusque gentis vel ritus digni atque idonei praeficiantur sacrorum Antistites. Qua de causa cum certas quasdam regulas pro electione Episcoporum in Armenio Patriarchatu perpetuo servandas indiceremus, palam ediximus tam in Consistoriali Allocutione habita iv Idus Iulias ann. 1867, quam in Nostra Constitutione quae incipit *Reversurus* edita eodem die, gravissimum hoc negotium in reliquis quoque Orientalis Ritus Patriarchatibus Nos quamprimum fore moderaturos.

« Quae omnia Ven. Fr. Iosephus Patriarcha Babylonen. Chaldaeorum, ad quem Acta praedicti Consistorii una cum memorata Constitutione a Congregatione Nostra de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis fuerant transmissa, omni obsequio excepit. Cum enim posthabitis longevae aetatis, ac difficillimae regionis incommodis, in Curdistaniae montes tunc divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinum revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, mandavit Ven. Fr. Eliae Episcopo Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum solemnibus saecularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli iusserat suo nomine ac vice interesse, ut Nobis Nostraeque iam memoratae Congregationi significaret, se obedienter alacriterque excepturum quidquid pro Chaldaicae Ecclesiae bono Nobis constituendum videretur : quod ab eodem Episcopo et scripto et voce factum est. Postquam vero in suam civitatem ac Sedem Mausilien. seu Mosulanam reversus fuit, datis ad eamdem Congregationem litteris pridie Kalendas Augusti superioris anni, aperte declaravit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione constituendas minime dissentire a voluntate Nostra, quam omni veneratione et obedientia excipiendam profitebatur ; quin immo optare, ut quae ad Orientalem pertinent Ecclesiam, recto in omnibus ordine in-

stituto, reformentur; et ad hunc finem perspicuae leges ferantur de ordine ritus, de divino officio, de sacramentorum administratione, de omnibus demum ecclesiasticis negotiis. Obsequentissimi autem Nobis animi argumentum exhibuit, propositis in eadem epistola aliquot sacerdotum sui ritus nominibus, ut quos digniores et Ecclesiae magis utiles in Domino iudicaremus, iidem nedum Amidenae seu Diarbekiren. Ecclesiae anno ante vacanti, verum et Mardensi quam illis ferme diebus pastore viduari contigerat, praeficerentur. Quae omnia maximae profecto consolationi Nobis fuere, magnumque solatium tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt: quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate, et singularem erga Nos fidem ac devotionem praeseferebant; simulque tutam sternebant viam, qua ecclesiasticae disciplinae decus et vigor in catholica Chaldaeorum Ecclesia refloreseeret. Neque eius desiderio ac votis, quantum Dominus concesserit, unquam deerimus, neque operam Nostram, quod et Nobis et Praedecessoribus Nostris solemne semper fuit, in recta Orientalium Ecclesiarum ordinatione constituenda unquam desiderari patiemur.

« Cum itaque Episcopalis Ecclesia Mardensis Chaldaeorum, per obitum Ven. Fr. Ignatii Decstu, ultimi eiusdem Episcopi, vacaverit et vacet in praesens; cumque praefatus Ven. Fr. Iosephus Patriarcha nonnullos sacerdotes quos illi dioecesi gubernandae idoneos aestimavit, uti superius relatum est, Nobis proposuerit, rem universam diligentissime perpendendam commisimus Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis. Quorum audita sententia, mentem animumque Nostrum ad te convertimus quem morum honestate, prudentia, ecclesiastico zelo, aliisque necessariis dotibus praeditum idem Venerabilis Frater Patriarcha Nobis una cum aliis proposuit, quique nuper Apostolici Visitatoris munere in eadem Amidensi civitate solerter defunctus fuisti. Quapropter Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, de consilio eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, praefatae Episcopali Ecclesiae Mardensi Chaldaeorum Apostolica

auctoritate praeficimus, eiusdemque Ecclesiae curam, regimen, et administrationem in spiritualibus et temporalibus Tibi plenarie committimus.

« Volumus autem ut a praefato Ven. Fr. Iosepho Patriarcha vel ab alio antistite ab eo specialiter designando, assistentibus duobus aliis catholicis Episcopis sive Ghaldaici, sive, his deficientibus, alterius cuiusque ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, consecrationis munus libere ac licite recipere possis et valeas. Verum decernimus ac districte praecipimus, ut antequam eiusdem consecrationis munus recipias, professionem fidei catholicae iuxta formam ab Urbano VIII Praedecessore Nostro praefinitam una cum iuramento obedientiae et fidelitatis Nobis ac successoribus Nostris debitae in manibus memorati Ven. Fr. Patriarchae emittas. Si autem, quod absit, episcopalem consecrationem recipere praesumpseris, non edita prius professione fidei et iuramento praedictis, noveris te una cum Antistite qui te ita sacris caeremoniis consecrare non dubitaret, indignationem nostram et SS. Apostolorum Petri et Pauli esse incursurum ; Teque insuper a pontificalis officii exercitio nec non a regimine et administratione sive spirituali sive temporali Ecclesiae Tuae eo ipso suspensum fore. Porro professionis fidei a Te sic emissae et iuramenti a Te praestiti authenticum exemplar tua manu signatum, memorati Ven. Fr. Patriarchae suscriptione roboratum, vestrisque sigillis munitum, ad Nos quanto citius mitti iubemus per Ven. Fr. Nicolaum Archiepiscopum Martianopolitanum, Nostrum atque huius Apostolicae Sedis in Mesopotamia, in Armenia Minore, in Curdistania atque in Perside Delegatum.

« Futurum autem in Domino confidimus, ut impositum Tibi onus cum gratia Nostrae Benedictionis alacriter Suscipiens, ea quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaeras; atque in Tua Dioecesi iuxta sacros Canones personaliter et assidue residens, Catholicos in fidei professione confirmare, errantes ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum revocare, ceterasque gravissimi Tui ministerii partes accuratissime implere studeas.

« Denique praecipimus Tibi ac districte mandamus ut Ven. Fr. Iosepho Patriarchae eiusque successoribus ab hac Apostolica Sede confirmatis canonicam obedientiam et reverentiam assidue exhibeas : clero autem et populo istius tuae dioecesis Mardensis Chaldaeorum expresse mandamus, ut Te uti legitimum suum pa-

storem devote suscipiant, debitaque honorificentia et obedientia prosequantur.

« Haec volumus, decernimus, atque iubemus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum die 22 Martii 1869, Pontificatus Nostri anno vigesimo tertio ».

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

'*' LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS -NOVA INDULGENTIA AUGETUR RECITATIO SS. ROSARII PERDURANTE OECUMENICO VATICANO CONCILIO

PIUS PP. IX

AD FUTURAM REI MEMORIAM

« Egregiis sui Ordinis Institutoris excitatus exemplis, eiusque vestigia sequi prae oculis habens dilectus filius Vincentius Iandel Ordinis Fratrum Praedicatorum Magister Generalis humiliter Nobis exponendum curavit, maximum rei christianae emolumentum fore obventurum si quotquot sunt in orbe fideles ad frequentiorem hodiernis diebus Rosarii B. M. V. recitationem alliciantur. Quemadmodum enim S. Dominicus illa precatione tanquam gladio invicto ad uefariam Albigensium haeresim constringendam, quae christianae reipublicae pacem et tranquillitatem pessumdare minabatur, usus est, sic fideles hoc veluti armaturae genere instructi, nempe quotidiana Rosarii B. M. V. recitatione ut tot errorum monstra in praesens undique grassantia potenti Deiparae immaculatae subsidio et Concilii Oecumenici Vaticani a Nobis indicti mox auspicandi auctoritate, convellantur, eradicentur, facilius erunt consecuturi. Quo vero id certius fiat, enixe a Nobis petiit ut indulgentiis, quae a Summis Pontificibus Praedecessoribus Nostris iam fidelibus illa precandi formula *Rosario* nuncupata utentibus concessae sunt, alias quoque adiicere de Benignitate Nostra dignaremur. Nos qui a Nostra prima aetate, ac prae-

sertim cum in hanc B. Petri Cathedram, benignissimo Deo sic iubente, ascendimus, Nostram fiduciam in Beatissima Dei Matre Maria totam posuimus, Eique soli a Deo datum fuisse, ut cunctas in universo mundo haereses interimeret pro certo habentes, piis precibus Nobis oblatis ultro obsecundare, ac ut infra indulgere voluimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui donec Concilium Oecumenicum Vaticanum perduraverit, singulis cuiusque hebdomadae diebus saltem quinque décades Rosarii devote recitaverint, servatis quoque, quae in eius recitatione alias iniuncta sunt; insuper vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet Ecclesiam, seu Oratorium publicum visitaverint, ibique pro felici Concilii Oecumenici Vaticani exitu et iuxta mentem nostram pias ad Deum preces effuderint, qua hebdomada id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus Concilio Generali et Oecumenico Vaticano perdurante valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis presentibus si forent exhibitae vel ostensae.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die in Decemb. MDCCCLXIX. Pontifie, nostri Anno Vigesimoquarto ».

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

Praesentes Literae Apostolicae in forma Brevis Sacrae huic Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis propositae exhibitae sunt hac die 8 Ianuarii 1870 iuxta praescripta in Decreto Generali eiusdem S. Congregationis sub die 14 Aprilis 1856 evulgato. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secret, ipsius S. Congr.

Dominicus Sarra Pro-Substitutus.

APPENDIX VII

DE CONSTITUTIONE « *Apostolicae Sedis* » QUA CENSURAE GENERALES LIMITANTUR. QUAESITA NONNULLA GENERALIA.

Sanctissimus Dominus Noster per hanc Constitutionem, quam exposui *pag. 287 et seqq.* **reipublicae christianae consuluit, ut planior et eerta tum Sacrorum Antistitibus tum Confessariis redderetur via, ne vagari cogerentur per innumeros et difficiles censurarum, quae generatim inflictae fuerint, anfractus.**

Quod quisque non solum diserte significatum declaratumque legit in ea Constitutione, sed aperte quoque colliget ex ipsa abscissione et abrogatione facta quamplurimarum censurarum. Namque harum rerum Peritis perspectum est, quot auctores quantumque de censuris scripserint, quot per saeculorum decursum latas collegerint vel allegaverint, manente nihilo secius legentium animo saepenumero in dubi etate perplexo, utrum nec ne, sive per non usum, sive per cessationem finis ob quem inflictae essent, sive ob rerum supervenientium mutationem cessaverint.

Licet autem, ut dixi, via planior et certa per eiusmodi limitationes Confessariis praesertim, quoad substantiam, sit reddita; non tamen est putandum, simplicem hanc Constitutionem Peritorum commentariis interpretationibusque locum non dare. Hoc enim est proprium omnium legum, etiam sapientissimarum, ut, quando de earum applicatione agitur, viam facile aperiant dubitationibus atque disquisitionibus pro casuum adiunctorumque varietate. Exemplo sint vetustissimae Romanae Leges, tum quae duodecim tabularum appellantur tum ceterae quae sunt consecutae: hae enim licet pro veterum Romanorum more sapientissime concinnarentur, nihilominus adeo Prudentum interpretationibus auctae fuerunt, ut Iustinianus Imperator suo tempore manum apponens ad Pandectas concinnandas per Tribonianum, scriptum reliquerit: *Maximum opus aggredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso* **(Triboniano)** *permisimus tam colligere, quam certo moderamini tradere. Sed eam omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum est, duo paene millia librorum esse conscripta, et plus quam*

tricies centena millia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari, et ex his quod optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata.

Huius quidem Constitutionis interpretatio ad rerum moralium peritos, qui fidelium conscientias dirigunt, maxime pertinet, quique iuxta recepta prudentiae moralis principia pro variis rerum adiunctis eam explanabunt: attamen quaedam praecipua capita in ea Constitutione habentur, quae occasionem nobis praebent, in medium deducendi nonnulla interpretationis legum principia, quae Constitutioni, de qua agimus applicanda esse videntur.

Nec praetereundum est, rem facilem haud esse, legem novam (quamquam novae non sint res, de quibus Constitutio agit) explanare et interpretari; idque duplici praesertim de causa: I[a] est, quod nova lex, ideo quia nova, nullam determinationem per usum est assequuta: 2[a] quia facile potest contingere, ut interpretatio a privatis data sit praeter vel contra mentem legislatoris, ex eo quod legislator non omnes praevidens casus in condenda lege, quibus intelligi a subditis potest, non omnibus casibus per latam legem prospexit sicut proxpexisset si praevidisset. Unde saepe contingit, ut post aliquam datam Constitutionem subsequantur novae authenticae declarationes, quae et usum determinant, et mentem legislatoris uberius explanant.

Eiusmodi authenticae interpretationes sunt duplicis generis: aliae sunt simplices interpretationes datae iuxta consueta interpretandi principia, quae non differunt a privati auctoris interpretationibus nisi ratione auctoritatis. Sive enim ex. gr. S. Alphonsus ita legem interpretetur, sive S. Poenitentiaria, res in se est eadem, propterea quod eadem sunt principia quarum ope lex explanatur: est tamen diversa auctoritas; ob quam diversitatem interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat; de interpretatione autem ab Auctoritate facta non est quaerenda ratio. Quum autem eadem soleant esse interpretationis principia, iuxta eadem principia intelligi quoque debet authentica interpretatio.

Aliae sunt interpretationes authenticae, quae non tam legem interpretantur, quam mentem legislatoris in lege non satis significatam declarant: et ideo sunt interpretationes praeter legem et habent rationem novae legis: quae quidem interpretationes quamvis non sint facile aptandae, sunt tamen apprime servandae. Recentissima habemus utriusque gene-

ris exempla in declarationibus authenticis datis ad Constitutionem *Nemo,* **datam die 11 Aprilis 1869, qua conceditur Indulgentia plenaria in forma Iubilaei, quae exempla heic singillatim exponere supervacaneum foret.**

I

DE REVOCATIONE FACULTATUM

Vetustissimus est in Ecclesia catholica usus, quo Romana Sedes et Episcopi quorundam criminum absolutionem sibi reservant sive ob censuram reservatam appositam, sive nulla censura adiecta : de qua re in *Sess. 14 de Sacram. Poenit. c. 7* **sic Patres Tridentini sunt loquuti : «** *Magnopere vero ad christiani Populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrocium quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare».*

Hac facultate utitur Romanus Pontifex in bonum Ecclesiae et fidelium; ut scilicet disciplina ecclesiastica, quoad praecipua sua principia in suo robore permaneat ; et fideles gravitatem criminum magis magisque cognoscant per aggerem censurarum, quarum absolutio Poenitentibus ex speciali gratia conceditur.

Quum autem non ut ardua nimis evadat absolutio, casus reserventur; ideo Romanus Pontifex communicat facultates speciales Cardinali Maiori Poenitentiario cuius delegata potestas quousque sese protendat exposuit Benedictus XIV in celebri Bulla quae incipit *Pastor bonus* **edita die 13 Aprilis an. 1744: atque praeter facultates rite concessas, quae in ea describuntur, alias quoque eidem pro rerum supervenientium varietate Pontifex tribuit vel protendit: idemque facit quoad alterum tribunal quod propagando christiano nomini praesidet, quoad omnes, qui in locis missionum versantur. Per eiusmodi tribunalia non solum conceduntur facultates quae pro singulis casibus petantur, sed dantur quoque Episcopis ampliores minoresque pro variis in quibus versantur locis facultates absolvendi a censuris S. Sedi reservatis; quin immo, et Confessarii obtinere possunt similes facultates: quae quidem ad tempus determinatum tum Episcopis tum Confessariis concedi solent.**

Quaerimus nobis itaque I. Utrum eiusmodi facultates personales, quae ad tempus a sancta Sede conceduntur ac concessae fuerint vel forte etiam perpetuae, si quae sint, per Rescriptum con-

cessae sive Episcopis sive Confessariis, revocatae sint per verba Constitutionis, *Apostolicae Sedis,* quae leguntur in § A *quibus,* post enumeratas excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatas.

II. Utram extraordinariae facultates, per Iubilaeum concessae, revocatae censendae sint.

Hisce quaesitis iam SS.mus Dominus Noster suae vocis oraculo respondere dignatus est his verbis latine conversis: *Per Constitutionem se nullatenus intendisse, ne* minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a Sancta Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales, Sive extraordinariae, sive respicientes ad praesens Iubilaeum ; seque velle, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito* (1).

Immo scimus, per S. Poenitentiariam renovari Confessariis consueta Indulta, quae vulgo *Pagellae S. Poenitentiariae* appellantur, sine ulla immutatione, quibus tantum nunc adiicitur clausularon *obstante Constitutione* etc. Idque servabitur,usque dum nova indultorum formula concinnata non fuerit. Itaque nihil quoad huiusmodi concessiones innovatum intelligitur; eveniet tamen, ut nonnulla reservata peccata seu censurae, quae antea sine speciali indulto absolvi non poterant, nunc nulla speciali facultate indigeant, quae in his indultis fuerit expressa.

Constitutio praeterea de qua agimus, enumerat quidem censuras generales, et indicat Triden-

(1) Ita se habent officiales litterae, quas ex mandato SS.mi Patris scripsit Ill.mus et R.mus D. Adsessor S. Officii Laurentius Nina ad Ill.mum et R.mum D. Secretarium S. C. de Propaganda Fide.

« Il sottoscritto Assessore del S. O. si è recato a premura di umiliare a Sua Santità nell'udienza di Feria IV 12 cor. il dubbio promosso da alcuni Vescovi a codesta S. C. di Propaganda per senso della Cost. Apostolica *Apostolicae Sedis moderationi* teste pubblicata, se cioè con essa s'intendano revocate ai medesimi le facoltà di assolvere dalle censure *latae sententiae* riservate specialmente al S. P. ed ora adempie al dovere di parteciparle il risultato.

« Sua Santità ha ordinato le si comunichi la stessa risposta data già sullo stesso argomento all'E.mo Bizzarri per parteciparsi ai R.mi PP. del Concilio che la richiedessero, che cioè con la detta Costituzione il S. P. non ha punto inteso di recare la menoma alterazione alle facoltà di qualsiasi natura dalla S. Sede innanzi alla promulgazione della medesima accordate, siano esse quinquennali o straordinarie o relative al presente Giubileo, e vuole che rimangano nel pieno loro vigore durante il termine nelle rispettive concessioni od indulti prefinito. Laonde potrà ella partecipare ai Vescovi richiedenti questa stessa dichiarazione per loro quiete e governo ».

tinas, statuitque, ut hae solae in vigore permaneant reliquis generalibus abrogatis ; attamen in *§ Quae vero,* subiungit, ut firmae quoque permaneant censurae omnes quae generales non sunt, et spectant ad aliquem peculiarem coetum vel locum, quaeque hactenus in suo vigore perstiterunt.

Quoniam vero omnes facultates absolvendi a censuris reservatis simul revocentur, quae competant, puta, ratione officii, vel perpetui privilegii, vel dignitatis, quaeque reales appellari possunt; quaeri potest, utrum illae etiam facultates reales revocatae sint, quae respiciant censuras reservatas quidem, sed peculiares coetuum vel locorum. Pone ex. gr. Regularem aliquem in censuram incidere, quae propria sit eius regularis Instituti, eademque fuerit Romano Pontifici reservata; pone pariter, Superiorem regularem, vel alium, habere ex aliquo perpetuo et legitimo titulo facultatem absolvendi Regularem ab ea censura: quaeritur, utrum per revocationem facultatum, quas dixi, intelligatur revocata etiam haec facultas.

Respondendum videtur, eiusmodi facultates non esse revocatas. Ratio est quia revocatio facultatum refertur ad enumeratas vel indicatas censuras generales reservatas ; non vero ad censuras peculiares coetuum vel locorum : hae enim peculiares censurae ob eam tantum causam memorantur, ne abrogatae per Constitutionem censerentur; nihil autem de his cavetur qupad facultatem absolvendi. Revocatio autem facultatum legitimarum non praesumi sed ostendi debet.

II.

DE CENSURIS TRIDENTINIS CONFIRMATIS.

In Constitutione de qua agimus dum omnes censurae quae ipso facto ac iure incurrendae latae universim sunt, praeter enumeratas, abrogantur; confirmantur tamen censurae Tridentinae: sed constat Tridentinum Concilium alia& censuras *directe* inflixisse alias vero *«indirecte.* Expedit hoc exemplis declarare.

Censuras, quas directe Tridentina Synodus inflixit, iam retuli in Constitutione quam exposui *pag. 287 et seqq.* Censurae autem quas eadem Synodus indirecte inflixit, illae sunt quae indicuntur sive per generalia verba, ut ex. gr. in *sess. 21 c. i de Ref.* in quo legitur; *et qui secas fecerint... poe-r-nas a iure inflictas ipso facto incurrant.* Et in capite sequenti : *antiquorum canonum poenas super his innovando,* et ita passim. Sive per speciales allegationes, ut ex. gr. in *sess. 1U c. 6 de Ref.* in qua legitur : *Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam,*

quae incipit, Quoniam, *innovando et ampliando.* In hac autem Constitutione *Quoniam* inter ceteras poenas recensetur etiam quaedam suspensio ipso facto incurrenda: item in sess. *2A c. 3 de Ref,* legitur: *Aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit:* Exigit... *mulctetur.* In hac autem Constitutione *Exigit,* si qui mulctae non paruerit interdictum ingressus ecclesiae ipso facto contrahendum edicitur, vel suspensio.

Nobis itaque, exercitii causa, quaerimus utrum censurae a Tridentino indirecte inflictae comprehendantur sub Constitutione, *Apostolicae Sedis.* Vel ut aliis id exprimam verbis, utrum censurae a Concilio Tridentino sive per generalia verba, sive per speciales allegationes innovatae, *irr* vigore sint post dictam Constitutionem.

Respondendum videtur, non comprendi, nec in vigore esse post dictam Constitutionem.

Prima ratio petitur ex Constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur ; quod legitur in eiusdem Constitutionis initio : *« Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam, ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione facta... decernimus, ut ex quibuscumque censuris... nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant ».*

Porro nec certus esset censurarum numerus, nec ea incommoda satis essent sublata, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Tridentino renovatae.

Quod spectat ad censuras renovatas per allegationes speciales, notandum est, paucissimas esse Constitutiones veteres a Tridentino sic renovatas, quae censuras ipso facto incurrendas contineant, eaeque, si unam vel alteram Constitutionem excipias, ita sunt innovatae, ut satis significaretur a Concilio, censuras in illis contentas non intelligi innovatas.

Sane reperi, Tridentinam Synodum septem et viginti Constitutiones innovasse vel commemorasse, inter has, illae, quae censuras ipso facto incurrendas continent, sunt, Constitutio Sixti IV de immaculata Deiparae Conceptione, quae Constitutio incipit *Grave nimis,* quaeque legitur in *Extrav. commun. L. III, de Reliquiis et venerat. Sanet. c. 2* a Concilio Tridentino expresse innovata in *Sess. 5 de peccato origin.* § 5. Per eam Constitutionem infligebatur excommunicatio ipso facto

incurrenda et Romano Pontifici reservata, illis omnibus qui catholicae doctrinae de Immaculata Conceptione contradicerent, sicut et illis, qui eam ut dogma iam definitum traderent. Haec Constitutio cessavit per anathema solemnissime adiectum doctrinae a SS.mo D. N. definitae.

Altera Constitutio, quae censuras continet, commemoratur a Tridentino Concilio *in sess. 14 can. 8 de Poenit.* his verbis: *Si quis dixerit... ad eam* (confessionem omnium peccatorum) *non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno. . . . anathema sit* ». Constitutio Lateranensis commemorata est celebris canon his verbis editus : « *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucaristiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura* ». At vero haec Constitutio a Tridentino alia de causa fuit commemorata quam ob poenas; nec poena interdicti intelligitur latae sententiae sed ferendae, per verbum *arceatur.*

Tertia Constitutio, quae a Tridentino innovata continere videtur censuras, est illa, quam superius indicavi, Clementis V in Concilio Viennensi, edita, quae incipit *Quoniam;* eaque plures poenas continet contra Clericos vestibus clericalibus Ordini congruentibus non incedentes, quam innovavit Tridentinum in *Sess. 14 c. 6 de Ref.* his verbis : « *si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et Beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam quae incipit,* Quoniam *innovando et ampliando* ». Verum 1°, Tridentinum eam Constitutionem renovavit ampliando: quod secumfert, ut poenae, quas Tridentinum inferendas edixit, praevaleant poenis Constitutionis ; 2°, in ea Constitutione agitur quidem de suspensione ipso facto incurrenda, sed de suspensione a fructibus tantum Beneficiorum et intra determinatum tempus, quae suspensio cum consistat in privatione fructuum, nec censura appellari meretur. Hanc Constitutionem, *Quoniam,* recolere possunt Lectores nostri in *Vol. IV p. 394-.*

Quarta Constitutio a Tridentino renovata, quae censuras continet, est illa, quam Tridentinum

in *sess. 24 de Ref.*, agens de victualibus, quae ratione visitationis, sunt Episcopis ministranda, his verbis innovavit : « *Quod si quispiam quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit,* Exigit, *nec non et aliis poenis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniae mulctetur* ». Porro in Const. *Exigit,* quae legitur in *c. 2 de Censibus in 6,* quaedam mulctae infliguntur, *alioquin* (id est, si non solvantur intra mensem) *ex tunc Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ingressum sibi ecclesiae sentiant interdictum ; inferiores vero ab officio et Beneficio noverint se suspensos, quoadusque de duplo etc.* ». Quamvis in hac Constitutione de censuris ipso facto incurrendis agatur, attamen Tridentinum loquitur de poenis, quae in pecuniaria muleta consistunt : ac praeterea, si de censuris verbum illud *mulctetur* intelligi quoque velit, intelligi tamen deberet, ex Tridentina dispositione, de censuris ferendae sententiae.

Haec de singulis Constitutionibus quae censuras ipso facto incurrendas continere videntur, quaeque a Tridentino innovatae sunt.

Alia denique generalis ratio habetur quae ostendit, in Constitutione, *Apostolicae Sedis,* non comprehendi censuras a Tridentino indirecte inflictas. Id scilicet ostendit ratio loquendi eiusdem Constitutionis. Nam ea loquendi ratio est in usu Romanae Curiae, ut quando agitur sive de poenis sive de constitutionibus, quas Tridentinum innovavit, dici non soleat poena a Concilio inflicta, vel Constitutio tridentina, sed poena inflicta in Constitutione N. (adiecto scilicet Constitutionis nomine), vel Constitutio N., et saepius negliguntur quoque verba: *a Tridentino innovata.* Quum itaque haec sit consueta loquendi ratio, agaturque de Constitutione facta ad coercendum censurarum numerum, si non reperiantur verba *censurae a Tridentino innovatae,* hae exclusae sunt censendae.

Porro in Constitutione, *Apostolicae Sedis,* haec verba non habentur; immo habetur quaedam verborum conceptio, quae ex sese eas excludere videtur; sic enim statuitur: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in sess. IV* de editione et usu sacrorum librorum *constituta etc.* ». Et paullo post: « *Denique quoscumque alios Sacrosan-*

dum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensum vel interdicto eosdem obnoxiosesse volumus et declaramus ».

Hac enim ratione dicendi non solum censurae per Tridentinum innovata vel implicite confirmatae heic non memorantur; sed directe indicantur legum violatores, quos Tridentinum voluit excommunicatos vel suspensos vel inerdictos cum adiunctis quibus ipsum voluit: quae verba non bene applicarentur illis, quos censuris subiecerunt alii canones licet a Tridentino commemorati vel innovati, quin censuras ipsum Concilium explicite significaret.

III.

DE CENSURIS, QUAE CIRCA EANDEM MATERIAM VERSANTUR, LATIS TUM A CONSTITUTIONE DE QUA AGIMUS, TUM A TRIDENTINO CONCILIO.

Quando Tridentinum de aliqua materia agens censuras explicite inflixit, quin sacros commemoraret canones, dici solet, hoc ipso facto censuras, si quae essent latae de eadem materia a veteribus canonibus, manere abrogatas; propterea quod Concilium Tridentinum nova ratione de eadem materia prospexit.

Haec autem dici non possunt de Constitutione *Apostolicae Sedis* quoad Tridentinum. Id patet non solum ex eo quod Constitutio voluit, ut censuris subiicerentur, quos subiectos voluit Tridentinum ; sed etiam ex eo, quod unam excepit censuram sessionis IV *de editione et usu sacrorum libror.* quam temperavit.

Hisce positis, duplicem exercitii causa facimus hypothesim: 1. ponamus censuram aliquam Pontificiam non posse cohaerere cum censura Tridentina in eadem materia; quaeritur quaenamvincat, an Pontificia vel Tridentina? 2. Ponamus censuram Pontificiam posse quidem componi cum censura Tridentina quia diversos eiusdem rei respiciunt casus, sed si si censura Pontificia specialem vel non specialem habeat reservationem, debet ne dici pari modo specialiter reservata censura Tridentina?

Ad primam quod spectat quaestionem facilis quidem est responsio ; namque principium est in canonica iurisprudentia, universales leges, anteriorem et posteriorem, si ad invicem componi non possint, posteriorem derogare anteriori : sed praeterea in legibus de quibus agimus huic rei est iam prospectum per clausulam Constitutioni Pontificiae appositam his verbis : « *Decernentes has Litteras atque omnia et singula, quae in eis constituta et decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterio-*

ribus Constitutionibus... etiam Conciliorum Generalium et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes ratas et firmas.:, esse». Ideoque si quid in conflictu veniat, quod componi non possit inter Pontificiam Constitutionem et Tridentinas dispositiones, praevalere debet Constitutio Pontificia.

Ad secundam quod spectat quaestionem pariter non difficilis videtur responsio. Namque quando Constitutio Pontificia de una re agens casum specialiter vel non specialiter reservat, et Tridentinum de eadem re agens et alios considerans casus reservationem non adiiciat, vel non pari modo reservet, hoc tantum secumfert, ut censurarum ordo ratione reservationis non congruat cum ordine censurarum ratione materiae; quod hoc exemplo potest illustrari. Censura XI de excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata infligitur illis his verbis significatis : « *Usurpantes aut séquestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes* >.

Concilium Tridentinum de eadem re agens in *sess. 22 c. 11* ampliores numero casus considerans, qui usurpant, vel usurpata quovis modo recipiant, ecclesiae et locorum piorum bona, excommunicationi subiecit Romano Pontifici simpliciter reservatae.

Constitutio Pontificia in censura HI excommunicationi nemini reservatae subiecit : « *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis* Ambitiosae *de Rebus Eccl. non alienandis.*

Itaque triplici loco sermo habetur de bonis ecclesiasticis, sive de usurpatoribus eorundem, sive de usurpatoribus quorumcumque bonorum et usurpata recipientibus vel retinentibus, sive de alienantibus vel recipientibus, per contractus non usurpata absque Apostolica venia. Hi omnes excommunicationi ipso facto subiiciuntur; et ratione excommunicationis et rei de qua agitur ad unum genus unamque classem referuntur : at vero non possunt sub unam classem recenseri si de censurae reservatione ratio habeatur ; sed in triplicem classem sunt distinguendi, quorum primi incurrunt excommunicationem Romano Pontifici specialiter reservatam ; secundi non specialiter reservatam; tertii denique nulli reservatam.

IV.

DIFFICULTATES QUAE OBIICIUNTUR IN APPLICANDA CONSTITUTIONE.

Non semel audivimus nonnullos haec obiici entes: in Constitu-

tione de qua agimus, quasdam obligationes statutas esse, censuris quoque sancitas, quae plurimis in nationibus, aetate qua vivimus, applicari non possunt, ut lex non trahendi clericos causasve ecclesiasticas ad laica tribunalia; lex asyli, quae tum a Guberniis tum a fidelibus penitus ignoratur ; lex denunciandi sectariorum occultos duces et coriphaeos, quae multis in locis christiano populo vix dici posset ; et alia id genus. Eiusmodi difficultates ex eo petuntur, tamquam ex suprema causa, quod Gubernia iura Ecclesiae non admittant, legesque et consuetudines hisce legibus adversae vigeant.

His difficultatibus generice obiectis non potest breviter, nisi generice responderi ; atque respondeo : I° eiusmodi obligationes novae non sunt in catholica Ecclesia, sed vetustissimae ; et Constitutio non solum eas obligationes non creavit, sed immo mitius quoad adiectas poenas egit ; poenas enim limitavit. 2° Si hae leges serTari non possint ob conditiones penitus anormales, in quibus fideles populos reperiri contingat, non ideo legislator abstinere debet ab his legibus commemorandis inculcandisque; de talibus enim legibus agitur, quarum, saltem pleraeque, ecclesiasticae disciplinae fundamentum constituunt, et principiis quoque innituntur, quae cum Ecclesiae constitutione cohaerent. Fidelibus autem ecclesiasticisque viris perquam utile semper erit, ut cognoscant, quid ecclesiastica disciplina exigat, ne pedetentim putent, iure alios facere, quod contra Ecclesiae iura et honestatem publicam publicumque bonum iniuria faciunt. 3° Falsum est, eas leges non posse in plurimis nationibus universim servari. Variae enim sunt rerum hominunque conditiones in variis locis ; et quod uno in loco forte servari non possit vel aegre admodum possit servari, in multis aliis servabitur; praesertim si Episcopus sua vigilantia cognoscat difficultates, si quae sint, se posse suo zelo superare, easdemque superare aggrediatur (1). 4° In praxi autem, quid sit Confessariis agendum pro singulis rerum, hominum locorumque adiunctis, iam tradiderunt probati auctores, quum non agatur de re nova ; et firma maneant principia prudentiae moralis, quae suggerunt, quibus in adiunctis lex ecclesiastica non obliget, et quomodo Confessarii cum poenitentibus, sive scientibus, sive bona fide leges ignorantibus, sese gerere debeant.

(1) Attuli praeclarum quoddam exemplum in *Vol. II, pag. 488et seqq.* quod exhibuit Alexander Sperelli Episcop. Eugubinus in canonica iurisprudentia celebris.

APPENDIX VIII

DECRETA S. SEDIS ET PRAECEPTA, QUIBUS A TEMPORE CLEMENTIS VIII CASUUM RESERVATIONIBUS FUIT UNIVERSIM CONSULTUM.

Occasione Constitutionis, *Apostolicae Sedis,* quae censuras enumerat specialiter vel simpliciter Romano Pontifici reservatas, nec non Episcopis, aut nulli reservatas, utile esse putamus sub oculis Lectorum exponere documenta, quibus disciplinam casuum reservatorum hactenus Sancta Sedes moderata est. Haec documenta deprompsimus ex perutili *Collectanea,* quam in usum Secretariae Episcop. et Regul. conscripsit Eminentissimus Card. Bizzarri.

LITTERAE ENCYCLICAE AD EPISCOPOS MISSAE DIE 26 NOVEMBRIS 1602.

« Accipiet Ill.ma Amplitudo vestra una cum hisce litteris exemplum Declarationis, quam Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis et Consultationibus Episcoporum etRegularium praeposita de expresso SS.mi Domini Nostri mandato nuper edidit super Decreto de prohibita absolutione a casibus reservatis die 9 Ianuarii 1601 promulgato, quod in suis dioecesibus Ostiensi et Neapolitana publicandum ac studiose observandum diligenter curabit.

« Cum autem Locorum Ordinarii magna ex parte indicem seu notam singulorum casuum a se reservatorum huc miserint, compertum est in hoc genere varie quid a variis admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret; quosdam nimirum quaedam reservasse, quae iam Apostolica Sedes sibi reservavit, alios alia, quae minime expediebant, nonnullos vero in ea re modum excessisse, ut nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vindicaret indifferens illa reservandi ratio, quae (ut necesse erat) res plerasque levis momenti, et alioquin Concilii Tridentini aliorumque sacrorum canonum sententiae parum congruentes, complectebatur. Verum, quia nondum satis hic explorata erat cuiusque loci conditio ac necessitas, non potuit unicuique reservationum huiusmodi singillatim modus ac temperamentum, quod res poscebat, adhiberi. Nec sane debuit una eademque regu'a omnibus ecclesiis praescribi, quandoquidem

alia alibi magis convenire certum est, et fieri vix potest, ut omnia omnibus in locis aeque probentur et prosint. Quae cum ita sint, visum est eidem S. Congregationi praeter illam declarationem, privatas quoque litteras ad singulos Ordinarios mittere, quibus moneantur, ut simul ac eas acceperint, omnes casus sibi iam olim reservatos, adhibitis aliquibus pietate et doctrina praestantibus viris, de integro discutiant, diligenterque examinent, et ad ipsius Decreti iam declarati normam accommodent, eorum multitudinem sic resecantes, ut ad quam paucissimos, eosque maxime necessarios, redigantur iidem casus ; unde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa haec reservandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuique dioecesi tributa est auctoritas.

« Praecipue vero haec moneada censet S. Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio maior a iure imposita cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte'propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur ; neque casus in quibus absolutio nisi cum restitutione, vel executione eorum ad quae poenitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui et si mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti! versantur et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione, propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant, ac sequantur rationem, quae consideratis diligenter cuiusque Provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. Postquam autem ab iis peracta descriptaque fuerit haec moderatio, unusquisque eam primo quoque tempore ad me perferendam curet, addita insuper causa, quae cuiusque casus reservationem potissimum suaserit. Hoc a S. D. Nostro deliberatum est, ut postmodum singulae huiusmodi reservationes distinctius examinentur, quo perfecte tandem, adiutrice Dei gratia, opportunum iis incommodis remedium adhibeatur. Interim de ipsius S. Suae mandato iidem Ordinarii monentur, ut per totam suam Dioecesim, ac praesertim in iis locis, qui a civitate et Cathedrali Sede longius remoti sunt, Poenitentiarios, aliosque Sacerdotes constituant ac delegent,

quibus facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis, concedant, ita ut his quoque liceat eamdem aliis Confessariis si opus sit etiam viva voce impartire: idque maxime in solemnioribus et praecipuis anni festivitatibus, ut peccatores, quibus obvia et facilis fuerit huiusmodi sacerdotum copia, ad peragendam confessionem alliciantur ; quia alioquin plerique vel ob idipsum omittere possent, si necesse haberent poenitentiae ministros,quibus indigent, longius quaerere. In eam igitur curam quantum in se erit sedulo incumbet illustr. Amplitudo Vestra, ut haec omnia ex S. Suae et S. Congregationis mente, debitae executioni mandentur, ea diligentia eoque zelo ubique adhibito, quem optimus quisque Pastor erga animarum sibi creditarum salutem praeseferre debet. Ut autem apud se, successoresque suos perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reservandi rationem deliberatum sit, dabit operam, ut hae litterae una cum ipso Decreto ac' Declaratione in publicis suarum Curiarum Episcopalium actis integre describantur. Eas verum, cum primum acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, missura postea quantocius fieri poterit expetitum novae reservationis indicem ex praescripto huiusce mandati confectum. Quae omnia, mandante ipsa S. Congregatione, ego Illustr. Dominationi vestrae scripsi Deum precatus, ut eamdem quam diutissime incolumen tueatur. Romae die 26 Novembris 1602. Dignabitur etiam Amplitudo Vestra illustr. operam dare, ut Praelatis inferioris ordinis exemptis, seu Nullius Dioecesis si qui sint in sua Provincia, innotescat Decretum hisce litteris inclusum, tum etiam haec reliqua, quae ei scribuntur super casuum reservatione >.

Ill.mae et R.mae Dominationis Vestrae

Humillimus Servus
ALEX. CARD. FLOREN.

Hisce litteris encyclicis adnexum fuit Decretum, iam publicatum die 9 Ianuarii Î60Î, quod sustulerat universim omnes facultates absolvendi a casibus, sive S. Sedi, sive Episcopis, reservatis, cui Decreto subnectitur opportuna moderatio et declaratio facta eadem die 26 Novembris Î602, qua litterae encyclicae, quas exposui datae sunt.

SUPER CASIBUS RESERVATIS

Declaratio Decreti quo prohibetur absolutio a Casibus Reservatis.

« Editum fuit alias a Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium prae-

posita, Decretum super absolutione a casibus reservatis eius qui sequitur tenoris.

« Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, iustis et gravibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D. N. Clementis PP. VIII speciali mandato, vivae vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam saecularibu , quam Regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum etiam mendicantium, militarium aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, et generaliter quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, iubet et praecipit: ne quis eorum sub praetextu privilegiorum, indultorum aut facultatum generali er, vel specifice scripto, aut vivae vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica vel eius auctoritate, eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus saecularium, aut singularibus personis, seu alias quomodocumque, sub quibusvis tenoribus, formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cuiusvis, etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusvis status, gradus, et conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticae, quam saecularis, etiam Regiae, vel Imperialis, ab ullo ex Casibus clare vel dubie in Bulla die Coenae Domini legi solita, contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicae reservatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, eiusve Successores, pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reservandis, nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova et speciali Sanctitatis Suae, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quoad casus ab ipsis tantum reservatos, respective, impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficium de caetero impendere audeat, vel praesumat: sed cum opus fuerit poenitentes ad Superiores, legitimosque Iudices suos accedere consulant, sub poena contrafacientibus, tam Regularibus, quam Saecularibus, excommunicationis, privationis officiorum, et dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, et ad quaecumque officia, praelaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda. Super quibus a nemine nisi a Romano

Pontifice habilitatio, dispensatiove, aut absolutio praeterquam in mortis articulo possit impertiri. Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates, et concessiones ipsas in hac parte uti cassas et irritas haberi de caetero voluit, et vult, non obstantibus quibuscumque.

« Praeterea noverint poenitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam nulliusque roboris et momenti.

« Et ne locorum Ordinarii, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, plurium, quam opus sit reservatione, subditis, aut Confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis Dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae die nona mensis Ianuarii Anni MDCI.

« Cum autem dubia quaedam ac difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atque observationem emersissent, eadem Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur, et ut clarius, appareat, in quibus casibus vigore eiusdem Decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis PP. VIII similiter vivae vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, ac declarat, videlicet : sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Coenae Domini legi consueta continentur. Ac praeterea Violationis immunitatis Ecclesiasticae in terminis Constitutionis fel. rec. Gregorii XIV : quae incipit, *Cum alias nonnulli:* violationis clausurae Monialium ad malum finem : provocantium et pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, et Constitutionem fel. rec. Gregorii XIII incipientem : *Ad tollendum :* iniicientium violentas manus in clericos, iuxta Canonem, *si quis suadente can. 17 q.* 4 ad iuris dispositionem : simoniae realis scienter confractae, atque etiam confidentiae beneficialis. Item omnes casus quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, et sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, et mandat, dictum Decretum in sua firmitate et pristino robore permanere. Ac praeterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, et fa-

cultatibus in supradicto Decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum privilegia, indulta et facultates, usu ante idem Decretum receptas, et quae sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum et non alias, absolvere a casibus in praesenti declaratione non comprehensis: aliis vero Sacerdotibus, huiusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedf.Sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum (tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat in aedificationem, non autem in destructionem cedat : ne alioquin, Sacramenti Poenitentiae Ministrorum coarctata potestate, Sanctae Matris Ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Coenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos. Facultatem vero et licentiam absolvendi a casibus reservatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viva voce concedi posse declarat. Caeterum ne quis Sacerdotum Saecularium, aut Regularium, sub praetextu, quod per primo dictum Decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem Decreto, sic ut praefertur declarato, contravenire audeat, Sanctitas Sua Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis omnibus, in favorem quorumcumque Ordinum seu Institutorum Regularium aut Sacerdotum tam Saecularium quam Regularium editis, nec non eorumdem Ordinum seu Institutorum, ac etiam Ecclesiarum et Monasteriorum, et aliorum Saecularium seu Regularium locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, etiam Marimagno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, eisdem Ordinibus seu Institutis, ac etiam Ecclesiis et Monasteriis, et Saecularibus et Regularibus locis, aut personis sub quibuscumque teno ribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogato riis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis^ nec non irritantibus et aliis Decretis etiam Motuproprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alios quomodolibet,

etiam per viam communicationis seu extensionis concessisse etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, psaesentibus pro expressis habens, quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogat, contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Romae, die XXVI Novembris MDCII.

Alex. Card. FLOREN.
Episcopus Praenestinus.

Hier. Agucchius Secret.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET NULLITATIS PROFESSIONIS SEU POTIUS DISPENSATIONIS

Die 18 Martii 1870.

Compendium facti. Iosephus quindecim annos natus anno 1831 coenobium quoddam Regularium in Hispania ingressus, anno 1832 solemniter professus est. Civilibus vicissitudinibus in Hispania supervenientibus, anno 1835 Regularibus universim dispersis, habitum dimisit, quin adhuc sacris Ordinibus esset initiatus. Quomodo inde se gesserit haud constat.

Anno 1866, Procuratoris ope, preces Curiae ecclesiasticae M. admovit, ut Curia Parocho loci, ubi ipse degebat, officium committeret inquirendi, ut probari inde in iudicio posset, se per vim et timorem a patre incussum professionem emisisse. Argumenta autem huius vis illatae timorisque incussi ideo quaerebat, ut illico implorare posset restitutionem in integrum ob lapsum a professione emissa quinquennium, atque inde agere pro nullitate professionis.

Fiscus Curiae precibus annuit; atque inquisitiones factae a Parocho tantum haec continebant: testimonium iuratum patris eiusdem oratoris, et testimonia item iurata trium testium; quibus ad Curiam missis, Iosephus S. Sedi supplicavit ad restitutionem in integrum obtinendam ab elapso iamdiu utili ad reclamandum quinquennio, atque ut, causa cognita, iudicaretur irrita emissa professio.

Remissis precibus ad Ordinarium loci, in quo professus erat, ut referret *de causis restitutionis in integrum et nullitatis professionis, et praesertim, qua de causa infra quinquennium orator non reclamaverit, auditis, si fieri possit, superioribus Regularibus, atque*

iis omnibus quorum interest professionem oratoris sustineri : nihil, quod ad rem faceret, sciri potuit, nisi quod post suppressionem, Iosephus emigraverit in longinquas regiones.

Re ad SS.mum Patrem relata die 19 Martii 1869, Rescriptum prodiit: « *SS.mus, attentis peculiaribus circumstantiis in casu **00** currentibus, remisit causam restitutionis in integrum et nullitatis professionis plenario Auditorio S. Congregationis Episc, et Eegul. cum facultatibus necessariis et opportunis, ut eam, non obstante oratoris mora extra claustra, audito voto Consultoris et animadversionibus defensoris professionis religiosae, absque formalitatibus a Benedicto XIV in Constitutione,* Si datam, *et cum actis a Curia M. confectis, summarie et oeconomice definiat, quorum defectus, si in eis conficiendis irrepserint, sanavit etc., quatenus tamen sufficientem probationem exhibeant ad dictam causam definiendam. Contrariis etc.* ».

Post haec orator novas preces admovit, ut quatenus de professionis nullitate non constaret, ei indulgeretur super votis dispensatio Apostolica.

Quae autem in dictis testimoniis continerentur ad haec facile reducuntur : pater Iosephi deposuit : se obligasse filium ad ingrediendum coenobium N. ibique profitendum, cum fiducia illam vitae rationem ei congruam futuram: resistenti filio tum in ingressu religionis, tum durante novitiatu, tum denique in ipso professionis momento, s**3** suggessisse firmam spem, fore, ut brevitate temporis bonus Religiosus esset evasurus: sibique persuasisse, firmam renuentiam filii oriri ex iuvenili aetate, qua noscere non posset, quid ei conveniret: se colonum quinque filiis oneratum, desiderio ductum, ut Iosephus primogenitus Religiosus et sibi et suis fratribus denique utilis foret.

Testis, qui eodem tempore quo Iosephus coenobium ingressus fuerat, haec testatus est: professionem coactam se putare,' quum sibi constaret, Iosephum divina vocatione esse destitutum: si professus esset et e claustro non exivisset durante novitiatu, tribuendum id esse timori a patre illato, quum non semel metum incusserit si solemnia vota non profiteretur: se certum habere, quod pater eius minas haud fuisset exsecuturus, attamen iuvenem quindecim annos natum, timore et horrore eas afficere certo debuisse, habita ratione firmae et notoriae indolis patris, qui id temporis terribilis erat; se aliqua vice audivisse patrem eius com-

minantem rigidis gravibusque verbis si Iosephus professioni faciendae resisteret: durante novitiatus anno, Iosephum, data loquendi occasione, semper protestatum secum esse, profiteri se nolle, seque velle e coenobio egredi, a quo abstineret ob timorem violentae indolis paternae.

Cohaerent alii duo testes, qui latinae linguae cum Iosepho studuerant, quorum unus inter cetera deposuit: se a iosepho audivisse, si meus pater persistat, voto non ero professurus, nisi ob timorem: professione autem peracta, ab eodem audivisse, vota emissa protuli quidem ore non autem corde.

Alter testis autem inter cetera adiecit: se audivisse Iosephum post professionem dicentem: violenter ego sum professus et sine voluntate, neque sacros ordines suscipiam ; quod et praestitit.

Disceptatio synoptica.

VOTUM CONSULTORIS. Consultor, indicatis principiis, timorem cadentem in constantem virum irritam reddere professionem, quae omnimoda libertate gaudere debeat ; metumque gravem ad extorquendum votum, quodvis irritare votum: et metum reverentialem irritare quoque professionem etiam sine minis si pater ex. gr. « sit terribilis, et quod filius habeat sufficientes causas « et indicia ob quae timeat a parente grave aliquod nocumentum « si ei contradicat », ut scripsit Suarez *apud Passerin. de homin. stat. q.* 189: consideravit ea quae in adductis testimoniis continentur: idest Iosephum patrem habuisse terribilem: patrem elegisse statum filio, qui contrariam semper patefecerit voluntatem : eundem professum esse vota ob paternum timorem ; quique post ipsam professionem numquam destiterit, quin fateretur se timore patris professum. Proindeque irritam professionem concludebat.

Ad alterum quod spectat caput, de restitutione in integrum concedenda progrediens Consultor, post eiusmodi patefactam opinionem, facilis erat disquisitio. Namque ideo restitutio in integrum post elapsum quinquennium petitur, ut possit disputari de professionis nullitate; quaeque restitutio concedi solet, quando causis nullitatis inspectis, praevidetur, bonam esse reclamantis causam, quae in formali iudicio discussa, nullitas professionis probabiliter ostendi possit. Opinione enim pro decernenda nul-

lítate patefacta, quaestio de restitutione in integrum iam praeoccupata erat. De qua re inferius redibit sermo.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS PROFESSIONIS. Defensor professionis ex officio (hae enim causae pertractantur uti causae matrimoniales iuxta Constitutionem *Si datam)* animadvertit, Iosephum post professionem emissam die 28 Septembris 1832 mansisse in coenobio usque ad annum 1835, quo Regularium dispersio in Hispania contigit. Neque in coenobio neque extra coenobium usque ad annum 1866 unquam reclamasse adversus suam professionem : hanc denique movisse causam ut nubere posset.

Confectum quidem fuisse quendam processum, sed extra locum et dioecesim in qua ipse professus fuerat, et sine solemnitatibus, quae ex Const. *Si datam,* requirantur, sine Defensore Professionis ex officio constituendi, sine interrogatoriis a Defensore Professionis concinnandis, non auditis Ordinum superioribus. Romanum Pontificem dispensasse quidem super observantia solemnitatum, nihilominus documenta seu testimonia deducta ad detegendam veritatem suspicione haud carere: facile enim suspicari posse, ideo Iosephum intra tantum temporis intervallum non reclamasse, quod validam emiserit professionem, et exspectaverit eorum Regularium mortem, ut deficientibus contrariis testibus facilius assequi posset, quod cogitaret.

Consideratis inde testimoniis deductis, affirmabat Defensor, testimonium parentis esse suspectum; immo patrem uti testem prohiberi ex *can. Si testes q.* 3 et ex *L* 9 *ff. de testibus,* ob amorem, quo, natura duce, feratur in filios: maxime autem in praesenti themate, quum is, qui filium hortatus olim fuerit in eiusdem commodum ad suscipiendum religiosum habitum, prioribus causis cessantibus, eundem coadiuvare censendus esset ad eiusdem quod modo optaret matrimonium; quod et notatum fuerat in quadam causa *Neocastren.* diei 7 Maii 1718 penes S. C. C.

Neque obici posse timore reverentiali motum fuisse Iosephum a patre ad profitendum, quum minae defuerint: quae autem a testibus proferrentur, esse nimis generica, propterea quod numquam dicerent, in quo minae consistèrent, in quo gravia verba a patre prolata si professioni faciendae filius reluctaret. Immo ex ipsis testimoniis erui posse, minas, si quae fuerint, non aliud fuisse nisi vividas suggestiones et suasiones: quae si revera gra-

vibus minis iunctae fuissent, testes haud. dicere omisissent: patrem dici quidem terribilem, sed e converso testem dicere, se tenere, nunquam patrem exsecutioni fuisse mandatorum quod com minaretur.

Denique si timor incussus esset, considerari quoque debere, an in ingressu monasterii, vel in ipsa professione fuerit incussus.

Si enim primum ostenderetur, non satis esse ad infirmandum professionem; ad rem S. Rota in *Decis.* 797 § 36 *coram Molines:* « Probata in omni casu innitentia ingrediendi monasterium sim-« plex educitur coniectura, quod sicut soror Constantia citra « plenum consensum fuerit ingressa monasterium, sic etiam sine « voluntate Jn eodem emiserit professionem. Vaga tamen atque « admodum debilis est huiusmodi praesumptio, ac ubi in ea Iu-« dices constituerent specialem et magnam vim, praescindendo a « metu, innumerae essent illae Sanctimoniales, quae dicerent et « probarent, se absque plena animi satisfactione monasterium « ingressas. Sed quia post ingressum voluntas, cognito summo « illo bono, quod gignit in corde suave iugum religionis, mutari « solet; praecipue post laudabilissimum illud anni probationis « experimentum: qua de re, semel ac successive emittitur so-« lemnis professio, ex huiusmodi actis positivis denotantibus ple-« num consensum, destructa ac suffocata remanet illa praesum-« ptio contraria, quae oritur ex dissensu et renitentia in ingressu. « Unde est, quod in ea quaestione, an protestatio monialis, facta « ante professionem, quod non intendat animo et corde profiteri, « sufficiat ad probandum defectum interioris consensus; quamvis « Doctores varient, in eo tamen concordant, quod si inter pro-« testationem et professionem interponatur aliquod temporis in-« tervallum, tunc praesumitur mutata voluntas et antecedens « protestatio non efficit etc. ».

Quod si in professionis momento timor fuit incussus ostendi evidenter deberet; quum praesumendum non sit Ordinis Superiores, ss. canonibus, censurisque spretis, patri connivisse: enarrare quidem testem, sibi Iosephum protestatum esse, voluntatem profitendi non habere; sed resistere nihilominus factum professionis, quum per simplicia verba non elidatur.

Hisce animadversis contra nullitatem professionis, contendit Defensor, causas deesse dispensationis: inter causas enim dispensationis recenseri solere dubium professionis volorem: in prae-

senti autem themate ex dictis dubietatem deesse inquit: recenseri causam publicam ut cum aliis docuit Reiftenstuel in *lib.* 4 *Decretai, appena, de dispensat.* § 3 *n.* 141, quae in praesenti themate penitus abesset.

ANIMADVERSIONES ALIAE EX OFFICIO FACTAE. Ufficialis ille, qui Consultationes ex officio scribit, sui muneris esse duxit, novas utrimque animadversiones adiicere. Et circa acta processus animadvertit, R. Pontificem dispensasse quidem super solemnitatibus ; adiecisse tamen clausulam : *quatenus acta sufficientem probationem exhibeant ad dictam causam definiendam:* porro cum de factis demonstrandis agitur, etsi testes sufficientem validamque probationem constituunt, nihilominus concurrere quoque debere, et Iudicis inquisitionem ad veritatem detegendam, *I. Iudices G. de Iudic,* ubi legitur: « *Iudices oportet in primis rei veritatem plena inquisitione discutere* ».

In praesenti themate iudiciale examen Iosephi defuisse, quo interrogatus iuramento firmaret quae exponeret: carentiam autem huius examinis rem haud levem existimatam semper esse in huiusmodi causis.

Immo neglectam quoque videri quamlibet aliam inquisitionem praeter eam suggestam ab eodem Iosepho: factam non fuisse inquisitionem neque in loco quo Iosephus natus, neque quo professus esset, ubi adhuc Religiosi adesse dicerentur qui in eodem coenobio cum Iosepho vixerint: tres fere annos mansisse post professionem in uno alterove coenobio, et nullum eorum confratrum fuisse auditum.

Quod si tamen acta producta sufficientia existimarentur ad veritatem dignoscendam difficultates consurgere ad concedendam restitutionem in integrum.

Et circa restitutionem in integrum consideratum est, quinquennium tamquam utile tempus ad reclamandum adversus professionem religiosam a Tridentina Synodo ideo constitutum esse, ut eo elapso ius reclamandi praescriptum haberetur, ut notat Sánchez *de Matr. lib.* 7 *dip.* 37 *n.* 6. « Et videtur inducta dispo- « sitio pro utroque foro; quod Tridentinum id quinquennium « praefixerit, quo praescribatur ius a professione resiliendi ». Proindeque in integrum restitutionem concedi non solere nisi ob eas iustas causas, quae negligentiam excusare valeant, ceu idem scripsit auctor, *loc. cit. n.* 22 : « competere restitutionem in

« integrum adversus quinquennii lapsum ratione iustae ignoran-
« tiae aut impedimenti ad reclamandum »,

Contra, non videri iustas causas a Iosepho adductas, cuiusmodi illa erat, *ob praeteritas perturbationes,* id enim forte admitti posse, si de septem annis ageretur, quibus civiles vicissitudines bellaque in Hispania ferverent; non vero postea, praesertim quum insistentia quoque paterna postea cessaverit.

Aliud praeterea obstare: namque ex sanctione Tridentina *sess.* 25 c. 19 *de Reg. « Si antea habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur ».* Ideoque neque audiendum Iosephum esse, nisi prius iterum habitum regularem reassumpserit, apostasia purgata. Verum quidem esse, dominante dispersione, e coenobio exiisse, nihilominus, in admovemus S. Sedi precibus, et hoc prius postulare ipsum debuisse, ut legitima haberetur eius mora extra claustrum.

Quod si Iosepho concederetur nihilominus in integrum restitutio, animadversum est, timorem metumve gravem ad declarandam irritam professionem in praesenti themate non ostendi: namque et ipsum reverentialem metum minis iunctum esse debere Auctores tradere, ex textu *cap.* 4 et ibidem Glossa, Schimier *Iurisp. can. I.* 3 *tract.* 1 c. 3 *t.* 2 *n.* 347, 360, 398, aliique: exigi quoque, ut pater assuetus sit minas exequi, neque filium se subtrahi posse, Barbosa *not. decis.* 77, *n.* 47, Reiffenstuel, aliique.

In praesenti autem themate unum tantum esse testem, qui de minis a patre illatis mentionem faciat, quibus tamen, ut idem testis fatetur, non pateret, patrem minas fuisse exsecuturum : neque videri, quomodo filius eas declinare non potuerit, qui in longinquas quoque regiones deinceps demigrare ausus esset.

Praeterea, Iosephum permansisse post professionem tres fere annos in coenobio : iam vero tranquillam moram in coenobio per annum factam, tacitam ratihabitionem inducere, ut ex *Cap.* 1 *de Reg. in* 6, *et Clement.* 2, *eiusdem tit.* eandemque dispositionem suum retinere vigorem etiam post Tridentinum, docente Engel, in *Ius can. I.* 3 *tit.* 31 *n.* 25, Card. Petra, *Comment, ad Constit. Apost. t.* 5 *pag.* 525.

Sed Iosephum, non solum intra quinquennium reclamare neglexisse, sed non reclamasse nisi elapsis triginta et amplius annis, omni cessante violentia: quod maximam praesumptionem

ratihabitionis induceret; quare docente Sánchez *loc. cit. n.* 15: « haec praesumptio, qua Tridentinum praesumit, transacto eo « quinquennio ratifican professionem irritam *est iuris et de iure.* « Constat, quia Tridentinum fundatum in hac praesumptione, « statuit denegandam esse audientiam professo reclamanti ac « cogen d um stare professioni. At tunc est praesumptio *iuris et « de iure* (1). Deinde quia aperte excludit omnem probationem « in contrarium, dum audientiam adversus illam praesumptio- « ne m denegat ».

Quod si adhuc dubium superesset de validitate professionis, in hoc dubio validitati professionis standum esse.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO PRO IOSEPHO. E converso pro Iosepho pariter ex officio consideratum est, non omnino recte diçj, quinquennio elapso, non concedi restitutionem in integrum nisi ignorantia vel impotentia concurrent ob quam reclamare Professus non potuerit: namque vigente ignorantia vel impotentia eo ipso cessare praescriptionem, quum notum sit adagium: *contra ignorantem aut non nolentem agere non currit praescriptio.* Cessante ergo praescriptione, vix dici posset restitutio in integrum. Restitutionem enim in integrum ex aequitate praetoria originem duxisse, eandemque inniti levitati alicuius vel alterius fraudi aut causae cuique, quae negotio adhaereat, quaeque *iniquam faciat adversarii causam II.* 1 *et* 2 *ff. de in integrum restii.* idque docere quoque Sánchez *loc. cit. n.* 23 « quod haec resti- « tutio solam laesionem ob aetatis facilitatem contingentem re- « spiciat, nec aliam ignorantiam aut impedimenti causam desi-

it) Quid valeat apud Canonistas eiusmodi expressio, *praesumptio iuris et de iure,* sic describi potest. Praesumptio iuris est illa quae innititur auctoritati legis, ex. gr. de iure communi spectant ad Parochum emolumenta funeraria; iure itaque praesumitur, Parochum ad haec ius habere: item ad Episcopum spectat de iure communi iurisdictio in universam dioecesim, et iure praesumitur haec iurisdictio: haec tamen praesumptio elidi vel limitari potest per contrariam probationem. Praesumptio autem imis et de iure est illa quae adeo iuri innititur, ut contrariam probationem vi eiusdem iuris non admitit: in exemplum adduci solet *cap. 33 de spons. et matr.,* in quo sic rescripsit Gregorius IX. « *Is qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, insuper carnali copula subsequuta, etsi in facie Ecclesiae ducat aliam et cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen huiusmodi non est probatio admittenda* ».

« deret ». Ideo Benedictum XIV in Constit. *Si datam,* edixisse, ut restitutionis in integrum concessio pendere debeat ab accurato exsamine causarum de nullitate professionis.

Quod attinet ad praesumptionem iuris et de iure tacitae professionis et ratihabitionis quae elapso quinquennio non admittat probationem in contrarium, adnotatum est cum Cardjj De Luca, *de Begul. dic.* 41 *n.* U, opinionem contrariam prob*abiliorem esse, magisque receptam, ut scilicet quinquennii lapsus simplicem iuris praesumptionem inducat quae contraria probatione elidi possit, quod pluries firmaverit S. Rota. Immo eos ipsos, qui doceant oriri praesumptionem iuris et de iure, docere pariter eiusmodi praesumptionem non admittere quidem probationem in contrarium in iudicio ordinario, sed admittere probationem in iudicio extraordinario ad obtinendam restitutionem in integrum, ceu explicat Sánchez *loc. cit. n.* 22.

Porro causam a Iosepho allegatam consistere in vi et metu a patre illato.

Neque posse reiici uti testem, patrem, quum in Constitutione, *Si datam,* praescribatur, *in primis autem ii citentur (si superstites fuerint), qui indicati erunt tamquam auctores aut complices metus eidem incussi, ut votis invitus se costringerei.* Ceteros autem testes plenam fidem mereri, quum neque Curia episcopalis aliquid habuerit in eos animadvertendum, ac testimonia ad invicem essent conformia, quae statuerent indolem patris terribibilem et illatas comminationes violentiasque adhibitas, ut adolescens Iosephus et coenobium ingrederetur et profiteretur, qui questus esset de violentia, quique neque vellet ingredi coenobium, neque profiteri, et si profiteretur, ex vi illata, non animo profitendi id faceret ; et post professionem idem repetierit. Quod, quum hi testes fuerint coaevi, silentium aliorum, qui se nunc de hisce rebus nescire dicerent, argumentum negativum constituere, quod positivum testimonium infirmare non posset.

Hisce autem positis, in comperto esse timorem reverentialem satis esse ad infirmandam professionem, namque, *velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini, I.* 4 *ff. de reg. iur.* Mandante ergo patre, professionem necessaria libertate fuisse destitutam.

Neque deese eas conditiones, propter quas timor relative gravis reputari soleat, ut indoles patris minax atque terribilis

quae voluntati filii dominaretur, ceu ponderant Lezzan. *Consult.* 47 *n.* 15, Pirrus Conradus *prax. dispens. I.* 5 c. 14 *n.* 10, aliique.

Admissa autem in sua origine professionis nullitate, frustra de ratihabitione sermonem institui. Et in primis eam admitti non posse vi capitis 1 *de Reg. in* 6, *et Clementin.* 2 *eod. tit.* quum eiusmodi dispositio existimanda sit revocata per Tridentinam dispositionem, in qua per quinquennium ad reclamandum utile professio initio nulla non convalidatur; Ciarlin. c. 108 *num.* 29, Card. De Luca *de Regul. disc.* 40 *n.* 7.

Eo magis, quod perdurante triennio, quo Iosephus in coenobio moratus est, causa timoris permanserit; neque ex silentio producto argui posse ratihabitionem, idque erui ex causis *Suessana* 3 Augusti 1715, et *Quiten.* 22 Augusti 1807 agitatis in S. C. C.

Neque ratihabitionem argui posse ex quinquennio longe producto usque in praesens : propterea quod ad desumendam praesumptionem ratihabitionis satis existimentur querimoniae quoque extraiudiciales, Gloss, in *cap. Tuam,* verbo *signatus, de privileg.* Card. De Luca *de Regul. disc.* 48 n. 5, Passerin. *de statu homin. t.* 3 *q.* 189 *art.* 10 *n.* 418 Ursaya *tom.* 5 *discept.* 17 *n.* 27, aliique.

In praesenti vero themate non haberi quidem verbales querimonias, sed haberi aliquid amplius, idest factum ex ratione vivendi quae a vita regulari perquam longissime abesset; de qua re sic Card. De Luca *disc.* 12 *n.* 6: « Impossibile videtur, ut « illud tempus in quo bona fide professus fuit in statu saeculari « et extra religionem, computandum veniat pro tempore conti- « nuationis status in Religione, ex quo tacita professio, seu iam « emissae ratificatio deduci posset; quoniam esset deducere ex « impugnatione ratificationem, atque, gesta ad unum finem ope- « rarentur effectum directe contrarium contra principia iuris et « naturae ».

Quod pertinet ad dispensationem adducebatur in exemplum causa *Meliten,* agitata in S. C. Ep. et. Reg., quae refertur in *Collectanea* E.mi Card. Bizzarri, in qua causa haec inter cetera referuntur; « Quod vero ad dispensationem pertinebat in con- « sultatione referebatur casus dispensationis concessae a S. C. EE. « et RR. die 16 Decembris anno 1831 cuidam Religioso Con- « verso, qui in concubinatu vivebat, quinque liberos procreaverat

« et in loco, in quo ipse cum muliere commorabatur, uti legi-« timi coniuges reputabantur. Sed prius actum fuerat summarie « et oeconomice de nullitate professionis ex defectu legitimi su-« perioris religiosam professionem acceptantis. Et quamvis E.mi « Patres autumarent professionem irritam fuisse, tamen ad omnem « dubitandi rationem removendam auctoritate S. Pontificis com-« miserunt Ordinario F., ut Fr ... laicum professum in ordine... « ab emissis solemnibus votis... quatenus opus sit, dispenset. « In casibus enim in quibus ad nullitatem declarandam gravia « habentur argumenta, et nonnisi aliquod dubium remaneat, ad « omnimodam conscientiae tranquillitatem dispensatio ad caute-« Iam aliquando concedi solet »,

Quare in ea *Meliten,* propositis dubiis: I. « An debeat con-« cedi restitutio in integrum in casu: et quatenus affirmative: « II. An constet de nullitate professionis in casu: et quatenus « negative: III. An supplicandum sit SSmo pro aequa votorum « dispensatione in cusu ». S. Congregatio rescripsit ad I. II et III., *attentis peculiaribus circumstantiis supplicandum SS.mo pro gratia dispensationis cum solitis clausulis et conditionibus.* Quam resolutionem SSmus Pater adprobavit ».

Dubia..

I. « An constet de causis restitutionis in integrum in casu.

« Et quatenus affirmative.

II. « An constet de validitate professionis in casu.

« Et quatenus negative.

III. « An supplicandum sit SSmo pro votorum dispensatione « in casu ».

RESOLUTIO S. Congregatio Episcoporum et Regularium causa prima vice discussa in comitiis habitis die 18 Martii 1870 respondere censuit: ad I. II. et III. *Attentis peculiaribus circumstantiis supplicandum SS.mo pro gratia dispensationis cum solitis clausulis et conditionibus* (1).

(1) Clausulae et conditiones quae eiusmodi causis, ope dispensationis diremptis, apponi solent, hae sunt: Episcopo seu Ordinario oratoris facultas conceditur dispensandi super aliis votis in professione emissis, et commutandi votum castitatis, causa dumtaxat matrimonii, servatis servandis, legitime contrahendi, in sacramentalem Confessionem semel quoli-

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. In causis illis, in quibus agendis peculiares solemnitates servandae praescribuntur, si forte super solemnitatum observantia auctoritate Apostolica dispensetur, non dispensari super probationibus necessariis ad veritatem dignoscendam (1).

II. Regularem, qui validitatem suae professionis impugnet, audiri non posse si elapsum fuerit quinquennium ad reclamandum utile vel etiam si extra coenobium degat.

III. Eundem, ut audiatur, beneficium extraordinarium restitutionis in integrum a S. Sede obtinere debere, quo ad impugnandam professionem habilis reddatur.

IV. Hoc beneficium concedi si, causis nullitatis professionis inspectis, appareat iniquam * fuisse conditionem eius qui professus fuerit, bonamque esse eius causam.

V. In eiusmodi tamen causis, quas S. Sedes in prima instantia iudicandas sibi assumat, in uno eodemque iudicio cognosci tum de causis restitutionis in integrum tum de validitate professionis.

VI. Professionem in suo initio nullam non videri posse convalescere per subsequentes actus emissos, non solum intra quinquennium, sed etiam post quinquennium **(2).**

bet mense et in alia pietatis vel poenitentiae opera ab Ordinario definienda, ita tamen, ut si mulieri, cui nupserit, supervixerit, eodem castitatis voto, ut prius obligatus remaneat.

(1) Causae illae in quibus agendis solemnitates peculiares communi iure sunt praescriptae sub poena nullitatis actorum, praeter causas canonizationis et causas criminales, sunt causae matrimoniales, et professionis religiosae; reliquae causae fere omnes iudicio summario pertractari possunt : de hac re videsis quae deduxi in praesenti ***Volumine pag. 38 et seqq.***

(2) Quamvis disputatum fuerit inter Auctores utrum professio religiosa solemnis, quae initio fuerit nulla, post Tridentinum Concilium convalidari per subsequentes actus possit, puta per renovationem votorum, quae forte fiat singulis annis; attamen inspecta praxi quae viget in huiusmodi causis Romae iudicandis, dicendum videtur, vota nulliter emissa per subsequentes actus non convalidari: numquam enim ponitur dubitandi formula: an professio, initio nulla, fuerit convalidata per subsequentes actus: sed disputatur tantum, an concedenda sit restitutio in integrum ob lapsum quinquennii: et ad hanc restitutionem concedendam, praesertim post Const. ***Si Datam,*** **in examen revocantur causae nullitatis professionis: contia si professio revalidan posset per subsequentes actus in examen praeterea revocandi omnino essent actus ob quos dici forte posset revalidata professio. Neque haec opinio destituitur giavi**

VII. Causa de nullitate professionis discussa, si dubium de eius nullitate adhuc supersit, idem dubium invocari posse inter causas ad obtinendam Apostolicam dispensationem.

VIII. In praesenti themate testimonia adducta ad ostendendum vim metumque incussum, quamvis forte aliquid desiderandum relinquerent, nihilominus cum adiunctis reliquis in quibus post professionem Iosephus est versatus, sufficientia existimata esse ad obtinendam super votis dispensationem et voti castitatis commutationem.

ratione: namque a Concilio Tridentino constitutae sunt quaedam conditiones ad profitenda vota solemnia, quibus deficientibus professio ipso iure irrita est; ut est ex. gr. annus integer novitiatus necessario professioni praemittendus; eiusmodi conditiones et si extrinsecae actui professionis, tamen post Concilium. Tridentinum considerantur ut substantialis forma actus: quod et in contrahendo matrimonio similiter contingit. Ideoque, si actus fuerit ex aliqua causa in suo initio nullus, non revalidatur per subsequentes actus nisi professio legitime repetatur et rite acceptetur a monasterio tamquam actus solemnis professionis. Forte ex paritate rationis convalidari dici potest professio si fuerit nulla ex occulta causa, ut de matrimonio traditur; de qua re videsis quae scripsi in *Vol. II pag. 52;* nec non causam *Super declaratione, etc.* ibidem *pag. 304.*

Die 30 aprilis 1689 et 18 Martii 1870.

Compendium facti. Urbs R. incolis frequens in dioecesi N. duas habet paroeciales ecclesias Clero ditatas, quarum una collegiata S. Georgii martyris, matrix appellata est; altera vero S. Ioannis Baptistae. Hae duae ecclesiae post hominum memoriam ab uno Rectore eiusdem matricis gubernatae fuerant. Anno 1711, ad extinguendum discordiarum semen inter utramque ecclesiam, Clemens XI solvit ecclesiam S. Ioannis a matrice S. Georgii atque duos nominavit constituitque Rectores, qui tamen possessionem haud ceperunt, propterea quod limites utriusque paroeciae definiti non essent. Quare discordiae magis magisque exarserunt, quae, novis Rectoribus a Benedicto XIII nominatis, atque ad invicem inter utramque ecclesiam initis pactis die 22 Iulii 1728, cessare visae sunt.

Haec pacta, quae amplissimis clausulis conclusa fuerunt, in his consistebant, ut populus in duas aequas partes dispesceretur intra limites territorii amice definiendi; utraque autem ecclesia eas servaret praerogativas quibus ante fruerentur; haec quidem in genere.

In specie autem inter cetera convenit, ut Parochus S. Ioannis olea sacra accipere posset ab episcopali urbe N. SSmum Sacramentum exponere in supplicatione quadraginta horarum statis anni diebus; processiones agere S. Titularis eius die festa et octava; nec non SSmi Sacramenti die dominica prima cuiusque mensis; intra octavam Corporis Dominici et feria quinta maioris hebdomadae: quarum quidem processiones aliae per huius paroeciae vias ad libitum agi possent; aliae vero intra templi limites, adiecta quoque conditione, ut stata hora ad vesperas sacra functio completa esset. Quoad aeris campani sonum statutum quoque est, ut ecclesia sancti Ioannis non amplius ut antea teneretur die Sabbati Sancti pulsare ictibus singulis respondentibus sono aeris campani ecclesiae S. Georgii.

E converso inter eos convenit, ut Parochus S. Georgii inciperet ac finiret processiones seu publicas supplicationes die S. Marci et feria secunda rogationum et Ascensionis Domini in

quovis templo, licet subiecto ecclesiae S. Ioannis; ceterae autem supplicationes functionesque iuxta consuetudinem agerentur, ita tamen, ut Parochus S. Ioannis excipere deberet in choro Capitulum S. Georgii, quoties hoc intervenire existimaret, eidemque choralia subsellia et thus etc. exhibere. Uterque Parochus funeribus interesse posset, ubi cuiusque clerus invitaretur, uterque suos defunctos paroecianos sepeliret, ita tamen, ut ius sepeliendi exteros ad unicum S. Georgii Parochum spectaret. Denique ut Parochus S. Ioannis limitare vel coercere iura haec conventa ecclesiae S. Georgii non posset, sed e converso aliquid aliud posset exigere hic Parochus pro rerum supervenientium mutatione, ex iis, quaeJibere Parocho S. Ioannis collata essent.

Die 9 Septembris paullo amplius haec pacta inter utramque ecclesiam declarata sunt, determinatisque paroeciarum limitibus, Episcopus suo Decreto die 22 Decembris 1729 pacta conventa confirmavit, quo cessare discordiae, ut dixi, visae sunt.

At vero sub finem praeteriti saeculi et sub initium praesentis pluries Parochus S. Georgii conquestus fuit depactorum violatione, ita ut, eo te npore civilis perturbationis, etiam civilis gubernii Decreta intervenerint, ut pacta conventa servarentur: immo die 6 Maii 1815 Episcopus, controversiis iudicialibus molis, eadem pacta ut servarentur sententiam edixit. Iactabat enim ecclesia S. Ioannis matricitatis iura.

Anno 1865, quum praesens civile gubernium eam civitatem R. in duas communitates partesque diviserit, inferiorem et superiorem, quumque hac occasione Episcopus in parte superiori, ad quam pertinet ecclesia S. Ioannis, alium Vicarium Foraneum nominaverit, Clerus S. Ioannis anno 1867, Episcopo suffragante S. Sedi supplica vit, I° ut in ecclesiam matrem elevaretur ecclesia S. Ioannis, quae iamdiu esset independens ab ecclesia S. Georgii ex diplomatibus Alexandri VII diei 6 Decembris 1659 ab aliis supremis Decretis confirmatis; 2° ut S. Ioannes Baptista patronus declararetur in partem civitatis superiorem cum festo de praecepto, rituque duplicis classis ; 3° ut aboleretur festum de praecepto pro ea parte civitatis superiore, quod die S. Georgio sacro celebrari consueverit.

Sed quum haec nosceret Clerus S. Georgii reclamavit. Rogatus Episcopus inter cetera retulit, se in errorem fuisse indu-

ctum in commendandis precibus Cleri S. Ioannis, eundemque clerum pacta conventa aperte violare.

Quum ille Clerus pacta conventa violare pergeret adversus recentia Decreta, iuraque praetenderet, quaestiones violentiaeque exsurgerent de Vicario Foraneo recipiendo in parte superiori, causa denique deducta est, servatis servandis, coram S. Congregatione.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO ECCLESIAE S. GEORGII. Huius ecclesiae Defensor initio commemorabat (quod commune fere erat in ecclesiastica veteri disciplina) unicam paroecialem ecclesiam in ea civitate eam fuisse, quae in universam civitatem R. exerceret iurisdictionem, ad quam clerus aliarum ecclesiarum ratione ss. functionum convenire deberet: anno 1728 accidisse primum, ut ex pactis conventis facultas facta esset ecclesiae S. Ioannis quasdam sacras functiones ex sese agere: praesenti autem tempore non solum pacta conventa violari ; sed subverti e fundamentis iura ecclesiae S. Georgii, quum Clerus S. Ioannis ausus esset quoque suae ecclesiae inscribere verba, *ecclesia mater,* huncque sibi usurpare titulum ; et sacras functiones supplicationesque pro suo libito facere : atque pacta conventa quae sancte essent servanda *L* 7 §. 3 *ff. de pactis* pessumdare : quum e converso etiam ex rerum supervenientium mutatione nihil se detracturam iuribus S. Georgii ecclesia illa amplissimis clausulis spoponderit firmaveritque.

Praetermissa quoque dicta conventione, secundum ordinem ecclesiasticae disciplinae esse, ut sacrae pubblicae functiones et praesertim supplicationes non agantur eodem tempore in ecclesiis eiusdem loci ut confusiones et scandala declinentur, Card. De Luca *de Paroch. disc.* 36 *n.* 9; et consuetudines in eiusmodi materia multum valere, servandasque apprime esse, S. Rota *decis.* 560 *n.* 1 *p.* 19 *recent.* Centenariam longioremque consuetudinem ferre, ut functiones, quas modo facere intenderet ecclesia S. Ioannis, unice pertinuerint ad ecclesiam S. Georgii, quamquam alias ecclesia S. Ioannis eas functiones facere attentaverit. Decretis enim pluribus supervenientibus ab his conti-

nere debuisse ; quibus magis magisque recognita confirmataque esset consuetudo.

Quare etiamsi opponi vellet, conventionem initam carere Apostolica confirmatione, ideoque suis carere viribus, superesse tamen alios legitimos titulos ad coercendam ecclesiam S. Ioannis ne iura sua protenderei

Sed neque id opponi posse, prosequebatur Defensor, namque non de iuribus alienandis conventum id temporis fuisse, sed de componenda methodo statuendoque modo, quo se ad invicem haberent ecclesiae in exercitio ss. functionum, ut ordo servaretur. Quae quidem confirmabat auctoritate Card. De Luca, *Misceli, eccles, disc.* 37. Hic enim auctor enarrat, controversiam exortam fuisse inter quandam ecclesiam matricem et aliam parochialem cuiusdam civitatis ratione publicarum supplicationum seu processionum : eandemque controversiam pro matrice fuisse pluries definitam a S. C. R. praesertim ob quandam conventionem, quae inter utramque ecclesiam ab antiquo firmata fuerat. Quum autem ipse fuisset consultus ab ecclesia succumbente, se impugnandum existimasse conventionis valorem, utpote quae destituta esset Apostolica confirmatione ; namque, ut ipse auctor ait *ibid. n.* 5, « huiusmodi transactiones super praeeminentiis « aliisque iuribus incorporalibus inter ecclesias vel personas « ecclesiasticas, redolent speciem prohibitae alienationis, atque « cadunt sub dispositionem Extravagantis *Ambitiosae, de Rebus « -Eccles, non alienandis,* ideoque requiritur cumulative iusta « causa necessitatis vel utilitatis, ac etiam solemnitas Benepla- « citi Apostolici ». Verum idem auctor subiungit : *remeciendo ad veritatem, agnoscebam huius motivi fallaciam... quoniam ea regula procedit quando fiat concordia vel alter conctractus contra iuris regulam seu dispositionem, adeo ut tollatur vel minuatur ius unius illudque in alterum transferatur.* Quod dum agitur de sacris functionibus et processionibus ordinandis locum habere non solet.

Quare, concludebat Defensor, satis fuisse in conventione de qua agimus confirmationem episcopalem. Quod, si nullius valoris dici adhuc vellet conventio ob carentiam Apostolicae confirmationis, lapsus tamen triginta annorum satis esset ad dictum Beneplacitum praesumendum : S. Rota *in Vicen. Portionum* 1 *Iunii* 1623 *coram Dunoset.*, et in *Romana census* 13 *Iunii* 1665 *coram*

Triólo. In praesenti autem themate de consuetudine agi 140 annorum.

Multo minus in consideratione esse habendam divisionem civilem urbis R. in duas partes : eam siquidem divisionem neque firmam esse, neque inter cives immutasse relationes, neque posse in quavis hypothesi ecclesiasticam administrationem commutare, neque iura pessumdare matricis ecclesiae.

Haec autem confirmabat Defensor allegata causa *Aquinaten.* agitata in S. G. G. die 17 Martii 1827 in qua, quum da simili huic nostrae causa ageretur; proposito dubio : « An et quomodo « sit annuendum precibus Parochi et Cleri S. Margaritae in « casu » ; responsum prodiit : *Negative et ad mentem : mens est, firma remanente processione diei SS.mi Corporis Christi eodem modo et forma iuxta statuta ; quoad reliquas processiones tantum Episcopus proponat media conciliationis auditis partibus.*

DEFENSIO ECCLESIAE S. IOANNIS. Favore ecclesiae S. Ioannis ex officio haec considerata sunt: Ecclesiam S. Ioannis petere titulum matricitatis, ut in quibusdam sacris functionibus peragendis libera esset et independens ab ecclesia S. Georgii. Functiones autem, de quibus quaeritur, non esse proprie paroeciales, quarum nonnullae pertinerent non quidem ad ecclesiam matrem, sed ad ecclesiam digniorem.

Sane supplicationem quadraginta horarum, commemorationem septem dolorum B. V. Mariae, aliasque similes functiones paroeciales non esse, patere: pariter processionem Sacratissimi Corporis Dominici, S. Marci, Rogationum aliarumqne similium ad digniorem ecclesiam pertinere deprehendi ex *cap.* 13 *sess.* 25 *de Begul.* Concilii Trid. « *Exempti autem omnes tam clerici saeculares, quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur* » : publicas autem censeri quae fiant pro solemni processione SS.mi Sacramenti, vel quando Sanctissimum Sacramentum pro quacumque causa publica vel privata deferatur in processione et quae fiant pro festo S. Marci et pro rogationibus et die Purificationis B. M. et in Dominica palmarum, ceu declaravit in quadam causa *Urbis S. Honuphrii S. C.* R. die 18 Novembris 1606: eiusmodi autem processiones fieri debere in maiori ecclesia terrae, oppidi vel urbis.

Ad sonum aeris campani quod attinet in celebri Decreto Urbis et Orbis diei 12 Decembris 1703 haec reperiri : « An prima

« pálsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus : » *Negative prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X n.* **22** §. 14.

ideoque quum de iuribus praeeminentiae agatur, non esse considerandam qualitatem matricitatis, sed dignitatem et maioritatem: Pitonius *discept, eccles.* 106 *n.* 11.

Quare si ecclesia S. Ioannis ex rerum mutatione praerogativam aliquam sit assequuta, ob quam dignior quam matrix evaserit, non videri praecedentiam vel independentiam esse eidem denegandam : eo vel magis, quod Episcopus in precibus commendandis S. Sedi eam dixerit : *Insignem Basilicam :* quibus exstantibus, cessare videretur conventio, quum res in eum casum incidisset a quo incipere non potuisset.

Facta inde triplici distinctione matricitatis, quum aliae ecclesiae dicantur verae matres et sint cathedrales, *cap.* **22** *de Verbor. Significat,* ubi declaratum legitur: *Nos per matricem ecclesiam cathedralem intelligi volumus :* aliae vero matres dicantur, quia alias produxerunt ecclesias, ut in *cap.* **3** *de eccles, aed.* aliae denique ita appellentur sensu improprio, quatenus hic titulus eisdem attribuatur ratione antiquitatis vel dignitatis, consideratum est, improprio sensu videri attributum titulum matricis ecclesiae S. Georgii, quum Clemens XI non dismembrationem fecerit, sed unionem solverit ecclesiarum unitarum, quae antea ita regebantur ab uno Rectore, ut tamen unaquaeque suos titulos suasque praerogativas servaret. Quum itaque non demonstrare tur, ecclesiam S. Ioannis fuisse membrum paroeciae S. Georgii, facilius liberari posse a vinculo dependentiae, quod a matricitate S. Georgii derivaret.

Post haec et alia animadversa sunt quae independentiam suaderent ex rerum supervenientium mutatione, ex divisione facta civitatis in superiorem et inferiorem : namque in praesens, ea urbe veluti in duas civitates divisa, pars superior, ad quam pertinet paroecia S. Ioannis, viginti fere civium millia continens,, dicebatur nobilior, ditior, commercio auctior, quam altera, ita ut ad declinandas controversias et simultates, expediens quoque Episcopo visum esset administrationem ecclesiasticam seiungere per deputationem Vicarii Foranei.

Hisce animadversis, propositum est resolvendum

Dubium

« An et quomodo annuendum sit erectioni in matricem ec-
« clesiae paroecialis S. Ioannis seu potius servanda sit transactio
« diei 22 Iulii et 19. Septembris 1725 id casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcop. et Reg. causa cognita die 30 Aprilis 1869 respondere censuit : *Negative in omnibus ad primam partem : affirmative ad secundam, et scribatur Ordinario ad mentem.* Mens autem S. C. fuit, ut independenter a praesenti quaestione de matricitate, ipse in pleno iure esset nominandi in parte superiori urbis R. Vicarium Foraneum si id expediens putaverit.

Post huiusmodi Resolutionem novam audientiam imploravit atque obtinuit Clerus S. Ioannis, atque spatium mensis ex mandato S. C. concessum est partibus ad deducenda ulteriora iura sua : attamen idem Clerus S. Ioannis nihil deduxit ; contra, Clerus S. Georgii nova scripta dedit, quibus vehementer conquerebatur, ecclesiam S. Ioannis studuisse ope civilis magistratus impedire processionem SS.mi Corporis Dominici, retinere adhuc in templo inscripta verba, *ecclesia mater,* atque pessumdare conventionem. Proposita iterum causa in contumacia partis coram S. C. die 18 Martii 1870, cum consueta • dubitandi formula : « An
« et quomodo recedendum sit a Resolutione diei 30 Aprilis 1869
« in casu : » responsum prodiit : *in decisis, et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Transactiones seu conventiones inter ecclesias de iuribus ecclesiasticis firmas haud esse sine confirmatione Apostolica.

II. Veteres transactiones a S. Sede forte non confirmatas, firmitatem acquirere posse vi consuetudinis vel praescriptionis (1).

III. Non tamen Apostolica confirmatione, ut firmae maneant, indigere illas transactiones, quae non gravia respiciant ecclesia-

(1) Confer causam *Iurium et privilegiorum,* quam adduxi in *Vol. I pag. 582 et seqq.* ibique exposui quoque Decretum Urbis et Orbis anni 1703, iuxta quod quaestiones de relationibus inter ecclesias SS. Congregationes dirimere solent,

rum iura, quasque, necessitate vel ordine cogente, partes aeque ineant, accedente Episcopi auctoritate.

IV. Decere, ut processiones publicae, quas fieri contingat, maiore solemnitate quoad possit agantur : ideoque ad eas posse compelli omnem Clerum eiusdem civitatis vel loci.

V. In processionibus tamen publicis consuetis consuetudines esse servandas.

VI. Civiles dispositiones, quibus administratio unius eiusdemque civitatis in partes dispescatur, non posse *ex sese* inducere mutationem in ecclesiastica eiusdem civitatis administratione, neque iura ecclesiarum laedere.

VII. In-praesenti themate, transactione iamdiu a saeculo vigente, nullum in contumacia partis adductum fuisse titulum, ut iura cleri S. Ioannis augerentur in detrimentum alterius ecclesiae, quae semper aliquem saltem primatum inter eius civitatis ecclesias possederat.

VIII. Colliges denique, in potestate esse Episcopi constituere Vicarium Foraneum, qui commissam auctoritatem episcopalem exerceat in populum eidem designatum.

Die 18 Februarii 1870.

Compendium facti. Redit causa quam exposui in *Vol. II p.* 418 *et seqq.* cuius facti speciem expedit heic breviter recolere.

Moniales monasterii N. vendere cupientes quandam suam do nunculam invitarunt quotquot vellent, ut intra mensis terminum traderent scriptas obsignatasque oblationes ; quo termino elapso, eiusmodi oblationum litterae aperirentur et in *consideratione* haberentur. Unum habuerunt oblatorem Philippum, qui obtulit scut. 382. Moniales, re delata ad S. Congregationem Ep. et Reg., obtinuerunt facultatem vendendi eam domum per Rescriptum : *favore Philippi.... pretio scut. non minus* 3ö2, *salvo iure vicesimam ac sextae, facta facultate reducendi terminos ad decem dies pro vicesima, totidemque pro sexta.*

Ad formam huius Rescripti, affixis edictis pro *vicesima,* plures inventi sunt oblatores, quorum maior obtulit scut. 412 : denunciata hac oblatione, Philippus eandem summam se soluturum spopondit.

Affixis dein edictis pro *sexta* aliae oblationes porrectae sunt, quarum maiorem obtulit Thomas in scut. 600 ; quam oblationem sibi denuntiatam Philippus deliberatarius renuit, atque ita Thomas mansit *sextarius,* cui adiudicanda erat domus.

Elapsis decem diebus novi adfuerunt oblatores, quorum maior fuit Fructuosus, qui obtulit scut. 720, nec non Ioannes, qui obtulit scut. 710.

Haec sciens Thomas protestatus est, contendens, elapso utili termino, se esse deliberatarium definitivum, nec monialibus licere ad ulteriora acta procedere contra ius sibi quaesitum.

Rebus omnibus suspensis, Moniales a S. C. postularunt, quid agere deberent: exorta inde atque agitata controversia, S. Congregatio die 24 Augusti 1866 respondit: *Nemini ex oblatoribus ius inesse ad deliberationem obtinendam : attentis vero particularibus circumstantiis, quatenus Thomas (N.), infra decem dies a denunciatione, acceptam habeat oblationem scut.* 720 *eidem venumdetur: alias Fructuoso* (N.), *et amplius.*

Thomas eam summam scut. 720 aequare renuit, atque ita Moniales cum Fructuoso de venditione egerunt. At hic etiam recessit ea de causa, quod dictus Ioannes qui obtulerat scut. 710 litem movit adversus moniales, ob domum quam ipse possidebat contiguam domunculae vendendae, contendens, se praeferri debere. Quare tractatus sunt coepti cum Ioanne; sed hic quoque pedetentim distulit complere contractum per Instrumenti **Stipula**tionen!, quaerens iugiter documenta quae ostenderent, quomodo ea domus in dominium Monialium devenisset.

Quum res ita in longum protraherentur in detrimentum domunculae quae instauratione indigebat, Moniales statuerunt in iudicium Ioannem vocare, ut suae obligationi faceret satis: sed respondente Ioanne, se iuri prelationis renunciare, legalique renunciatione emissa, monialium Procurator se convertit ad Thomam ut obligationi susceptae faceret satis, qui tamen modo renuit. Interim alter oblator consurrexit, qui obtulit scut. 500: proinde Moniales preces extabuerunt S. Congregationi pro facultate obtinenda ad vendendam domum huic novo oblatori, omissis quoque ceteris experimentis vicesimae et sextae.

Rogatus Ordinarius pro informatione et voto rescripsit : « optionem dandam esse Ioanni aut emendi domum ex pretio « convento scut. 720, quum nihil valeret eius renunciatio iuri « praelationis; aut domum vendendam cuivis alteri minori obla- « tori, ita tamen ut Ioannes adigeretur ad complendam summam « scut. 720 ».

Idem Ordinarius ex mandato S. C. eiusmodi propositionem intimavit Ioanni, qui sese excusans tandem conclusit, se empturum domum, ita tamen ut annuum censum reservativum ratione scut. 5 pro singulis centenis loco conventae summae monasterium acciperet.

Ad haec auctoritate S. C. rescriptum est : *pro petita venditione favore Ioannis non minori pretio scutatorum* 720, *solutis fructibus compensativis liberis etc. dominio interim et speciali hypotheca reservatis, donec pretium, quod intra triennium solvendum erit, persolutum fuerit ac investitum.*

Quum et id nec facere Ioannes videretur, res servatis servandis coram plena Congregatione dirimenda deducta est.

Disceptatio synoptica.

IURA IOANNIS. EX officio pro Ioanne perpensum est, ius praelationis quod Ioanni competebat, non videri secumferre obligationem domum emendi: unumquemque enim suo iuri posse valedicere, item beneficio; « *invito, enim beneficio non datur* » *Reg.* 69 *ff. de Reg. iuris.*

Frustra autem obligationem deduci ex damnis, quae forte monasterium persentiret ex dicta renunciatione; etenim *non videtur vim facere, qui suo iure utitur* - item - *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quae facere ius non habet, I.* 151 *e* 155 *ff. de reg. iuris.*

Sed facta hypothesi, Ioannem obligatione teneri, obligationem solvi, iusta interveniente causa: iustam autem causam ab ipso monasterio suppeditari, quod *praestare debet emptori, ut rei rem habere liceat sine controversia I.* 11 § *% I.* 30 § 1 *ff. de act. empt. et vend.* Quum autem monasterium non praestiterit instrumenta et titulos ad ostendendam legitimam dominii originem, eo ipso obligationem videri solutam.

Neque posse cogi ad emendum domum priorem oblatorem, Fructuosum, quum monasterium egerit de venditione non cum Fructuoso, sed cum Ioanne: quemadmodum enim Fructuosus solutus fuisset ab obligatione si oblatio scut. 720 acceptata esset a Thoma; ita vicissim Fructuosum solutum esse ab obligatione per acceptationem factam a Ioanne.

IURA MONASTERII. Pro Monasterio perpensum est, proprii iuris exercitium permissum esse, quousque iniuria damnunque alteri non inferatur. Ioannem autem per optatam praelationem in locum primi emptoris subrogatum esse, cessante iure praelationis in altero oblatore. Quare recedere ab emenda domo non posse; quod, si recederet, indemne facere teneretur monasterium; de qua re in *I.* 33 *ff. de dolo malo* sic legitur: « *Rei quam venalem possessor habebat litem proprietatis adversarius movere coepit; et posteaquam opportunitatem emptoris, cui venumdari potuit, peremit, destitit; placuit, possessori hoc nomine actionem in factum cum sua indemnitate ^competere* ». Quem textum sic exornat Glossa: « Possi-
« debam librum, et quum eum volebam vendere tibi, Titius movit
« mihi quaestionem de libro illo, et propter hoc tu non emisti

« librum, sed alium tibi emisti et ab alio; destitit tamen Titius « ab agendo. Dicitur hic, quod iste Titius mihi de dolo tenetur, « vel in factum si fuerit parens vel patronus ».

In questione autem utrum recedi possit a petitione facta iuris praelationis adducebatur sententia .Gorradini, qui hanc quaestionem pertractans *de iure praelation. p.* **2** *n.* **10** *et seq.* ad rem nostram haec scripsit: « Aut fuit actum pro praelatione obtinenda, « et venditor ex hac actione intentata damnum passus fuit, puta « quia ei defecit occasio vendendi ex quo is qui emere volebat, « vel iam instrumento n Confecerat, noluit amplius emere, et id « ipsi licuit ex aliquo pacto apposito in instrumento, et tunc, « quia ex hac lite intentata ortum est damnum venditori, non « licebit amplius praelationem petenti, etiam sententia nulla pro« lata, mutare consilium, sed tenebitur actione in factum ad id « quod venditoris interfuit non vendidisse, vel actione de dolo « si statim ac elapsa est occasio rem alienandi, profitetur se nolle « amplius emere— alias enim possent fraudes multae committi: « et postquam fuit elapsa occasio rem vendendi, mutare consi« lium esset evidenter fraudulentum, et dignum plusquam talis « legis punitione ».

Neque exceptionem a Ioanne factam (quasi vero monasterium non satis ostenderit legitimam longaevamque dominii originem), non videri in facto subsistere, quum sufficientia documenta exhibuerit: idque modo admittere videri eundem Joannem, quum censum reservativum constituere petierit; quod tamen vergeret in dammi n monasterii, quum hoc fruatur iure cogendi Ioannem ad adimplendas conditiones quas in acceptis habuissent ceteri oblatores.

Quod si denique Ioannes declararetur immunis ab obligatione emendi vel indemne monasterium faciendi, non tamen ab hac obligatione solutum dimittendum esse Fructuosum : hunc enim devenisse verum absolutumque deliberatami n vi licitationis iuxta Resolutionem S. G. nec monasterium renunciasse suo iuri in Fructuosum acquisito; sed passive subiisse vim externae legis, quam Ioannes praetendens sibi ius praelationis allegaverit: hoc impedimento itaque, quavis ratione, cessante, non videri ab obligatione certo contracta Fructuosum solutum iri.

Dubium.

« An, quomodo et in quem de obligatione constet emendi « donum vel indemme reddendi monasterium in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium causa cognita die 18 Februarii 1870 respondere censuit: *Affirmative, pro venditione favore* (Ioannis) *et ad mentem: mens est, ut stipulatio locum habeat intra terminum duorum mensium pretio scutatörum* 720, *concesso etiam termino sex annorum pro solutione dicti pretii^ repensis interim fructibus compensativis ad rationem scutatörum quinque in singula centum, et praeter reservationem dominii.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ius praelationis, quod acquiratur in rerum licitatione, obligationem secumferre erga venditorem complendi emptionis contractum.

II. Ius praelationis cedi posse alteri, qui illud affectet, accedente tamen consensu venditoris.

III. Cessio narium, hac ratione, subintrare in eadem iura easdemque obligationes, quibus, qui cessit, tenebatur.

IV. Obligationes consistere in emptione complenda per solutionem integri oblati pretii, quo ius praelationis fuerit acquisitum, vel in indemnitate rependenda venditori si ab emptione complenda emptor resiliat.

V. Discrimen tamen intercedere inter ius praelationis acquisitum iure licitationis et ius praelationis acquisitum ex cessione alterius extra licitationem.

VI. Primum ius perimere iura aliorum licitatorum et obligationes; alterum vero, si forte périmât ius cedentis, posse non perimere obligationes eiusdem cedentis erga venditorem, si cessionario suae obligationi non satisfaciat.

VII. Maxime si venditor sit pius locus, qui ex facto proprio deteriorem reddere non potest suam conditionem.

VIII. In praesenti themate, Ioannem subrogatum esse, accedente aliquo monasterii consensu, in iura et obligationes Fructuosi a quibus dissolvi idem Ioannes sine iniustitia tum in cedentem tum in monasterium amplius non posset.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

MASSILIEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI ~ URBANO PAPAE V SANCTO NUNCUPATO.

Gravem referimus causam quae iniuria temporum multas vicissitudines subiit. Namque causa canonizationis Urbani V, cuius cultus olim florentissimus fuit, ob funestum schisma silere primum coacta est. In inquisitione quoque Romae facta sub Clemente X, qua multorum Romanorum Pontificum cultus fuit autentice recognitus, eius causa neglecta mansit. Perseveravit nihilominus cultus, praesertim Massiliae, ubi eius cineres quiescebat, silere tamen coactus est anno 1789, quo impii homines, cultum quoque Divinum quoad possent delentes, omnia susdeque verterunt humana et divina.

Hodie, redeunte centenario ab eius morte anno, cultus eidem a saeculis tributus authentice, et quidem duplici iudipio (quod praeteritis huius generis causis non contigit), recognoscitur firmaturque. Eius cultus ob temporum calamitatem depressus nunc resurgere videtur quasi signum eiusdem temporum calamitatis deprimendas

Vitae synopsis. Ex nobili gente de Grimoard ortum duxit Urbanus V anno fere 1310 in Castro Grisaci dioecesis Mimatensis. Cum adhuc iuventute floreret vitam monasticam in Prioratu de Chiriaco iniit, quam solemni ritu professus est in monasterio S. Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti. In iuris canonici studium incumbens magna cum laude per viginti prope annos Tolosae, in Montepessulano, Parisiis et Avenione Decreta explicavit.

Anno 1352 in Abbatem S. Germani Antissiodorensis a Clemente VI renunciatus est; et postmodum anno 1361 ab Innocentio VI Abbas S. Victoris Massiliensis constitutus.

Legationibus pluribus pro arduis Ecclesiae negotiis per Italiam functus fuerat. Quum vero Neapoli esset, mortuo Innocentio VI, Summus Pontifex electus est, reversusque Avenionem, sexta Novembris die anno 1362 solenni ritu consecratus est. Eius electio, ut inquit eius vitae scriptor coaevus, *a Deo magis quam ab hominibus processisse videtur.*

Pontificatu suscepto ad tria potissime applicuit animum : ad morum reformationem, ad catholicae fidei propagationem inter ethnicos, ad reducendam Romam Apostolicam Sedem.

Inter cetera haec scripta reliquit Synchronus eius vitae auctor: « Ipse fuit diligens et intendens Concistoriis et consiliis die- « bus et horis ad ea debitis et ordinatis, vacavitque cum omni « sollicitudine circa debitam et celerem expeditionem negotiorum « Ecclesiae et aliorum sibi incumbentium, et praesertim illorum « quae pauperes concernebant, quae etiam saepius, aliis praeter- « missis, expedivit. Iustitiam permaxime fovit et dilexit. De pau- « peribus et egenis aliisque miserabilibus personis semper sibi « singulariter cura fuit; adeo, quod ubi ipsos pauperes esse co- « gnovit, ipsorum inopiae liberaliter et gratiose subvenit, prae- « sertim illorum, qui alias abundantes exstiterant et demum ad « paupertatem deducti erubescebant mendicare. Non enim cu- « ravit coacervare pecunias; et si quas aliquando habuit ipsas « feliciter aut in negotiis Ecclesiae exposuit aut in piis operibus « erogavit. Affectum carnalem nequaquam ad suos habere se de- « monstravit. Fuit sanctae et bonae intentionis faciendi in omni- « bus, quae Deo credebat fore placituKa, et contraria evitandi, « habuitque in mente constantiam, veritatem in ore et effica- « ciam seu virtuositatem in operatione. In his quae pertinent ad « Deum neminem timuit, nisi eum cuius gratia suffultus sic et « taliter rexit, quod universaliter amabatur a bonis et verebatur « a malis.

« Usurarios admodum persecutus est, adeo, quod iustitia me- « diante, suo tempore de male allatis in Curia occasione huius- « modi restituta dicuntur ultra ducenta millia francorum. Concubi- « narios et alios vitam inhonestam publice ducentes, quammaxime « Clericos, rigide compescuit et ad correctionem et emendatio-

« nem venire coegit. Simoniacos autem exsecratus est. Ementes « enim et vendentes Beneficia sive spirituales gratias, aut super « eis mercimonia illicita facientes, tractantes, aut procurantes « puniri multimode ordinavit; im no et eorum quampluri.nos Cu- « riam exire coegit. Beneficiorum multiplicationem, praesertim « incompatibilium in eandem personam concurrentium invitissi- « me toleravit. Super quo etiam Constitutionem edidit, quae in- « cipit, *Horribilis.*

« Viros litteratos valde dilexit; multosque ex ipsis promovit « et exaltavit. Et ut daret ceteris addiscendi materiam et oppor- « tunitatem, quamdiu vixit in Papatu, suis expensis tenuit mille « studentes in diversis studiis. Ex quibus, quum aliqui iam erant « provecti, aut alii deficiebant, illorum loco alios continuo sub- « rogavit. Libros necessarios tam eis, quam aliis pluribus, quos « scivit studio esse intentos, ipsisque indigere, etiam ministravit. « In Montepessulano, ubi specialiter solet vigere scientia medi- « cinae, instituit unum Collegium duodecim scholarum, qui stu- « derent in dicta facultate et in ipsa haberent residere ; pro quorum « sufficienti sustentatione redditus certos acquisivit et ordinavit.

« Libertates et iura ecclesiarum posse tenus manutenuit et « conservavit; et si qui essent eis derogantes, ubi post admo- « nitiones et exhortationes debitas se non proficere vidit, contra « ipsos processus et sententias faciendo viriliter et rigide insur- « rexit, cordatum, constantem et animosum, licet benignus cum « quibuscumque exsisteret, in hoc se mirabiliter demostrando; « sic et taliter, quod suo tempore ecclesiae satis ubique in quiete « et libertate permanserunt ».

Inter facta celebriora quae memoriae tradita sunt, haec recensentur. Anno 1363 mense Martio solemniter excommunicavit haereticum Mediolani Ducem qui aliquot Ecclesiae civitates iniuste occupaverat.

Eodem anno Crucem contra infideles praedicavit eamque contulit Ioanni Galliarum ac Petro Cypri regibus qui Alexandriam in Aegypto expugnarunt. Apostolicas quoque Missiones apud haereticos et schismaticus promovit: concilia habuit; templa plura et monasteria aedificavit. Ut autem Petri Sedem suum in locum restitueret, Romam profectus est extrema April, die 1367 atque Romani eum habuerunt uti Urbis servatorem.

Italia tota in armis erat atque intestinis discordiis divexata, ipse Italicae paci consulere sategit. Postquam Vaticanum ingressus est, Romanorum Imperatorem Carolum IV, Neapolis Reginam, Regemque Cypri ad eum venientes excepit. Germaniae Imperatricem apud S. Petrum solemniter coronavit; Ioannen Paleologum Graecorum Imperatorem Ecclesiae reconciliavit; Elaiarum de Sábano Sanctorum albo adscripsit, atque alia quamplurima Romae in totius Ecclesiae bonum liberaliter gessit.

Sed, bello fervente inter Carolum V et Eduardum III Galliarum et Angliae reges, Pontifex sedandi belli causa anno 1370 in Galliam rediit, et morbo correptus decessit die 19 Decembris eodem anno, Pontificatus sui IX. Sepultusque est in templo maiori Avenionensi et demum translatus in monasterium S. Viatoris Massiliensis, ubi, ut scripsit eius Biographus « vivens suam perpetuam elegerat sepulturam, *magnis et studendis miraculis coruscando»* (1).

DE CULTO PUBLICO URBANO V TRIBUTO

Breviter delineata vita Urbani V, Orator ad propositam causam de veniens multis documentis primum ostendit, cultum publicum Urbano \ ab eius obitu usque ad initium saeculi xvi, quo incepit Urbani VIII aetas, fuisse tributum. Nonnulla tantum indicabimus documenta.

Eius synchronus biographus inter cetera scriptum reliquit: •«Anno Domini 1380 *(Urbanus V)* migravit ad Dominum: et * corpus eius locatum est in capella Ioannis XXII, quae est in « capella B. Mariae de Domnis, ibique mansit usque ad ultimam « diem Maii anni 1372, *ubi Deus multa miracula operatur pro « illis, qui ipsum invocant devote.* Et dicta die ossa eius translata « fuerunt cum immemorabili multitudine gentium laudantium « Deum in omnibus quae de ipso audierant, ad monasterium « S. Victoris Massiliensis, cuius pridem Abbas fuerat; per quem « Deus *multa miracula fecit, ut testantur infinitae imagines ce-*

(1) Consuli possunt opera: Ex vitis Urbani V ab Auctoribus coaevis conscriptis ex Mss. vetustissimis a Stephano Balutio editis in libro Vit. Paparum Avenionensi um Collect. Rerum Ilai. scriptor. Lud. Muratori tom. III pag. 2. Petrarca, Epist. 1 Rerum senilium 1. 7. Lud. Muratori in suis Annal, anno 1363 et seqq.

« *reae appensae ante sepulcrum, et quasi per totam ecclesiam dicti* « *monasterii apportatae* per liberatus a diversis periculis et in- « firmitatibus ad invocationem nominis eius. *Vix est ecclesia in* « *mundo in locis solemnibus, quin sit imago eius depicta et cum* « *vigiliis et oblationibus honorata* ».

Eadem habentur in pervetusto Codice Vaticano 4026: «Dum « praedictum corpus in praedicta ecclesia B. Mariae de Domnis « requiesceret, *de omnibus partibus terrae ibidem confluebant per-* « *egrini pro beneficiis a Deo eiusdem Domini Urbani intercessione* « *receptis, oblationes apportantes, scilicet in cera, imaginibus ar-* « *genteis...* Populus confluit adeo et in tantum, ut vix ipsum « corpus portari potuerit... et iidem populi prae devotione totum « illum pannum rubeum, quo dicta lectica cooperta erat, *in fru-* « *stula pro reliquiis ex devotione ipsius corporis receperunt* ».

Eius imago et imagines (subdit Vaticana relatio) « fuerunt « et sunt pictae et de die in diem pinguntur, et sic pictae hono- « rifice et patenter honorantur cum devotione et reverentia, *sicut* « *aliae imagines Sanctorum,* et ad illas *publice^ palam et notorie* « *habitus est et habetur concursus devotionis et fiunt oblationes di-* « *versae ... omnia et singula supradicta fuerunt manifesta et no-* « *toria fel. rec. Dmno [Gregorio XI».*

Petrarca poeta classicus, qui cum Romanis praestolatus fuerat Urbani reditum in Urbem in Italiae bonum, scriptum reliquit: « *Sanctitatis eius fama nunc maxime celebratur et mira-* « *culis daret* ».

Miracula autem, quae per eum patravit Deus, tot tantaque fuerunt, ut Tabelliones ad eius sepulchrum constituti fuerint qui legitima forma ea adnotarent.

Ex quibus miraculorum fama et Sanctus fuit appellatus et altaria et sacella in eius honorem fuerunt erecta.

Mirum est, quantus fuerit fidelium concursus ad eius sepulchrum, de quo vetera documenta plurima univoce testantur: peregrini cuiusvis dignitatis et conditionis ad illud accedebant non solum ex universa Gallia, sed ex Belgio ex Germania ex Italia ex Hungaria ex Graecia ex Hispania.

Sed ut cetera brevitatis causa praeteream, ex membranaceo codice Abbatiae Montis Cassini, exeunte saeculo xv exarato, in Pontificum catalogo *Sanctus* Urbanus V nuncupatur. In Kalendario mss. monasterii S. Germani Montispessulani saeculo xv

exarato, inter *festos dies* ponitur ille B. Urbani V die decima nona Decembris. Habemus *Antiphonam, Versum ac Orationem* in B. Urbani V honorem ex Codice Vaticano saeculo xv exarato excerptas; in eoque codice *Sanctus* iugiter appellatur. Aliae praeterea *Orationes, Antiphonae, sequentiae* in eiusdem honorem ex Bullandianis desumuntur. Altera *Antiphona, Versus, Oratio* habentur in mss. bibliothecae Aquae Sextiae.

Ceteris omissis, in Bononiensi historia, in Muratoriana Collectione relata, haec leguntur notatu digna: *Questo Beato Papa fece in Avignone dopo la sua morte grandi miracoli, in Bologna s'incominciò a dipingerlo per le chiese.*

Aetate B'ranci Sacchetti, qui exeunte xiv saeculo vivebat, multae Urbani V imagines colebantur in Italiae ecclesiis, ut ex eius Novellis et Litteris deprehenditur.

Initio saeculi xv anno 1405 Ludovicus II Siciliae Rex « *ob reverentiam* (sunt Regis verba) *Beati Urbani Papae V... donamus unam lampadam argenteam cum armis nostris, quae deponi debeat in choro ecclesiae ipsius monasterii ante sepulchrum sive monumentum ipsius Beati Urbani, et inibi perpetuis temporibus ad perpetuam memoriam nostram remanere* ».

In laudato codice Vaticano qui, uti fertur, exaratus est saeculo xv, de ordine solemnitatis *Natalis B. Urbani V quae XIV Kal. Ianuarii celebratur,* haec leguntur: «Legitur in eo... in-« choando a pulsatione Campanarum, iuxta illud: Laudate Do-« minum in cymbalis bene sonantibus ... *pulsabuntur campanae « ad instar magnae solemnitatis ...* Deinde ... inchoetur solemnis « processio fienda per claustra, ut fit in die sancto Pentecosten, « cum Officio eiusdem. Tandem facta processione, inchoetur *« Missa solemnis de Spiritu Sancto ...* post offertorium fiet sermo « ad populum per elegantiorem praedicatorem, qui significabit « populo *praeclaram vitam cum gloriosis miraculis Beati Urbani,* « quatenus fideles excitentur ad ampliorem devotionem erga « fidem catholicam et *Sanctum Urbanum* ». In antiquo Missali in imperiali Parisiensi Bibliotheca asservato, duplex habetur dies festus in honorem B. Urbani V, *Translationis* et *Natalis.*

Orator ostendere perrexit eundem cultum publicum a saeculo xvi, quo incepit aetas Urbani VIII usque ad medium saeculum xvii. Haec tantjum commemoramus. In Elucidario Theologico de certitudine gloriae Sanctorum Canonizatorum, a Luca

Castellino Pro. Gen. Ord. Praedicatorum, Papae Urbano **TUI** dicato, legitur: *S. Urbanus V monachus Cluniacensis solemniter canonizatis.* Id temporis aderat Romae vetusta Imago B. Urbani V in templo S. Salvatoris de Gurte trans tiberim, cuius circa caput gothicis characteribus scriptum legebatur, *Beatus Urbanus PP. V.* Imago isthaec in manibus gestabat parvas statuas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum capita Urbanus V in Lateranensi ecclesia solemniter collocaverat.

Item, Orator eadem ratione cultus publici prosecutionem ostendere studuit ex iugi appellatione *Sancti* vel *Beati,* ex imaginibus quae in templis, Romae praesertim, venerationi sunt habitae, ex officiis in variis ecclesiis celebratis. Atque adeo in ea veneratione est habitus ut saeculo XVII adhuc traderetur, ipsum solemniter fuisse canonizandum nisi schisma obrepsisset: ut scripsit Antonius Rufi in historia civitatis Massiliensis anni 1696: *Le scisme dont l'Eglise se trouva pour lors affligée par l'élection de Clement VII* (idest Roberti a Geneva anno 1378 electi) *en empêcha l'exécution.*

Saeculo XVIII multa etiam patent documenta et monumenta, quae cultus prosecutionem ostendunt. Atque inter cetera an. 1726 ex opere Francisci Pagi haec memoriae tradita habemus : « *Etiam « hodie* in die obitus eiusdem Pontificis, decima nona mensis « Decembris, Monachi Massilienses Missam solemniter de Spiritu « Sancto celebrant, ut in die Pentecostes, cum Gloria, Credo et « Prosa, Presbytero et Ministris sacris vestibus indutis, quas « idem Papa monasterio dono dederat, tumulumque ipsius ma- « xima luminum quantitate décorant ». Benedictus XIV in opere *de Canoniz. Sanet,* scriptum reliquit : « nonnulla etiam cultus pu- « blici vestigia erga Urbanum in ecclesia S. Victoris Massiliensis « adhuc extant ». Atque alia documenta sunt adducta, quae ostendunt usque ad annum 1789 in dicta ecclesia S. Victoris solemnia celebrata esse in eiusdem Urbani honorem, tamquam si canonizatus esset.

Sequenti aetate non potuit cultus Urbani V non subverti, quum ipse cultus in Deum ab impiis fuerit quoque subversus, atque in eius locum dea ratio fuerit subrogata: at nihilominus ostendit Orator, multis adductis documentis, Urbanum V et Sanctum appellari hactenus consuevisse, et uti Sanctum haberi.

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES R. P. D. PROMOTORIS FIDEI. Quum haec prima causa fuerit quae, post Decretum emissum die 10 Decembris 1868, iuxta idem Decretum acta sit : constitutum enim est, *ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis processus :* fateri debuit Promotor, *Inquisitionem hac de re habitam ad iuris normam et iuxta Summorum Pontificum Decreta concinnatam fuisse.* Revera hoc in processu tanta refulsit Episcopi Massiliensis et Iudicis ab eo delegati sedulitas in perquirendis documentis propemodum innumeris, et in conficiendo processu sententiaque dicenda peritia, ut non solum nihil desiderandum reliquerint, sed in suam quoque lucem posuerint causam splendidam in tenebris iniuria temporum hominumque oblivione derelictam.

Duas autem praecipuas animadversiones fecit Fidei Promotor, quarum prima est: tempore Clementis X, iussu eiusdem Pontificis, fuisse diligenter perquisitum, quinam Pontifices publico gauderent cultu, ea de causa, ut eorum Officium cum Lectionibus propriis Ecclesiae Lateranensi concederentur, Benedictus XIV, *Miscellanea SS. Rituum* c. 12 §. 5. Nullum autem verbum eo tempore de Urbano V factum fuisse, ideoque assumptum huiusmodi valde esse difficile, ut de simili causa Nicolai IV scripsit in citato opere idem Benedictus XIV.

Animadvertit secundo loco, cultum qui olim exstitit, praesenti aetate penitus cessasse; nec admitti et recognosci posse, quod non adsit. Benedictum XIV de continuatione cultus erga Urbanum V praestiti, scriptum reliquisse : « *nonnulla etiam cultus publici vestigia erga Urbanum in ecclesia S. Victoris Massiliensis adhuc extant* ». Ex hac Benedicti XIV affirmatione processit Promotor ad ostendendum cultum publicum penitus cessasse; neque posse afferri tamquam signa cultus publici in causa de qua agimus vetusta documenta in quibus Urbanus Beatus vel Sanctus nuncupetur, vel imagines in templis vetustate fere abrasas aut deletas; et reliqua similia, quae non aliud revera essent, nisi vestigia quaedam publici cultus olim praestiti, quique pedetentim penitus cessaverit.

Animadvertit denique, in Lateranensi saltem Basilica, in qua Urbanus capita SS. Petri et Pauli solemniori pompa reposuit (quod quidem iactum ab antiquis usurpatur tamquam eius Pontificis tessera) peculiari ipsum fuisse ritu colendum : contra vero accidisse.

RESPONSIONES ORATORIS. Ad primam animadversionem quod attinet respondit Orator, coniecturis aperte facta haud elidi. Cur autem in inquisitione tempore Clementis X neglectus fuerit Urbanus noster, sibi dicere non pertinere: plures enim dari posse huius omissionis causas; forte ne id fieret temporum adiuncta vetasse ; forte latuisse id temporis inquisitoribus illis documenta, quae studio Massiliensis Episcopi hodie deducta sunt. Ceterum in comperto "esse, cultum publicum Urbano tributum validis argumentis fuisse in praesenti causa ostensum.

Ad alteram animadversionem, respondit: *vestigia* de quibus loquitur Benedictus XIV, quo sensu sint accipienda ex contextu, erui: vestigia enim appellata esse ipsa documenta et monumenta quae cultum publicum vigentem patefacerent **(1).**

(1) Referre placet integra verba Benedicti XIV quae difficultatem solvunt, cur potius Urbanus V, cuius cultum praeclarissimum tot vetera monumenta testantur, non fuerit iuxta methodum eorum temporum canonizatio per formale S. Sedis iudicium. Haec autem leguntur in eiusdem opere, *de canonizatione Sanet. I. 1 c. 11 n. 22;* « Capita Sanctorum Leonis et Gregorii Magni, Gelasii II, Paschalis II, Urbani II, Alexandri II, Gregorii' VII et Victorie III, efficta apparebant, et partim adhuc apparent diademate circuíalo, quod utique est Sanctitatis et cultus ecclesiastici argumentum. Torrigius etiam haec refert de Urbano Papa V, — *tal circolo facevasi dipinto alla testa di qualche persona di bontà celebre, come oggi si vede alla figura di Papa Urbano Vin S. Francesco a Ripa, e già in S. Crisogono al sepolcro del Cardinal di Crema con lettere:* Beatissimus Papa Urbanus Quintus, *Si scorge anche il medesimo in S. Salvatore de Curte, dove il detto Urbano tiene avanti il petto l'immagine delle teste dei Santi Pietro e Paolo, perchè egli le collocò nel Ciborio della chiesa Lateranense.* De Pontífice namque Urbano legitur, quod facta eiusdem corporis translatione ab ecclesia Avenionensi, in qua fuerat primo sepultum, ad monasterium S. Victoris Massiliensis, cuius Abbas fuerat, et in quo quidem suam elegerat sepulturam, tanta et tam multiplicia Deus ad eius intercessionem miracula patrare dignatus est, ut inter Abbatem et Aedituum exorta controversia, ad quem alterutrius pertinere deberent oblationes ea occasione factae, res anno 1374 per transactionem composita fuerit; qua nempe cautum fuit, emendos certos redditus, assignandus Aedituo ; oblationes autem cerae, auri et argenti acPAbbatem spectare et coenobium. Scriptores quoque passim de

Vestigia nempe appellata esse, ea quae scripserat Pagius iunior *tom.* 4 *Breviarii Bom. Pont.* hisce verbis : « Etiam hodie « in die obitus eiusdem Pontificis etc. » quae verba iam supra retuli. Eundemque vigentem splendidumque cultum in ea ecclesia permansisse usque ad annum 1789: idque ostendere publica documenta. Et cantatam fuisse loco Missae mortuorum, Missam de Spiritu sancto tamquam si esset canonizatos : ad eius sepulcrum e terra elevatum lampades plurimas continuo accensas exstitisse : eius reliquias inter Sanctorum reliquias expositas. Porro in citato opere de *Ganoniz. t.* 3 *I.* 2 *cap.* 11 haec scripta quoque reperiri: «lampades et lumina ad Servorum Dei sepulcra accensa, « et votivas tabelias, omissiones con s uetorum" suffragiorum die « obitus vel anniversaria eorundem Dei Servorum et Missam de « SS. Trinitate vel de aeterna Sapientia, sepulcri elationem, cor- « porum aut reliquiarum Servorum Dei ad publicam venerationem « expositionem etc. » cultum publicum Significare.

Quod attinet ad tempus quod subsequitur, adducebat Orator multos testes, qui iureiurando testati sunt, non solum se habuisse

eius sanctitate et miraculis testimonium dederunt. Item Waldemarus Daniae rex Gregorio XI supplicavi^ ut eum in Sanctorum album referret; tunc etenim iam mos invaluerat formalis canonizationis a Summo Pontifice per definitivam sententiam impetrandae. Carolus praeterea Galliarum et Ludovicus Siciliae Reges, Petrum Olivarium Canonicum Aquensem, procuratorem ad Robertum Gebennensem in sua obedientia ad dictum Clementem VII Avenione sedentem miserunt, ut ab eo solemnem Urbani canonizationem obtineret; qui profecto licet a Pagi aliisque respondisse feratur, sibi per tempus non licere in tam diro videlicet schismate ad tam sanctum et pium opus incumbere, revera tamen ne quid omitteret eorum, quae a legitimis Pontificibus fieri consueverant, iuxta mores litteras dedit ad nonnullos de sua obedientia praesules, ut auctoritate Apostolica processum configerent super virtutibus et miraculis Urbani V, inter quae nunnullae mortuorum suscitationes' recensebantur, sicuti'ex litteris memorati pseudopontificis desumitur; quae etsi eis rei exitus non respondit, insigni tamen Urbani virtutum ac miraculorum famae satis prodesse dicendae sunt, teste Raynaldo ad. annum Christi 1381 n. 4, ubi easdem litteras affert. Soresinus quoque in suo tractatu de capitibus SS. Apostolorum Petri et Pauli nonnulla profert desumpta ex processu facto super huius Pontificis canonizatione, quam conservari testatur in bibliotheca Vaticana. *Tandem nonnulla etiam cultus publici vestigia erga Urbanum* in ecclesia S. Victoris Massiliensis adhuc exstant, *uti plene colligitur* ex eius vita descripta a Pagi iuniore *tom. 4 Breviarii Bom. Pont.* cui adstipulatur Spondanus in continuatione annalium Card. Baronii ad ann. Christ. 1370 num. 5 ».

et habere Urbanum uti Sanctum, sed a maioribus suis id accepisse.

Cur autem in Patriarchali Basilica Lateranensi cultus non fuerit Urbanus V tamquam Sanctus; id tantum ostendere, cultum hac *in ecclesia non fuisse, ac praeterea nihil: in Gallia et praesertim Massiliae cultum proferri debuisse, ubi eius miracula patrata praecipue essent, ubi suum exstaret sepulcrum. Romam enim tamquam pastore viduatam aegre tulisse Sedis translationem, et adhuc ferme in compitis plebis eiulatus resonasse, quae diuturno schismati ansam praebuerint, cum in conclavi in quo electus esset Urbanus VI, conclamaretur - *Romano lo volemo, Romano* - ceu refert Muratori anno 1378.

Hisce ample deductis atque disputatis, propositum est dirimendum

Dubium

« An sententia lata a Massiliensi Episcopo super Cultu ab « immemorabili tempore praestito eidem famulo Dei super casu « excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII sit confirmanda in casu « et ad effectum de quo agitur ».

RESOLUTIO. S. Congregatio SS. Rituum causa cognita in comitiis habitis die 5 Martii 1870 respondere censuit: *Affirmative.* Atque inde prout moris est, habita confirmatione SS.mi Patris, Decretum ex officio publicatum est, quod infra referam.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Causas Servorum Det quae ob earum antiquitatem sub forma Decretorum Urbani VIII non fuerunt comprehensae, formali iudicio confirmari per simplicem cultus publici recognitionem.

IL Cultum publicum, quoad amplitudinem, sub duplici extremo limite posse considerari: *a)* cultum praestitum in aliqua tantum ecclesia: *d)* cultum praestitum in universa ecclesia.

III. In recognitione primi cultus, ut utiliter saltem recognitio fiat, opus esse, ut in peculiari ecclesia, cultus, qui ab antiquo viguerit, in praesens perseveraverit.

IV. Eiusmodi perseverantiam non censeri interceptam per illegitima obstacula, quae celebrationem cultus impediverint atque suspenderint.

V. In recognitione secundi cultus, opus non esse, ut celebra1io cultus perseverans ostendatur: quum uti Sanctus ille certo

habendus sit, qui in universa Ecclesia fuerit aliquo tempore celebratus, quamvis forte non supersint nisi aliqua vestigia huius celebrationis (1).

VI. Utramque tamen authenticam cultus recognitionem fieri ad indulgendam celebrationem Officii et Missae in locis in quibus cultus vigeat, vel in vigorem poni optetur: ideoque haec recognitionis Decreta eos fere gignere liturgicos effectus, quos gignunt Decreta Beatificationis (2).

VII. In praesenti themate celebrationem cultus Urbano V tributi in Dioecesi praesertim Massiliensi usque ad an 1789 viguisse, qui ex causa illegitima et violenta cessavit: eundemque cultum per magnam saltem Ecclesiae latinae partem olim publice, notorie ex splendidissima causa viguisse, qua universim uti Sanctus est habitus et celebratus.

VIII. Quare cultum Urbani V non solum inniti perspicuo suffragio Massiliensis ecclesiae, sed suffragio quoque latinae Ecclesiae, quod, ratione Primatus Romani Pontificis, aequivalet iudicio universae Ecclesiae.

DECRETUM

DE EXPOSITA URBANI V CAUSA.

« Urbanus huius nominis Quintus ex nobili gente Gallica de Grimoard ortum duxit, et in gentilitio Castro Grisiaco Dioecesis Mimatensis ad vitae auras prodit. Adolescentiam innocens transegit, et iuventute adhuc florens monasticum habitum induit, ac Massiliae solemnia nuncupavit vota in Coenobio Sancti Victoris Sodalium Sancti Benedicti. Theologiae ac Iuris Canonici disciplinis adeo alacrem dedit operam, ut Doctor renuntiatus per plures annos Tolosae, Parisiis, Avenione, et in Monte Pessulano eiusdem Iuris Decreta summa cum laude expiraverit.

(t) Ratio est, quia id quod per universum Ecclesiae consensum aliquo tempore constitutum sit non potest esse erroneum : et hoc iudicium universae Ecclesiae aliquo modo significatum aequivalet intrinsece Decretis solemnibus de Canonizatione ; quamquam non eosdem liturgicos effectus secumferat ex vigenti rituali disciplina,

(2) Confer causam recentissimam de Beata Iuliana Cornelionensi quam exposui *pag. 49 et seqq.*

A Clemente VI sa. me. Abbas Sancti Germani Antissiodorensis institutus, et postmodum ab Innocentio VI sa. me. ad regendos Massilienses Sancti Victoris Monachos missus, utrumque Asceterium eximiis illustravit virtutibus; ac interim pro nonnullis arduis Ecclesiae negociis Legationibus per Italiam functus est. Cum vero Innocentius VI e vita excessisset, summus Pontifex electus solemni ritu Avenione consecratus coronatusque est. Vix inito Pontificatu Maximo sedulo animum applicuit ad mores reformandos, ad catholicam fidem inter ethnicos propagandam, et ad Sedem Apostolicam in Urbem reducendam. Quapropter seipsum praebuit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Omnium egenorum curam suscepit, illorum praesertim qui alias abundantes extiterant, et postea ad paupertatem redacti mendicare erubescebant. Consanguineis suis quamlibet rei fruitionem negavit. Cleri disciplinae retinentissimus fuit, et quorumdam Clericorum in pluribus Beneficiis assequendis cupiditatem salubri Constitutione compescuit. Litteras gravioresque scientias adeo fovit, ut suis expensis mille propemodum adolescentibus variis in Accademiis ad studia incumbentibus victum librosque suppeditaverit. Ecclesiae libertatem ac iura strenue propugnavit; et civilem Sedis Apostolicae Principatum pene eversum Aegydii Cardinalis Albornozii opera ab eversorum manibus vindicavit restituitque. Sacrum bellum contra infideles indixit, et Crucis Vexillum contulit Regibus Galliarum et Cypri, qui Alexandriam Aegypti expugnarunt. Apostolicas Missiones apud Haereticos et schismaticos promovit. Prout in votis habuerat almam Urbem ingenti civium gaudio repetiit, ibique plura praestitit memoratu digna. Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam, Vaticanam Sancti Petri, et Ostiensem Sancti Pauli Basilicas sumptuose reparavit. In Oratorio Sancti Laurentii quod extat in Patriarchio Sacratissima Capita Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae a pri n o Archibasilicae Lateranensis incendio illuc fuerant asportata recognovit, ac solemniter populo Romano ostendit. Mox ornatissimo Aram principem eiusdem Archibasilicae cooperuit Tabernaculo, in cuius cuspide cellulam miro praeparavit opere, ibique eorumdem Principum Apostolorum Capita in Hermis aureis eorum Protomes referentibus, ac pretiosissimis gemmis distinctis, inclusit. Demum ab Urbe discessit illuc tamen iterum revertendi animo, et Avenionem contendit, ut bellum, quod inter Galliae et Angliae Reges

exarserat, dirimerei Verum lethali morbo correptus Ecclesiae sacramentis muniri exoptavit. Quibus devotissime susceptis pretiosam Iustorum mortem oppetiit decimoquarto Kalendas Ianuarii Anno MCCCLXX, Pontificatus sui Anno ix. Post obitum plurimis signis claruisse traditur praesertim in Massiliensi Sancti Victoris Ecclesia ubi adhuc vivens sibi sepulcrum statuerat.

« Quum autem Massiliensis Antistes autumasset monumentorum ope demonstrare se posse a tempore immemorabili et longe ante Centenariam a sa. me. Urbano Papa VIII in suis Decretis requisitam huic Servo Dei Pontifici Maximo tributum fuisse publicum et Ecclesiasticum cultum postremo Sacrorum Rituum Congregationis Decreto obsequens (1), rite inquisitionem hac de re egit ac sententiam pronunciavit. Quam dein ad Sacram Rituum Congregationem una cum Inquisitionis Actis remisit expostulans, ut eadem Sacra Congregatio sententiam ipsam ratam haberet. Quod simul alii permulti'Galliarum et Italiae Sacrorum Antistites Litteris suis postulatoriis efflagitarunt. Quapropter hi omnes obtinuere ut ab Emo et Rmo D. Cardinali Ioanne Baptista Pitra huius Causae Relatore sequens proponeretur Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanas Aedes hodierna die habitis, nimirum « *An sententia lata a Massiliensi Episcopo super Cultu ab immemorabili tempore praestito eidem famulo Dei super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post accuratum omnium monumentorum examen, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore ad propositum Dubium respondendum censuere : *Affirmative,* seu, *confirmandam esse sententiam.* Die 5 Martii 1870.

« Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per Substitutum Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habuit et confirmavit, die 10 iisdem Mense et Anno ».

C. Episc. Port, et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.
Loco ✠ Signi

Dominicus Rartolini S. R. G. Secretarius.

(1) Hoc Decietum exposui in *Vol IV pag. 329.*

EX S, CONGREGATIONE CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

DECLARATIONIS RESCRIPTI

Die 26 Iunii 1869 et 19 Februarii 1870.

Compendium facti. In cathedrali ecclesia N. Prioratus exsistit: qui dium possidet hisce muneribus fungi debet iuxta capitulares constitutiones *«praeter obligationem Canonicis communem interveniendi choro sacris functionibus... debet Prior celebrare primas secundasque Vesperas et canere Missam die Epiphaniae, Paschalis Resurrectionis, Ascensionis etc. Vacante Prioratu eaedem obligationes pertinent ad Canonicum antiquiorem: Prioratu non vacante, sed Priore impedimento detento, ad antiquiorem pariter Canonicum pertinere ita tamen, ut idem Canonicus antiquior eleemosynam consuetam accipiat decem obolorum, quum sit onus Praebendae prior alis, qua Prior fruitur ».*

Prior N. iubilationis indultum petiit accedente voto tum Episcopi tum Capituli; Capitulum tamen adiecerat conditionem, ut ad tramites constitutionum capitularium munera Prioratui inhaerentia obiret atque Rescriptum consuetum obtinuit die 7 Ianuarii 1867, ut quamvis in posterum Orator non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas eius Canonicatus percipere valeat, ac si choro et divinis officiis personaliter interesset.

Huiusmodi Rescriptum non arrisit Canonicis, atque preces porrexerunt, ut illud S. Congregatio limitaret, sin minus declararet. Verum responsum fuit: *Servetur Rescriptum diei 7 Ianuarii 1867 in sua forma et tenore.*

Inde orta est controversia inter lndultarium et Canonicos, quum Prior diceret vi Rescripti se non teneri ad sacra illa obeunda munera Prioratui adnexa; e converso senior Canonicus se teneri tantum diceret iuxta capitulares constitutiones: ideoque quum neque prioralis Praebenda vacaret, neque impedimento Prior detineretur, ad se ea munera non pertinere. Ceteri Canonici pari ratione ea munera peragere recusarunt.

Quare Canonici iterum S. Congregationi supplicarunt, ut dirimere dignaretur dubia quae infra expo ni mus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Animadversum est, in iure scripto nullam dispositionem canonicam esse, qua iubilationis privilegium concedatur: sed hoc privilegium ex aequitate esse inductum ad exemplum Sacerdotum Veteris Legis *Numer.* 8, 25 et 26 vel etiam ad exemplum militum veteranorum, qui ob diuturnum servitium tandem a militiae onere soluti militiae Beneficia retinebant, *I. A muneribus ff. de vacat, et excusat, muner. I. 1. C. de Veter.*

Iubilationis autem Indultum haec secumferre, ut facultatem faciat Indultario percipiendi omnes fructus et distributiones, itemque emolumenta anniversariorum, quae quotannis fiant, nisi secus testatores dixerint, ut in *Novarien,* diei 29 Novembris 1681, in *Lünen. Sarzanen.* diei 30 Aprilis 1684; immo etiam muletas, quae *fallentiae* appellari solent, ut in *Reatina distributionum* 19 Aprilis 1692 et in *Aquipendien,* diei 23 Martii 1697. Nihilominus eiusmodi Indultarium immunem esse ab omnibus oneribus et functionibus canonicalibus, ita ut nec per se nec per alium ad eas implendas teneatur, ut de de Missa praesertim conventuali respondit S. G. in citata *Aquipendien,* et in *Senen.* diei 12 Maii 1759. Inde nec ad residendum Indultarium huiusmodi teneri, ut in *Sancti Angeli in Vado* diei 15 Aprilis 1690, in *Patavina* 9 Iunii 1714, et in *Dubiis iubilationum* diei 17 Decembris 1718 ad V.

Inde speciales causae referebantur, in quibus pro variis adiunctis Capitulum conditiones apposuerit, ut in *Bergomen,* diei 8 Augusti 1716. Namque anno 1716 iubilationem petierat Martinus Antonius Guerrinus Canonicus subdiaconalis, qui servitium inchoaverat ut Coadiutor ab anno 1675; defuncto vero Coadiuto anno 1684 uti principalis continuaverat integrum servitium usque ad mensem Octobris 1705, a quo tempore ob habituales infirmitates ab Ordinario recognitas singulis annis a S. Congregatione Indultum obtinuerat vacandi a servitio chori pro horis Mututini et Primae: Emus Episcopus, audito Capitulo retulerat Oratorem reportasse a Capitulo assensum ad obtinendam iubilationis gratiam, ea tamen conditione limitatam : dummodo non intelligatur data exemptio per Indultum a *functionibus subdiaconalibus solemnibus,* quae per turnum ad eum spectarent; censebatque tamen idem Episcopus Oratorem petita gratia dignum : maxime quia ea

gratia i D com moda non erat choro et Capitulo ecclesiae, quum in ea résidèrent tres Dignitates et quadraginta et unus Canonici etc. et in functionibus subdiaconalibus ministrarent Canonici undecim. Proposita causa : « An Indultum iubilationis sit concedendum « in casu » : responsum «st : *Affirmative ad formam consensus.*

In causa *Civitatis Castellanae* diei 29 Novembris 1776, agebatur de Canonico, qui post laudabile quadragenarium servitium pro perpetua vacatione a choro supplicaverat; Capitulum tamen in dando consensu conditionem apposuerat, *dummodo idem obligatus maneret peragendi suam hebdomadam quando ad ipsum pertineret ut ceteri Canonici:* proposito dubio: « An et quomodo « Indultum iubilationis sit concedendum in casu: » responsum est: *Affirmative demptis conditionibus.*

De oneribus vero adnexis dignitati obtentae a Canonico Indulto iubilationis donato hae Resolutiones adducebantur : In *Fulginaten.* die 22 Novembris 1619 haec habentur: « Ioannes Baptista « de Iustis Canonicus et Decanus, attento servitio 40 annorum « et uîtra, ecclesiae cathedrali praestito, iubilationem obtinuit: « nuper autem collato sibi a SSmo Prioratu eiusdem Cathedralis, « supplicat, vel sibi novam iubilationem concedi, vel potius de- « clarari, eandem sibi prodesse iubilationem respectu Prioratus. « Sacra Congregatio, audita relatione Episcopi Fulginaten. et at- « tento quadragenario servitio et ultra, laudabiliter et continuo « praestito in eadem cathedrali, censuit, Oratorem nova iubila- « tione non indigere, sed iam obtentam sub die 18 Decemb. 1618 « eidem suffragari etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper a « SSmo provisus in omnibus et per omnia, servata forma eiusdem « Indulti ».

Item adducebatur causa *Senen.* diei 16 Martii 1726, in qua proposito dubio : « An Indultum iubilationis concessum Fabio Bal- « lato, olim Canonico Ecclesiae Metropolitanae Senensis, eidem « suffragetur post obtentam in eadem ecclesia Dignitatem De- « canatus : » responsum est : *Affirmative dummodo in solemnioribus inserviat.*

Dubia

I. « An et cui incumbat- onus canendi Vesperas et Missas ce- « terasque sacras functiones peragendi in solemnioribus anni fe- « stivitatibus in casu.

« Et quatenus ad Priorem iubilatum spectet.

II. « An ipse teneatur*' submnistrare eleemosynas illis Cano-« nicis, qui post obtentum iubilationis indultum loco et vice ipsius « Missas celebrarunt in casu »,

RESPONSIO. S. Congregatio Concilii causa cognita die 26 Iunii 1869 distulit Resolutionem respondens: *Dilata, et exquirantur pleniores informationes.*

Novae habitae informationes hae fuerunt: « Prior ecclesiae « cathedralis nullum habet redditum certum nec participationem « maiorem incertarum, quam alii Canonici, uti ex documento « Secretarii capitularis patet. Quando vacat Prioratus, Canonicus « senior eleemosynam duorum iuliorum accipit a Canonico, qui « administrat bona praebendae prioralis etc. ».

Hisce ab Episcopo habitis, propositisque iterum dubitandi formulis modo expositis S. C. die 19 Febrarii 1870 respondit.

Ad I. *Quatenus Prior iubilatus nolit per se hasce functiones peragere, onus, de quo in casu, incumbere Canonico Decano, eoque impedito, seniori ex Canonicis, desumpta pro Missa eleemosyna m Praebenda priorati.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Indultum Iubilationis rationem habere remunerationis.

II. Inde huius Indulti verba potentissima esse nec limitationes facile accipere, ut accipere solent cetera consueta indulta, quae ad consequentias trahi non possunt.

III. Quare Capitularem, Indulto iubilationis donatum, ius ha bere ad percipiendos omnes suae Praebendae fructus, distributiones omnes, praeter eas, quibus resistat lex aliqua, quae vinci sine aliqua iniustitiae umbra non posset.

IV. Itemque eundem solvi a lege residendi interveniendique choro, atque ab omnibus choralibus officiis, quaecumque ea sint.

V. Posse tamen dari adiuncta, in quibus iubilationis Indultum non plenam habeat remunerationis rationem, atque aliquas limitationes proinde accipere.

VI. In praesenti themate, quamvis Indultum plenam remunerationis rationem haberet, attamen, ex propria Indultarii Praebenda Missae eleemosynam desumendam declaratum esse, quae non ex alio fonte, sine aliqua iniustitiae umbra, desumi potuisset.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE REPRIMENDA QUORUNDAM ABMENI! RITUS SEDITIONE

Venerabili Fratri Antonio Iosepho Archiepiscopo Thyaneo Nostro atque huius Apostolicae Sedis in Urbe Constantinopolitana Delegato Apostolico.

PIUS PP. IX

Venerabili Fratri Salutem et Apostolicam Benedictionem

« Non sine gravissimo animi Nostri dolore vel moerore potius novimus, Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam non levibus dissidiis ac perturbationibus miserandum in modum divexari, et pacem, cuius tuendae studium Nos cum Nostris Praedecessoribus semper fidelibus illis maxime commendavimus, ab illa Ecclesia ferme exulare. Siquidem nonnulli ex Laicorum ordine in unum convenientes cum aliquibus ex Clero saeculari atque ex Monachis Armenii ritus, Ven. Fr. Antonii Petri IX Ciliciae Patriarchae auctoritatem palam spreverunt, abnegarunt; et Ven. Fr. Iosephi Arakial Episcopi Ancirani, qui, annuentibus Nobis, vicaria eiusdem Patriarchae potestate in praedicta civitate fungitur, canonicam iurisdictionem ita detrectarunt, ut eiusdem sententias ac mandata vel non recipere, vel non servare ausi fuerint. Atque eo devenerunt, ut etiam legitimam memorati Patriarchae electionem, licet unanimi Episcoporum suffragio peractam, Nostroque iudicio et auctoritate confirmatam, in dubium revocare non dubitaverint, solemnem eiusdem commemorationem in sacrosancto Missae sacrificio, atque in divinis officiis palam intermittere, ac demum in privata domo altare contra legitimum altare Christi erigere minime reformidaverint, et Ecclesiam ibidem constituere, quam singulari verborum contradictione Armeniam catholicam independentem appellarunt ; perinde ac si in Ecclesia catholica liceret Fidelibus arbitratu suo vivere, et non potius ipsi deberent iuxta Apostoli praeceptum obedire praepositis suis et subiacere eis.

« Gravissima profecto sunt, Ven. Fr. huiusmodi improbanda sane facta, eoque Nobis acerbiora, propterea quod ea ab Ar-

meniis praesertim Con stanti nopoli degentibus minime expectabamus, quos Apostolica Sedes singulari cura ac sollicitudine fuit semper prosequuta. Neque doloris Nostri acerbitatem satis lenire potuerunt protestationes reverentiae atque obedientiae erga hanc Beatissimi Petri Cathedram quas deprehendimus in expostulationibus Nobis exhibitis a memoratis Laicis, Clericis ac Monachis ; quae protestationes futili illa appellationis voce confirmari posse videbantur, in quam nonnulli erumpebant ad effugiendam memorati Ven. Fr. Iosephi correctionem. Etenim contra auctoritatem huius Apostolicae Sedis divinitus constitutam erronea falsaeque doctrinae atque calumniae in vulgus fuerunt disseminatae, et Nostrarum etiam constitutionum vis et auctoritas despecta ac detrèctata.

« Etsi vero haec facta ex animo vehementer dolemus, non possumus longe maiorem Armeniorum eiusdem Urbis partem satis commendare, quae constanter in officio ac fide permansit, quaeque legitimo suo Patriarchae, Nostraeque huic Sedis arctissime atque ex animo obstricta efiTagitavit, ut a tantis malis liberaretur.

« Quibus pro Nostri ministerii debito occurrere volentes, Tibi, Ven. Frater, qui Apostolica Nostra Delegatione in Urbe Constantinopolitana perfungeris, mandamus, ut quamprimum in eamdem civitatem redeas, ibique pro commissi Tibi muneris ratione catholicos Orientales in sua fide confirmare, atque eos qui a proprio officio declinarunt, ad salutis tramitem totis viribus reducere contendas.

« Ut autem haec rite perficiantur, necessarium est, Ven. Frater, Fidelibus tuae curae commissis in mentem revoces atque inculces, ad catholicam fidem pertinere Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem auctoritatemque esse traditam; cuius plenum ac liberum exercitium nullis territorialibus aut nationalibus limitibus potest circumscribi et coerceri; et omnes qui catholico nomine gloriantur, non solum debere cum illo communicare quoad fidem et dogmata, verum etiam subesse quoad ritus et disciplinam.

« Qua in re ne praetermittas Armenios omnesque Orientale edocere quantum discriminis disciplinam inter et ritum intercedat, cuius utriusque rei confusio illorum fidelium mentem per-

turbat, pluribus iniustisque querimoniis occasionem praebere non cessat, eaque maxime abutuntur ad conflandam contra **Apo**stolicam Sedem invidiam ii omnes qui salutarem eiusdem Sedis actionem et vim in Orientales Ecclesias impedire aut imminuere minime verentur. Equidem Nos una cum Praedecessoribus Nostris Orientales ritus servandos esse declaravimus, quoties, neque fidei et unitati catholicae repugnarent, neque ecclesiasticae derogarent honestati. Quod quidem minime impedit, quominus, in his praesertim quae Ecclesiasticum regimen respiciunt, canonica disciplina quoad praecipua saltem capita ubique cohaereat, et ubi inversa vel collapsa fuerit restituatur. Neque ab hoc unquam deflectemus, prout Apostolici Nostri ministerii munus omnino postulai. Atque idcirco eo consilio Nostram Constitutionem edidimus IV Idus Iulias an. MDCCCLXV1I cuius initium est ***Reversurus;*** quam in suo robore manere volumus, et ab omnibus ad quos pertinet diligenter observari; nihil enim ea opportunius est ad ecclesiasticam libertatem tuendam ad sacrorum Antistitum iura auctoritatemque vindicandam, et ad catholicam religionem atque unitatem magis magisque conservandam.

« Qui autem haec Apostolicae Sedis iura et officia vel abnegant vel parvi pendunt, qua demum ratione, quo animo, suam erga illam reverentiam et obedientiam profiteri possunt? Hoc siquidem praeseferre videbantur commemoratae nonnullorum Armeniorum expostulationes, quibus illud etiam petebatur, ut salvis eorum ritibus, Delegati Apostolici iurisdictioni plane subicerentur Armenii, donec Ven. Frater Antonius Petrus IX in officio Patriarchae maneret. Quod quidem nullo prorsus modo indulgendum censuimus, etiam ex eo quod excogitatum manifeste fuerit ad declinandam legitimam eiusdem auctoritatem.

« Gravius autem est, Apostolicae Sedis auctoritate abuti ad effugiendam Praelatorum correctionem. Namque sacrum est et omni aetate servatum, atque in honore habitum ius appellationis ad Romanum Pontificem., cui divinitus concessa potestas inest quorumlibet Iudicum ligata sententiis dissolvendi. Verum minime ferendum est illud praetexere et eo abuti ad inobedientiae patrocinium, cum scilicet subditi eo consilio in vocem appellationis contra ecclesiasticam disciplinam perperam erumpunt. Remedium enim appellationis, uti monuit Alexander III Praedecessor Noster, non ideo inventum est ut alicui e religionis et

ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere. Ac notum est universis appellationes in materia correctionis et morum in devolutivo tantum, uti aiunt, servandas esse. Qai secus agere praesumpserint non tam obsequentes Apostolicae Sedis filii, quam ecclesiastici Ordinis perturbatores esse convincuntur.

« Ut ordo iste servetur, ex cuius tranquillitate pax exurgit, necesse est ut unusquisque memor conditionis suae diligentissime caveat, ne fines ecclesiasticis legibus sibi praestitutos transgrediatur. Quare sacerdotes oportet a mundanis curis plane alienos divinis ministeriis atque animarum saluti semper esse addictos, suisque Episcopis ea, qua par est, reverentia obedire. Monachi etiam, qui in professione sua omnes saeculi curas abdicarunt, debent omnino in sancta conversatione et in habitu Ordinis sui et in Monasteriis vel hospitiis tranquillam intaminatamque vitam agere, suaeque et proximorum aeternae saluti semper adlaborare, servata quam debent Episcopis reverentia atque obedientia. Ea de causa salutares leges atque instructiones iamdiu editae fuerunt ab hac S. Sede pro Monachis Constantinopoli degentibus, quarum initium *Complures* (1), et *Compertum est* f2): quae si servatae fuissent minime dolere cogeremur quosdam ex Monachis ipsis a recto tramite discessisse. Hasce itaque instructiones servari ab omnibus ad quos pertinent districte praecipimus, Tibique onus iniungimus ut pro Tui muneris officio ac potestate eorundem observantiam omnino cures.

« Denique Laicorum coetus in officio suo maneat, neque in ecclesiasticas res se ullo modo immisceat. Eorum in Ecclesia est doceri non docere, regi non regere ; et ecclesiae Dei nihil unquam tam noxium, fuit, ac propterea a Sanctis Patribus et a Conciliis etiam Oecumenicis nil magis improbatum, quam ut Laici in ecclesiastica negotia se se insérèrent, et in ecclesiasticum ordinem insilirent.

« Haec sunt, Ven. Frater, quae Tibi significanda atque mandanda duximus; quae ut possis utilius exequi, necessarias omnes atque opportunas facultates Tibi hisce Litteris tribuimus.

(1) Instruct. S. C. de Prop. Fide 90 August. 1842,
(2) Decret. S. C. de Prop. Fide 20 August. 1853.

«Age itaque, ac divino auxilio fretus operi manum alacriter admove, et ad eos, quos Ipsi per Nos invisere non possumus, perge velociter. Confidimus enim Beatissimam Dei Genitricem sine labe conceptam et S. Gregorium, qui Armeniae gentis vere Illuminator extitit et Apostolus, omnem gratiam a Iesu Christo Domino Nostro esse impetraturus, ut qui in Eum speramus non confundamur, et qui de tantis malis doluimus, laeta in filiis Nostris consolatione fruamur. Et huiusce boni, quod fusis ad Deum precibus assidue adprecamur, omniumque caelestium muneram auspicem, et praecipuae Nostrae in Te benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu Tibi, Ven. Frater, cunctisque Clericis Laicisque Fidelibus Tuae curae commendatis peramanter impertimus.

« Datum Romae apud S. Petrum die 24 Februarii anno 1870 Pontificatus Nostri Anno XXIV. »

PIUS PAPA IX.

EX ACTIS OECUMENICI VATICANI CONCILII

Post ea quae retulimus de actis Vaticani Concilii usque ad Decretum diei 20 *Februarii* 1870, *publicatum in Congregatione Generali die* 22 *Februarii, siluerunt Congregationes Generales usque ad diem* 18 *Martii* 1870. *Sed interim inter Patres consultationes privataque studia habita sunt, atque de schemate* De Ecclesia Christi *iam distributo illico ob novam scribendi methodum in dicto Decreto enunciatam dubium quoddam exortum fuit quoad determinatum tempus, quod sequenti documento fuit solutum.*

MONITUM

« Quoniam dubitatio exorta fuit, an Observationes intra decem dies scripto tradendae super primis decem Capitibus Schematis Constitutionis dogmaticae, *De Ecclesia Christi,* etiam comprehendere debeant 13 priores Canones de Ecclesia Christi, quae dictorum decem Capitum complementum efficiunt, idcirco ex pressis verbis declaratur. Observationes intra hos decem dies, quorum ultimus erit dies quartus Martii, scripto tradendas, non solum decem prima Capita, sed etiam Canones, qui ad eandem doctrinam pertinent (scilicet Can. 143 inclusive), complecti debere.

« E Secretaria Concilii Vaticani die 23 Februarii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Quum iamdiu ab initio oecumenici Vaticani Concilii plurimorum vota ederentur, ut hac in synodo catholica doctrina definiretur sancireturque de Romani Pontificis infallibilitate quam semper tenuit atque tenet catholica Ecclesia ; quumque petitiones plurimae admotae fuerint sive per fideles sive per ipsos Concilii Patres quamquam paulisper difformes essent, immo et nonnullae

dissonantes quoad definitionis opportunitatem (i), SS.mus Dominus Noster iuxta Litteras Apostolicas Multiplices *hoc doctrinae thema definiendum Concilio proposuit: atque definitionis formula distributa est Patribus quo die catholica Ecclesia festivitatem Angelici Doctoris celebrat cuius theologica et philosophica doctrina in Ecclesia catholica per saecula splendidissime refulsit et refulget, quae quidem derelinqui forte poterit, ingnorantia peregrinis opinionibus superveniente; obscurari autem non poterit. Cum formula itaque distributa* Monitum *quod sequitur datum est.*

MONITUM

« Cum plurimi Episcopi petierint a SS.mo Domino nostro ut Concilio proponatur thema de infallibilitate Romani Pontificis, idemque SS.mus Dominus noster, de consilio peculiaris Congregationis pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus

(1) Res est intelligentiae periucunda considerare in ipso cortice libellos, qui eduntur sive contra Romani Pontificis infallibilitatem sive definitionis opportunitatem sive pro infallibilitate; res autem est fastidiosissima patienter perlegere quae in hisce libellis continentur. Namque si in cortice ipsos consideras tibi sunt argumentum validissimum ad concludendum, hanc doctrinam de infallibilitate esse in praesentia necessario definiendam, quum mota sit quaestio quaedam, multum rumorem excitans; praecisione facta a merito quaestionis eiusdem. Nisi enim dicere velis" Vaticanum Concilium se gesturum prout ex actis quae habemus Concilii 'VI, traditur se gessisse Honorius, qui quaestionem de una vel duabus voluntatibus in Christo Domino prout debuerat *suo supremo et irreformabili iudicio* non diremit; ideoque nisi dicere velis Concilium Vaticanum eadem nota afficiendum de hac exorta quaestione, sicut olim Honorius; de infallibilitate quaestio dirimenda erit. Si autem hos libellos, quid contineant, perlegas, reperies scriptores infallibilitati contradicentes vel definitionis opportunitati, plerumque deficere in legibus tum logices tum critices, eaque obiicere, et saepe multo infirmiora, quae obiici Romae solent in publicis privatisque scholasticis disputationibus, quando theologica thesis de infallibilitate adolescentibus disputanda proponitur: scriptores autem pro infallibilitate, si paucos excipias, qui necessitate potius coacti nonnulla scribere existimarunt, non nisi paucissima dicere de iis omnibus quae iamdiu validissime scripserunt cordati catholici scriptores contra gallicanas praesumptiones.

deputatae, memoratae petitioni annuere dignatus sit ; idcirco R.mis Concilii Patribus examinanda distribuitur formula novi capitis ea de re agentis: quae formula schemati Constitutionis Dogmaticae *de Ecclesia Christi* inserenda erit post caput undecimum. Simul autem R.mi PP. monentur, ut ii, quibus super eodem capite undecimo et super praedicta formula, nec non super canonibus 14, 15, 16 aliquid observandum videbitur, animadversiones suas scripto tradant Secretario Concilii intra decem dies, nempe a die octava usque ad diem decimam septimam Martii inclusive iuxta Decretum 20 Februarii proxime elapsi.

« Ex Secretaria Concilii Vaticani, die 6 Martii 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Subsequitur alterum Monitum *quo Congregationes Generales aperiuntur, atque praestituta methodus in praxim deducitur.*

MONITI! M

« Mittitur adiectum huic Monito Schema primae Constitutionis dogmaticae reformatum, una cum Relatione eorum, quae de eo in peculiari Deputatione pro rebus ad fidem pertinentibus deliberata sunt. Feria VI huius hebdomadae, die 18 currentis mensis, hora nona matutina in Aula Concilii habebitur proxima Congregatio generalis, in qua iuxta num. 7 Decreti diei 20 Februarii a. c. fiet discussio schematis reformati. Reverendissimi Patres, qui de eodem Schemate loquendi veniam rogare voluerint, dabunt Secretario nomina sua in scripto, cum expressa declaratione, utrum de toto Schemate in genere, an de quibusdam eius partibus loqui velint. Initium fiet a discussione generali, et cum haec terminata fuerit, agetur de Prooemio seorsim, et pariter seorsim de quovis capite una cum canonibus, qui ad singula capita referuntur, iuxta ordinem procedendo.

« E Secretaria Concilii Vaticani, die 14 Martii 1870. »

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concil.

Inceptae itaque sunt Congregationes, et de iis omnibus quae dubitationem aliquam admitterent vel admittere possent exquisita sunt omnium Patrum suffragia. Synodus unius vocis et voluntatis semet ostendere coepit, et alacriter suffragia sunt edita: multo breviores Patrum loquentium animadversiones: schema **de Fide catholica** *adeo est reformatum, ut si primum compares cum Decreto publicato quoad formam prorsus aliud dicere deberes.*

*In Congregatione itaque Generali **habita*** **18** *Martii lectae sunt relationes quaedam traditae a Iudicibus Excusationum super decem petitionibus Patrum, qui, allegatis probatisque canonicis causis, demigrare peterent: eaeque a Synodo per suffragia probatae sunt, quae postea de more a SS.mo Patre sunt confirmatae. Inde relatio facta ex officio de reformatione schematis per Consilium a Synodo deputatum ad res fidei, eamque relationem fecit, prout fertur, Archiepiscopus Strigoniensis in Hungaria Primas. Postea tres Patres sunt loquuti de universo schemate. Denique per Presidem seniorem obitus nunciatus est abbatis Praemonstratensis Congregationis Austro-Hungaricae, Hieronymi De Zeidler, qui decesserat die prima Martii, atque Congregatio clausa est, descendente SS.mo Patre in **Vaticanam** Basilicam pro consueta visitatione, quam SS. Reliquiis facit Pontifex feriis sextis Martii ad Stationis indulgentias lucrandas. Eundem advenientem concomitati sunt Concilii Patres, multo adstante populo.*

Die 22 *Martii habita est Congregano, quum neque die S. Iosepho sacra neque diebus subsequentibus utpote impeditis haberi potuit, atque decem Patres de eodem re formato schemate sunt loquuti. In hac Congregatione idem Archiepiscopus Strigoniensis Ioannes Simor in compendium dicitur répétasse quae animadversa essent de proposito reformato schemate, atque ex officio, seu nomine peculiaris ad res fidei deputati Consilii quod schema reformavit, respondit animadversionibus factis: eaedemque responsiones et declarationes satisfecisse Patribus dicuntur. Haec methodus, ut videbimus, servatur, qua per deputati Consilii Patres ratio redditur de reformationibus factis vel faciendis, atque difficultates, quae oriantur, solvuntur, et suffragiis rogatis, surgentibus vel sedentibus Patribus, quid retinendum vel quid omittendum per minutissimas quoque partes constituitur, donec ad integrum reformatum schema deveniendo, iterum per vocum suffragia de toto schemate iudicetur.*

Die 23 *Martii iterum, Congregatione habita, sex Patres allocutiones prosequuti sunt de prooemio schematis reformati: deinde septem de primo Capite.*

Die 24 *prius octo Patres loquuti sunt, quibus clausa est disceptatio de primo schematis re formati Capite; dein quatuor; ac demum, Archiepiscopus Emmanuel Garzia Gii ex officio aliquid animadvertisse fertur. Quaedam inde scripta typis data sunt de novis animadversionibus factis, ut commode inprimis Congregationibus ad suffragia edenda Patres devenire possent.*

Die **26** *Martii novis datis ex officio declarationibus de reformato schemate sex Patres sunt loquuti, ac pariter nova folia distributa de animadversionibus modo factis pro emittendis suffragiis.*

Die 28 *prosequutae sunt animadversiones de secundo capite re formati schematis de fide, atque octo Patres sunt loquuti.*

Die 29 *suffragia emissa de prooemio schematis reformati, quod unanimi consensu fuit adprobatum : relationes ex officio habitae de novis animadversionibus multiplicibus de primo schematis capite, quarum aliae a Consilio deputato receptae et admissae fuerant, aliae praetermissae; atque per simplices propositiones suffragiis Patrum res omnis commissa est, omnesque reformationes admissae vel praetermissae unanimi fere suffragio firmae rataeque habitae sunt. Eiusmodi suffragiorum exquisitio fieri passim dicitur.*

Die 30, nonnullis ex officio animadversis, coepti sunt Patrum sermones de tertio schematis re f ormati Capite: undecim Patres sunt loquuti.

Die 31 *decem Patres prosequuti sunt sermones.*

Die 1 *Arilis duodecim loquuti sunt partim de capite tertio partim de quarto eiusdem schematis capite; atque de utroque capite animadversiones cessarunt. Diebus sequentibus emendationes a Consilio deputato iam concinnatae distributae sunt Patribus cum* Monito *quod sequitur.*

M O N I T U M

« Mittuntur huic folio adiectae emendationes schematis de Fide Catholica a Reverendissimis Patribus propositae ad *Caput III* cum suis *canonibus.*

« Simul vero monentur Reverendissimi Patres, quod de hisce emendationibus tertii capitis eiusque canonum post praeviam relationem suffragia Patrum ferenda erunt feria tertia proxime sequenti.

« E Secretaria Concilii Vaticani d. 2 Aprilis 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Die 4 *Aprilis suffragia exquisita ac emissa sunt super emendationibus secundi capitis dicti schematis, quae, prout fertur, sexaginta fuerunt: declarationibus ex officio -datis prospera fuerunt Patrum suffragia.*

Die 5 *Aprilis suffragia prosequuta sunt: nonnulli Patres veniam obtinuerunt accedendi ad propriam dioecesim: prospera ut antea fuerunt suffragia ad reformationes ex officio concinnatas et synodo propositas.*

Die 6 *Aprilis ratio reddita est ex officio de multis emendationibus factis quae dicuntur ascendere ad 122, atque suffragia prospere processerunt.*

Die 7 Aprilis de tertio schematis capite clausa sunt suffragia.

Die 8 *data ex officio relatione de emendationibus factis et propositis de capite quarto ad suffragia Patres devenerunt; atque clausa est Congregatio, aliquid adhuc definiendum super fuit, quod postea significatum est per Monitum quod sequitur.*

MONITUM

« Schematis *de Fide catholica* conclusio, quae incipit ab his verbis : « *Itaque supremi Pastoralis* » etc., cum de ea in ultima Congregatione generali non satis explicite actum fuerit, adhuc debet subiici Patrum suffragiis, antequam ad ferenda suffragia de toto capite IV procedatur. Ideo monentur Reverendissimi Patres, ut hunc in finem *Emendationes de capite quarto* huius Schematis propositas etiam ad proximam Congregationem generalem secum deferre velint.

« E Secretaria Concilii Vaticani d. 9 Aprilis 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Die 12 *Aprilis datis ex officio declarationibus, nonnullisque, suffragiis rogatis res expleta est, atque ita nihil aliud superfuit, nisi ut integrum schema iterum reformatum ex novis animadversionibus, quae hactenus suffragiis per singulas partes fuerant suppositae ei adprobatae,* ***Synodo*** *proponeretur iuxta praestitutam methodum in Decreto diei* 20 *Februarii* 1870, § 14, *in quo sic statutum legitur:* « Cum de omnibus schematis partibus hac ratione suffra- « gialata fuerint de examinato schemate Patrum sententias Cardi- « nales Praesides rogabunt. Haec autem suffragia oretenus edentur « per verba *placet* aut *non placet;* ita tamen ut, qui conditionem « aliquam adiiciendam existiment, suffragium suum scripto tra- « dere debeant ». *Quod exsecutioni est accurate mandatum. Namque, iussu Praesidis Card. De Angelis, Concilii Sub-Secretarius ambonem conscendens rogavit nominatim iuxta dignitatis et promotionis ordinem, singulos patres qui, prout fertur, numero erant* 595, *quorum plurimi numero* 510 *absolute responderunt* placet, *reliqui numero* 85 *responderunt* placet iuxta modum, *idest sub aliquo modo seu moderamine, quod scripto illico tradiderunt.*

Die 19 *Aprilis nuntiatus est obitus E.mi Card. Gonnella Archiepiscopi Viterbiensis et Raphaelis Biale Episcopi Albiganensis, factaque inde relatione de nonnullis Patribus qui ob canonicas causas in diocesim redire petierant, in examen revocata sunt suffragia* sub modo *data. Episcopus enim Brixiniensis Vincentius Gasser ex officio deputati Consilii ad res fidei amplissima oratione in examen revocavit singulos modos ad suffragia adiectos iisque expensis duo in acceptis* ***habiti*** *sunt; rogatisque iterum Patrum suffragiis, omnes, uno excepto, uti fertur, rem omnem probarunt. Hisce peractis* Monitum *quod sequitur distributum est Patribus.*

MONITUM

« Cum post diutinos gravesque labores, quibus Deus benedixit, sufficiens materia pro celebranda publica Sessione in promptu sit, SS. Dominus Noster statuit, ut **III** Sessio ss. oecumenici Concilii Vaticani habeatur proxima Dominica, quae est Dominica in Albis, die 24 currentis mensis Aprilis.

« In hac Sessione suffragia Patrum de Constitutione dogmatica, quae inscribitur: *Be Fide Catholica,* exquirentur eadem forma, quae nuper in Congregatione generali adhibita est, ita scilicet, ut nomina singulorum Concilii Patrum iuxta ordinem dignitatis et promotionis alta voce recitentur, iique quorum no mina fuerint recitata, statim surgant, et alta ac intelligibili voce suffragium edant respondendo: *Placet,* vel, *Non placet*

« Animadvertendum quippe est, quod in publica Sessione iuxta Litteras Apostolicas: *Multiplices inter* dd. 27 Novembris 1869 num. VIII, quo modus procedendi in Sessionibus publicis praescribitur, non liceat aliter suffragium dare, nisi pure et simpliciter per verba.: *Placet* aut, *Non placet,* excluso alio quovis modo.

« Die autem proximae Congregationis generalis post Sessionem publicam habendae significabitur Patribus per Monitum typis impressum una cum argumento, quod in ea tractandum erit.

« E Secretaria Concilii Vaticani d. 18 Aprilis 1870 ».

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secret Concilii Vatic.

DE TERTIA PUBLICA SESSIONE

« Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari ».

« Die vigesimaquarta Aprilis anni 1870 Dominica in Albis *hora nona* antimeridiana in patriarchali basilica S. Petri in Vaticano habebitur sessio III sacri Concilii Oecumenici.

« E.mi et R.mi DD. Cardinales *vestibus rubris* induti cum *calceis nigris* accedent ad memoratam basilicam, ubi adorato SS. SACRAMENTO, paramenta *coloris rubri* cuique ordini propria assument et petent subsellia in aula conciliari.

« R.mi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes, adorato ut supra SS. SACRAMENTO, in parato sacello S. Sebastiani vestes sacras *coloris rubri* sibi debitas induent et in aulam praedictam convenient.

« Missa votiva de Spiritu sancto cantabitur ab E.mo et R.mo D. Cardinali Bilio, in qua obedientia SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO non praestabitur, neque fient circuli consueti.

« Expleta Missa statutae preces iuxta Ordinem persolventur, quibus absolutis suffragium dabitur a Patribus ea forma, quae praescripta est in Monito a R.mo Episcopo S. Hippolyti Concilii Secretario die 18 vertentis mensis evulgato.

« Intimentur itaque omnes et singuli E.mi et R.mi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et supremi Moderatores Congregationum et Ordinum regularium ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

« Intimentur quoque Vice-Camerarius, Princeps solii, Concilii custos, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, Protonotarii de numero participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici Camerae Apostolicae duo, Votantes Signaturae quatuor, Abbreviatores de parco maiori duo, officiales Concilii ».

De Mandato SS.mi D. N. PAPAE.

Aloisius Ferrari Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

Iuxta eiusmodi intimationem ac Monitum res processerunt, Pontifex tamen Missae celebrationi non interfuit, quam solemniter celebravit E.mus Cardinalis Bilio : ea completa ingressus est Pontifex synodi aulam cum nobili familia et administris, eumque sunt concomitati E.mus Card, De Angelis qui tanquam Presbyter solio adstitit, nec non E.mi Cardinales Antonelli et Grassellini ut Diaconi solio adsistentes. Quae inde sunt subsecuta quoad ritus et caeremonias eadem sunt, ac in alia Sessione quae praecessit, iuxta Methodum *quam exposuimus pag.* 327 *et seq. Servatum tamen non est id quod fuerat in ea* Methodo *praescriptum de ianuis claudendis emittendisque qui in Synodo locum non haberent; idque ex mandato Pontificis factum, atque ideo ianuae aulae synodalis adstantibus patuerunt.*

Evangelium ex capite 28 *S. Matthaei desumptum in actione synodali cecinit E.mus Cardinalis Borromaeus ut Diaconus Apostolicus ; munera autem Apostolici Subdiaconi peregit Praesul d'Isoard Sacrae Rotae Auditor.*

Quod autem singulare hac in Sessione, cui ut splendida esset omnia externa et interna confluxerunt, fuit publicandi ratio, quae in anteactis sessionibus nec locum habere poterat **(1).** *Namque Episcopus Fabrianensis iuxta morem recipiens a SS.mo Patre Decretum publicandum quod Secretarius Concilii eidem SS.mo obtulerat, ambonem conscendens elata voce illud pronunciavit incipiens a verbis* Pius Episcopus *cum iis quae sequuntur usque ad ultimum verbum: dum Decretum legebatur Patres plures prae manibusgestabant eiusdem Decreti exemplar quod simul percurrebant oculis. Lectione completa haec verba idem Episcopus subiunxit:* « Reverendissimi Patres, placentne Vobis Decreta et Canones qui in « hac Constitutione continentur»? *Hisce prolatis verbis ex ambone discessit, quem statim conscendit Concilii Sub-Secretarius Praesul Iacobini qui omnium Patrum catalogum prae oculis habens ab E.mis Cardinalibus incipi is unum post alium nominatim omnes appellavit: id est Cardinales cum suo nomine ac titulo; reliquos omnes nomine omisso, quorum unusquisque sua vice respondit,* placet : *tum illico aula resonavit duplici voce, altera alteri succedente, quae* placet *repetebat.*

Namque tum prope Pontificis solium, tum prope synodalis aulae ianuam, quae ex adverso est solio Pontificis aderant qui hoc fungerentur officio repetendi elata voce verbum placet *aut* non placet *quod singuli Patres pronunciarent ; vel si Patres appellati deessent clamare deberent,* abest, *accedente auxilio Adsignatorum Locorum.*

Quare in longa Patrum recensione continuo aula alacriter resonavit repetitis utrimque verbis placet, placet, *vel, quando contingeret,* abest, abest.

Interim in statutis sedibus Praesules Scrutatores, Protonotarii Apostolici, atque ii, qui, auxilio hisce sunt, suffragia singula adnotabant.

(1) Nolumus heic omittere quandam circumstantiolam a nonnullis animadversam, qui adstabant in Tribuna Procuratoribus Episcoporum absentium destinata. Initio hymni *Veni Creator Spiritus,* in ingenti Templi fornice (italice *Cupola)* solis radius et unicus qui conspiceretur fenestram pertransiens oblique descendit usque ad ianuam aulae synodalis : eodem hymno durante paullatim declinabat, atque intersecans fere nomen *Ecclesiam* sub eodem fornice inscriptum, cessante hymno recessit.

Recensione completa, hi, praeeunte Concilii Secretario, ad solium Pontificis accesserunt ut de enumeratis suffragiis referrent, quae, nemine refragante, ascenderunt ad **667.**

Tum surgens Pontifex haec verba coram Synodo protulit : « De-
« creta et Canones, qui in Constitutione modo lecta continentur,
« placuerunt omnibus Patribus, nemine dissentiente; Nosque, sa-
« ero approbante Concilio, illa et illos ita ut lecta sunt defi-
« **nimus** et Apostolica Auctoritate confirmamus ».

Pontifex hisce prolatis verbis, perstitit ; atque ex intimo corde potius, quam ex ore in haec verba est effusus, prout ea audivimus et intelliximus : « Videte, Venerabiles Fratres, quam bonum et iucundum sit ambulare in domo Dei cum consensu! Sic ambulate semper I Et quoniam hac die Dominus Noster Iesus Christus dedit pacem Apostolis suis, et ego Vicarius eius indignus nomine suo do vobis pacem.

« Pax prout scitis excludit timorem ; pax prout scitis claudit aures sermonibus imperitis. Ah ! ista pax vos comitetur òmnibus diebus vitae vestrae ; sit ista pax consolatio ; sit ista pax vis in morte et pax ista sit vobis gaudium sempiternum in caelo ».

Omnium ora in Eum dicentem et gestientem erant vehementer intenta; complures spontanea quadam responsione dixerunt amen; *aliique, neque amplius cogitantes quod in domo Dei essent, manibus sponte plauserunt, illico tamen se continentes.*

Decretum itaque quod dum est primum Concilii Vaticani fructus, est simul mundo primum eiusdem Concilii semen, fructum tempore suo daturum, tenoris est qui sequitur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

Ad perpetuam rei memoriam

« Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Iesus Christus, ad Patrem caelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto

esse, adsistere docenti, operanti benedicere, perìclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

« Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus ; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere Decreta.

« Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

« Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta

autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

« Hac porro impietate circum quaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, ihtegritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

« Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum : ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum **(1).**

« Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare numquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque dammatis.

(t) Is. LIX, 21.

CAPUT I.

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

« Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum: qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

« Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, libérrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (1).

« Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et dissponens omnia suaviter (2). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius (3), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT IL

DE REVELATIONE.

« Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (4): attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque

(1) Conc. Later. IV c. *ÍFirmiter.*
(2) Sap. VIII, 1.
(3) Cf. Hebr. IV, 13.
(4) Rom. I. *m*.

supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humanp generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio **(1).**

« Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admisto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant ; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum **(2).**

« Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt **(3).** Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii Decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

« Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem Decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum san-

(1) Hebr. I, 1-2.
(2) 1 Cor. II, 9.
(3) Conc. Trid. sess. IV Decr. de Can. Script.

ctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

DE FIDE.

« Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem psius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium **(1).**

« Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiarn et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique, domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis **(2).** Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco **(3).**

« Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in con-

(1) Hebr. XI, 1.
(2) Mare. XVI, 20.
(3) 2 Petr. I, 19.

sentiendo et credendo veritati (1). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae eius, cui resistere posset, consentiendo et •cooperando.

« Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio' sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

« Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini umquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officium veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

« Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes ***(°2),*** et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et. errantes. gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt,

(t) Syn. Arans. I pag. 7. **(3) Is. XI, 12.**

nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium idem eandem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE.

« Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est **(1),** pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam meno principum huius saeculi cognovit: - nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, atiam profunda Dei **(2).** Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis **(3).**

« Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, numquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta*

(1) Ioan. I, 17.
(2) 1 Cor. II, 7-9.
(3) Matth. XI, %.

ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino:-per fidem enim ambulamus, et non per speciem **(1).**

« Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem huius contraditionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati iiluminatae fidei contrariam ommino falsam esse definimus **(2).** Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam **(3).** Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

« Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc- multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo ; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae re-

(1) 2 Cor. V, 7.

(2) Conc. Lat. V Bulla *Apostolici regimis.*

(3) Coloss. II, 8.

pugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

« Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altior intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia **(1).**

CANONES

L

DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit ; anathema sit.

.2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corpóreas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

(1) Vine. Lir. Common, n. 28.

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum ;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit anathema sit.

II.

DE REVELATIONE.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse ; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur ; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evelli non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere ; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspíralos esse negaverit ; anathema sit.

III.

DE FIDE.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse : aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci ; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

DE FIDE ET RATIONE.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari ; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus

tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

« Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exsequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

« Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt ; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi opiniones, quae istic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt ».

EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

SOLUTIONIS SEU EXCARDINATIONIS

Die 18 Decembris 1869 et 19 Februarii 1870.

Compendium facti. Livius Presbyter expleto studiorum curriculo in Seminario dioecesano, praeceptor et Capellanus constitutus est ab Episcopo in quodam eiusdem dioecesis oppido ; hoc munus adimplevit per armum: deinde in Seminario ipso praeceptor puerorum fuit ab anno 1860 usque ad exitum anni scholastici 1866. Hoc tempore venia ab p]piscopo (quemadmodum Livius exposuit) ad tres menses obtenta, in aliam se contulit dioecesim.

Ad exitum properante trimestri tempore, Livius Episcopum dicitur rogasse, ut sibi facultatem faceret in ea aliena dioecesi permanendi ea de causa, ut ibidem in universitate humaniores litteras doceret : huiusmodi petitioni Episcopus non respondisse dicitur, sed e converso, completo trimestri tempore, die decima Novembris per alium significasse Livio : « quod, quum contra « regulas ipse dereliquisset munus et propriam dioecesim, eum « suspendit a Divinis usque dum resipisceret ». Die vero 17 eiusdem mensis Episcopus formale suspensionis Decretum illi indixit per Vicarium Capitularem eius dioecesis in qua Livius degebat.

Quum autem Livius in dioecesim redire nollet, eum Episcopus a suspensione non solvit. Livius itaque S. Congregationi preces admovit ut consequeretur id quod ab Episcopo consequi non poterat.

Precibus Livii ad Episcopum remissis pro informatione et voto, inter cetera rescriptum est: expositionem factam a praedicto Livio falsa continere et plura reticere quae narrari debuissent : eum sacris canonibus et ordinationibus ecclesiasticis dioecesanis usque in praesens non satisfecisse : iniuriam et damna illata Seminario et ecclesiae quae illum aluit Presbyte-

rumque fecit non resarcivisse : scandala Clero et populo dioecesis data non reparasse: idcirco preces a Livio oblatas S. Sedi esse reiiciendas. Nihilominus eum qui tribus ferme annis leges ecclesiasticas et censuras nihili fecerat, contumax permanens, haud amplius in dioecesi bene se esse forte gesturum.

« Sed (sic prosequebatur Episcopus) in tirocinio clericali, « quod septem annis constat, et in Convictu pro collationibus « theologiae moralis practicae, in quo tribus annis Neo-Sacerdotes « excipiuntur, Seminarii beneficiis et subsidiis abunde usus est: « huic ipsi damnorum causa fuit sua desertione ac ecclesiae pro « cuius utilitate seu necessitate sacris ordinibus insignitus est, « eamque dereliquit ut pinguiora quaereret pascua. Igitur in « primis ecclesiae et Seminario compensationem faciat, ipsimet « Seminario absolute remittendo tot chartulas vulgo dictas *Cedole « del Consolidato romano,* quae annuam dant responsionem du- « centum quinquaginta libellarum. Deinde per actum formalem « in curia dioecesana declaret, se originariae ecclesiae N. renun- « tiare, seque numquam ne una quidem vice Sacra facturum in « territorio eiusdem absque licentia in scriptis obtinenda ab « Ordinario, idque sub poena suspensionis ipso facto incurrendam « Hisce praestitutis et censura revocata abeat in pace. Propo- « sitam vero compensationem debitam esse ac iustam inferri « posse videtur per analogiam ex disertis a Francés *de Eccl. « cath.* c. 28 ; Chrispin. *de Visit p.* 2 § 31 ; Monacelli *Form. p.* 2 « *tit.* 13; atque ex responso S. Congreg. Conc. in *Cesenaten. « Synodi* 26 Febr. 1699 ».

Haec ab Episcopo. Quaestio itaque videbatur pendere ab altera quaestione, utrum Livius teneretur compensare sumptus quos Seminarium pro eius ecclesiastica educatione impenderat : sed proposita causa in comitiis habitis die 18 Decembris 1869 responsum prodiit : *dilata et ad mentem.*

Novis itaque habitis ab Episcopo epistolis haec quae sequuntur sunt fusius exposita et narrata : id est, Livium e sua dioecesi abiisse, in qua natus, altus et Presbyter factus erat, absque permissione ac facultate Ordinarii, quod plurimi sacri canones, qui ab Episcopo allegabantur, omnino reprobaren! : officium laicalis magisterii extra dioecesim expetivisse, assume psisse, id prorsus ignorante Ordinario, et despectis dioecesanis et provincialibus ordinationibus : contractum violasse, quo a sex

annis adstringebatur Seminario dioecesano uti magister grammaticae, in quo cum habitatione et mensa stipendium quoque haberet libell. 300: monitum fuisse a Seminarii Rectore ut rediret, ac renuisse : monitum de censura inferenda suspensionis, et perstitisse contumacem : praeceptum deinde ei fuisse, ut se conferret ad paroeciam O. ludimagistri officio functurum ut Municipium efflagitabat cum stipendio libell. 650 et ut Parochum septuagenarium coadiuvaret, et noluisse. Exinde indicabat Episcopus scandala orta et dicteria in Clerum, praesertim ob Presbyterorum penuriam in summis christiani populi necessitatibus.

Suspensioni subiectum nec damna nec scandala umquam reparasse : quod si excardinari vellet e dioecesi id sub conditione ei concedi, dummodo damna illata per exercitia spiritualia repararet et obligationibus satisfaceret, repensis scilicet sumptibus, quos pro eius ecclesiastica educatione Seminarium impenderat.

E converso Livius inquiebat, se iam fuisse e dioecesi ab Episcopo emissum ; ideoque totam controversiam reduci, utrum ipse teneretur solvere Seminario sumptus quos consumpserat: atque contendebat se ad id non teneri.

Disceptatio synoptica.

IURA EPISCOPI. Episcopus in suis epistolis commemorabat canones tum veteres tum recentiores, quibus ius firmatur cogendi Presbyteros ut in propria cuiusque dioecesi permaneant, videlicet *can.* 5 *Concilii Nicaeni, can.* 5 *Antiocheni, can.* 13 *Sardicensis,* statuentes, Clericos debere esse subiectos Episcopis, a quibus, si recedant, excommunicari possint, et sic excommunicatos, quocumque se conferant, nequaquam ad communionem posse ab ullo alio admitti, donec a proprio, qui eos ligavit, Episcopo exsolvantur, aut a provinciali Synodo, si ad eam appellaverint. Can. 3 Concilii Antiocheni vetare, quominus Clerici sine litteris Episcopi peregrinari possint, alioquin decernere deponendos e gradu suo. Canones Apostolorum 15, 16, 32, Synodumque Sardicensem c. 16, 18 et 19, prohibere ne Presbyter, Diaconus aut Subdiaconus in ministerium aut communionem recipiatur, si sit alterius dioecesis, sine Episcopi proprii commendatitiis litteris; vel ne in clerum admittatur vel ordinetur

sine eiusdem dimissoriis litteris. Easdem prohibitiones repetere Concilium Carthaginense sub Iulio Papa canone 5. Eo denique spectare Concilium Tridentinum *sess.* 22 in Decreto *de observandis et evitandis in celébr. Miss,* his verbis : « *Deinde ut irreverentia vitetur singuli Episcopi in suis dioecesibus interdicant* •*ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat* ». Itemque in *sess.* 23 *de Ref or. c.* 8 statutum esse : « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si aliquis ab altero Episcopo promoveri petat, nullatenus id ei etiam cuiusvis generalis aut specialis Rescripti vel Privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur ».*

Sed Causidicus nomine Episcopi ad haec confirmanda alia adiecit iura. Commemoravit videlicet Tridentinam dispositionem *sess.* 23 *de Ref. c.* 16 haec sancientem : « *Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur ».* Atque S. Congregationem Concilii huic dispositioni inhaerentem saepissime confirmasse Episcoporum Decreta quae prohiberent sub gravibus poenis quominus Clerici e dioecesi discederent sine Episcopi venia, ut in *Larinen.* 30 Aug. 1732 ; in *Segnen.* 13 Septemb. 1749 et in *Tinen.* 15 Martii 1625 *lib. Decret.* 93 *p.* 33; in *Amerina* **8** Maii 1756.

Quum itaque Livius ab ecclesia N. et Seminario altus et •educatus fuerit, quumque ob ecclesiae eiusdem necessitatem vel utilitatem fuerit ordinatus, non posse e dioecesi abscedere eandemque relinquere absque Episcopi venia.

Quod quum fecerit contra Episcopi voluntatem atque admonitiones, recte suspensionis censura fuisse mulctatum iuxta eandem Tridentinam dispositionem, eodemque Livio in sua contumacia perseverante, locum haud esse absolutioni suspensionis, Benedictus XIV in opere *de Synodo dioeces. I.* 10 c. 1 et auctores passim. Quare aptandam in praesenti themate Orator inquiebat -dispositionem, quam S. C. fecerat in causa Amerina die **8** Maii 1756,

cuius haec fuerat facti species. Iuvenis quidam Romae studiis operam navans ab Episcopo originis petiit, ut clericali militiae adnumeraretur. Adscriptus itaque est ecclesiae urbis patriae Presbyteris destitutae, et dimissorialibus litteris ab Episcopo acceptis, quibus necessitatis eiusdem ecclesiae expressa mentio facta erat, minores ordines accepit. Postea titulo Cappellaniae manualis, a S. Congregatione vero, ipso petente, perpetuatae, ad sacros ordines ascendit, repetita ab Episcopo in litteris dimis sorialibus iterum dictae ecclesiae necessitate. Reversus in patriam, discedendi veniam petiit ut Romam rediret; negavit Episcopus; indictaque suspensionis poena ipso facto incurrenda vetuit; ne discederet. Quum tamen discessisset, quaestione proposita coram S. C. I. « An Sacerdos N. N. adscriptus servitio parochialis eccle-« siae N. et pro necessitate eiusdem ecclesiae ad sacros ordines « promotus titulo Capellaniae obtentae et a S. C. perpetuatae « potuerit contra formam praecepti Episcopi ab eadem ecclesia « discedere ut valeat in Urbe permanere. II. An. et in poenas « conciliares sibi intimatas inciderit in casu ». Quibus S. C. respondit : ad I. *Negative, assignata Congrua per Episcopum.* Ad. IL *Consulat conscientiae suae.*

Ad Compensationes quod spectat Seminario faciendas animadvertit Orator, eas esse sub conditione positas si *excardinationem* per fas vel nefas obtinere Livius vellet : sed re etiam considerata tamquam a conditione soluta, contendebat, Livium ad compensandos sumptus Seminarii teneri; qua de re allegavit causam Tiburtinam diei 11 Martii 1752, in qua, dubiis propositis : « II. An liceat Episcopo Tiburtino arctare Seminarii Alu-« mnos ad emittendam obligationem reficiendi alimenta Seminario « in casu quo vel non ascendant ad sacros ordines, vel ante « completa studia discedant e dicto Se ninario sine licentia Epi-« scopi. Et quatenus affirmative. III. An et in quam causam « sit eroganda summa per eosdem alumnos vigore huius obli-« gationis reficienda in casu ». S. Congregatio respondit : ad II. *Affirmative,* ad III. *In commodum Seminarii arbitrio Episcopi cum consilio Deputatorum, et amplius.* Quam quidem obligationem confirmare curavit allegata auctoritate Synodi provincialis Burdigalensis, in qua fuit statutum : « Si sine licentia Episcopi, « alieno loco vel personae se mancipaverint aut extra dioecesim « in qua servire debent transfugerit, teneantur ad restitutionem

« alimentorum et aliorum sumptuum ». Item auctoritate Cecconi, Episcopi olim Montisalti, qui in opere *Dell'istituzione dei Seminarii c.* 4 plura ad rem habet, eandemque obligationem eruit ex contractu innominato, do ut des, do ut facias, vel, facio ut des.

I**URA** L**IVII**. Livius e converso affirmans se e dioecesi iam fuisse ab Episcopo dimissum quod Episcopus declaraverit, haud amplius ipsum recepturum fore, universam quaestionem coercuit ad obligationem eompensandi Seminarium: hanc autem obligationem sibi esse pluribus de causis denegabat; tum quod in usu non fuerit compensatio, tum quod Seminarium compensationem ex parte acciperet ex alumnis non ecclesiasticis, tum quod per magisterium sex annos in Seminario exercitum iam uberrime compensasse! si aliquid compensandum foret, tum quod pensionem solverit neque fuerit omnino gratis enutritus.

De auctoritatibus in contrarium adductis animadvertit, eas agere de alumnis gratis altis qui postea, habitu clericali dimisso, viam deserant ecclesiasticam : quavis autem in hypothesi restitutionem faciendam non esse nisi quando ex lege aliqua sive fundationis sive episcopali sive synodali sive ex legitima con suetudine id fuerit praescriptum, ci. Lucidi in recenti opere *de Visit SS. Liminum vol.* 2 § 6 *n.* 20.

Dubium.

« An et quomodo Sacerdos *(Livius)* cogi possit ut id pro-
« priam dioecesim revertatur in casu ».

R**ESOLUTIO**. S. Congregatio Concilii causa iterum cognita die 19 Februarii 1870 respondere censuit: *Posse cogi ad revertendum in propriam dioecesim, dummodo ibi absolutionem a censuris, posteaquam humiliter petierit peractis spiritualibus exercitiis per tempus ab Episcopo designandum, obtineat, eique, de Congrua per Episcopum provideatur.*

EX QUIBUS COLLIGES :

L Iuxta veterem disciplinam neminem potuisse utiliter sacris ordinibus initiari qui adscriptus seu incardinatus non esset alicui peculiari ecclesiae cui inservire teneretur (1).

(1) Eiusmodi incardinatio erat intime coniuncta cum S. Ordinatione, ita ut nec Episcopus nec Presbyter dici posse videretur, qui cum ecclesia

IL Concilium Tridentinum vestigiis huius disciplinae inhaerens **(1)** statuisse, nullum ordinari debere, qui illi ecclesiae aut pio loco pro euius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur.

III. Temporis lapsu laxiorem quoque eiusmodi disciplinam evasisse, ita ut vix amplius in consideratione haberi soleat necessitas vel utilitas alicuius peculiaris ecclesiae vel pii loci; sed potius utilitatis spes, quae obventura sit dioecesi vel saltem ecclesiae indeterminate consideratae **(2).**

aliqua non esset coniunctus cui inservire deberet ; de hac re recoli possunt quae scripsi in- *Vol. III, pag. 507 et seqq.*

(1) Synodus Tridentina *c. 16 sess. 23 de Ref.* commemoravit canonem sextum Concilii Chalcedonensis cuius vestigiis inhaesit; ille autem ita se habet iuxta accuratissimam lectionem Eminentissimi Card. Pitra: « Nullum « absolute ordinari debere Presbyte« rum aut Diaconum, nec quemlibet « in gradu ecclesiastico, nisi speciali« ter ecclesiae civitatis aut possessio« nis, aut martyrii, aut monasterii qui « ordinandus est pronuntietur. Qui « vero absolute ordinantur, decrevit « sancta Synodus irritam haberi hu« iuscemodi manus impositionem et « nusquam posse ministrare ad Ordi« nantis iniuriam ». Erat videlicet sic Ordinatus perpetuo suspensus ut mod o diceremus.

(2) Eiusmodi laxior disciplina tamquam consequens descendit ex variis titulis s. ordinationis pedetentim in ecclesia admissis. Namque si quis ordinari potest non ratione tantum ecclesiae cui inservire perpetuo teneatur; sed etiam ratione alicuius cappellaniae vel pensionis vel patrimonii etc. eo ipso consequi debuerat huius disciplinae relaxatio; quamquam in subsidium tantum hos titulos Tridentina Synodus admiserit. Eo magis laxius praesenti aetate evasit hoc disciplinae caput, quod, in adiunctis in quibus nunc versatur ecclesia, etiam subsidiarii s. ordinationis tituli plerumque fere umbrátiles evaserint.

Dici passim solet, titulum s. ordinationis ideo a ss. canonibus postulari et exigi, ne clerici in dedecus coetus clericalis mendicare cogantur ; sed inspecta horum titulorum origine, haec neque unica, neque praecipua ratio est : si'en im fuisset unica ratio, quisquis vere dives potuisset antiquitus facile ordinari, quin alicuius ecclesiae ministerio manciparetur : at contra erat; namque, qui absolute ordinabatur, erat perpetuo suspensus tamquam si ordinatus non fuisset. Praecipua autem ratio, cur veteres canones exigebant s. ordinationis titulum, ex eo derivabat, quod Clericus sine ministerio determinato dari non posset, quod sine gradu ecclesiastico cum proprio ministerio coniuncto Clericus quisquis nec appellari quidem posset : unde passim legitur generalis sanctio ob quasdam graves culpas: *Clericus e gradu suo deponatur; e loco suo deiiciatur,* et similia; quae supponunt omnes clericos semper habuisse ecclesiam et gradum quem occuparent: eo fere modo, quo nec ordinabatur Episcopus sine ecclesia cui perpetuo vinculo praesideret. Ex hac arcta coniunctione s. ordinationis cum

IV. Quare infirmiorem quoque evasisse Episcopi facultatem denegandi Clericis a se ordinatis perpetuum e dioecesi discessum seu excardinationem, cum plerumque vix et ne vix quidem Clerici vero canonico sensu incardinati dici possint.

V. Eandem tamen facultatem non adeo infirmam esse, ut Episcopus cogere non possit ecclesiasticis poenis Clericum suae dioecesis si paratus sit congruum eidem Clerico adsignare officium et stipendium.

VI. Maxime vero si Clericus Seminarii impensis et eiusdem ecclesiae curis fuerit enutritus et educatus.

VII. Non posse tamen tamquam ex iustitiae debito cogi Clericum e dioecesi demigrantem ad restituendos Seminario sumptus, nisi forte id fuerit ex aliqua peculiari lege constitutum.

VIII. Videri tamen posse Ordinarium, aequitate suadente, eosdem sumptus exigere tamquam rationabilem conditionem, si Clericus obtinere cupiat excardinationem, quam ex iure vel aequitate obtinere non possit.

peculiari ecclesia ortae sunt reliquae praecipuae ecclesiasticae leges, ut lex residentiae, qua Cleiici vagari non poterant, iura et officia per canones accurate determinata tum Clericorum tum Episcoporum: et supervenientibus Beneficiis, perpetuitas eorundem. Atque totius ecclesiasticae disciplinae robur, tamquam ex suo praecipuo fundamento repetebatur ex dicta coniunctione Clerici cum peculiari ecelesia cui per s. ordinationem perpetua mancipabatur : ideoque ea relaxata coniunctione reliquae leges ex ea derivantes nutare coeptae sunt, quarum nonnullae nomine permanentes indolem primaevae originis amiserunt.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 23 Ianuarii 1869.

Summaria precum. Pius testator tria patrimonia sacra constituit in italica urbe N. adsignatis redditibus ducat. 40 pro singulis; immo duabus adiecit et alia ducata 10 cum onere tamen quinquaginta Missarum. Voluit autem ut *Beneficiariorum nominatio in perpetuum fieret a Bectore pro tempore domus religiosae B.*

Unum ex illis patrimoniis cum dicto Missarum onere conferendum erat; sed, opera civilis Gubernii, dispersi tum iam fuerant Regulares dictae domus religiosae B.; ideoque Rector deerat. Quare uxor testatoris vidua existimans his in adiunctis nominationem facere ad se pertinere, ad sacrum patrimonium nominavit testatoris pronepotem, qui iam erat Presbyter. Confecto instrumento, quum ad reddituum possessionem capiendam necesse fuerit dicto Presbytero civilem adire magistratum, eum adivit, qui respondit: «nominationem nullam esse, quum fun- « dator in perpetuum reservaverit ius nominandi Rectori pro « tempore domus religiosae B. Ideoque orator se conferret ad «Moderatores aerarii ecclesiastici aut ad Rectorem ecclesiae B. « atque facta ab his nominatione, agi posset de re proposita ».

Neutrum quod iubebatur sibi licere Presbyter cernens, quum ipse nihil commune haberet cum Moderatoribus illegitimi aerarii ecclesiastici nec cum intruso Rectore ecclesiae B., a re prosequenda abstinuit.

Quum autem postea, extruso illegitimo Rectore, alter ab Archiepiscopo suffectus illi ecclesiae fuerit, ad hunc Presbyter festinavit, ut nominationem obtineret.

Anceps haesit ecclesiae Rector, utrum necne ad patrimonium sacrum, qui iam Presbyter esset nominari posset, quum ea sit patrimonii ecclesiastici natura, ut Clerico ad sacros ordines promovendo constituatur, et quidem in carentia alterius canonici tituli: quocirca, consilio accedente provincialis Superioris Ordinis Regularis, ad quem domus B. ante pertinebat, suasit Presbytero, ut rem definiendam proponeret Sanctae Sedi; atque ita, ut si non iure, ex gratia eam obtineret, atque simul perciperet summam fructuum, qui cumulati essent annis praeteritis, sibi

iniiciendo onus celebrandi Missas, quae annis praeteritis essent omissae. Quod praestitit Presbyter, preces Sanctae Sedi admovens hisce suffultas rationibus: I° quod esset fundatoris pronepos: 2° quod Vicarii Generalis consensu instrumentum anno 1863 bona fide coniecisset expensasque subiisset, atque libellas 240 taxae nomine Gubernio solvisset: 3° quod solus senes suos parentes et tres sorores alere deberet: 4° quod ex temporis adiunctis alii proventus ecclesiastici sibi defecissent, et ipse iam tenuis titulus suae sacrae ordinationis: 5° quod intuitu patrimonii de quo agimus, iam aes alienum contraxisset ob familiae necessitates.

Archiepiscopus rogatus et significans, vera fuisse ab oratore exposita, pro exauditione precum respondit.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Animadversum est, naturam sacri patrimonii proprio sensu ac:epti ex sese referri ad clericos, qui ordinandi sint; ideoque si patrimonium de quo agitur Presbytero conferretur, eo ipso voluntati testatoris, quam servandam utrumque ius clamat detrimentum inferri.

Attamen in praesenti themate plura concurrere, quae gratiam suaderent, idest, praesumptionem, qua non censeretur testator voluisse consanguineos in summa rei familiaris angustia versari: nominationem factam ab ipsa testatoris vidua: impensas bona fide hac de causa peractas: assensum eorum omnium, quorum id intersit: denique de derogatione voluntatis quidem agi, sed tamen non gravi.

RESCRIPTUM. Propositis precibus in S. Congregatione Concilii habita die 23 Ianuarii 1869, responsum prodiit: *attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Si quae causae suppetant, quae aliquam derogationem voluntati testatoris faciendam suadeant, tantum derogari, quantum causae exigere videantur.

II. Quare si causae quae derogationem suadeant cessare decursu temporis possint, derogationem ad determinatum dumtaxat, tempus fieri.

« K —

PAROCHIAE

Die 19 Februarii 1870.

Compendium facti. A vetustis temporibus coenobium Monachorum extabat>in oppido A. in Regno et dioecesi B. Tum coenobii fundator tum Episcopus bona eidem coenobio contulerunt: et quo satius eiusdem necessitatibus consultum esset, suppressa paroeciali ecclesia N, quae a vetustissimis temporibus eo in oppido aderat, quotquot erant paroeciae proventus et decimas Episcopus coenobio attribuit.

Suppressa itaque paroecia, animarum cura commissa fuerat Parocho alterius propinqui oppidi: at tractu temporis aequius visum est, ut coenobium sicut redditibus suppressae paroeciae fruebatur, ita quoque paroecialia munera obiret. Duo ea de re extant episcopalis Curiae Decreta,, alterum editum anno 1266 alterum vero anno 1442: quorum primo omnia paroecialia officia coenobio committebantur praeter administrationem Baptismi ac Matrimonii, quae duo sacramenta'administrabantur per Cappellanum saecularem ab ipso coenobii Abbate et Monachis nominandum ; altero autem omnia Sacramentorum administratio Abbati et Monachis commissa est; propterea quod experientia docuerat Cappellanos saeculares oscitanter commisso muneri satisfacere.

Pontifex Pius II epistola in forma Brevis Archidiacono cathedralis ecclesiae anno 1460 commisit, ut auditis partibus atque re cognita, ea quae per Curiam gesta fuerant Auctoritate Apostolica confirmaret: quid tum gestum fuerit non constat; in comperto tamen est ab eo tempore usque ad annum 1786 animarum curam iis in oppidis obiisse Monachum eiusdem coenobii.

Anno 1786 ope conventionis inter Curiam et Monachos eius Regni paroecialia iura coenobium amisit.

Namque Monachis eius Regni utile iamdiu visum fuerat, in unum locum congregare suos alumnos, qui in litterarum et scientiarum studium incumberent: ad id opportunissimum illi existimaveram coenobium de quo agimus : hoc autem factum erat petita et obtenta Apostolica Auctoritate. At pedetentim coenobium ex concursu aliorum iuvenum, undique in illud cofluentium studiorum causa, veluti in hospitium fuerit conversum:

atque adeo, ut denique nullus esset Monachus professus eidem coenobio peculiariter perpetuoque addictus praeter aliquot laicos servilibus operibus mancipatos.

Evenerat praeterea, ut qui ex eorundem vitae instituto studiis vacare continuo cogebantur, paroecialia munera négligèrent ac posthaberent.

Res eo processerat, ut Episcopus, edito Decreto anno 1785, bona et redditus coenobii sequestraverit atque administrationem rei tum temporalis tum spiritualis Canonicis cathedralis commiserit, et sub excommunicationis poena Monachos démigrare iusserit in propria coenobia.

Hae fuerunt causae, cur ad dictam Conventionem deventum est. In Conventione constitutum fuit, ut Monachi paroeciam dimitterent, dotem eidem adsignarent: studium generale transferretur in quoddam Collegium a S. Petro nuncupatum, ita ut, tum coenobium, tum dictum Collegium in quod demigrarent unum constituerent corpus. Conventio haec Auctoritate Apostolica fuit confirmata; atque Ordinarius paroeciam contulit Canonico ecclesiae cathedralis tamquam Beneficium saeculare.

At vero brevi temporis intervallo, rerum publicarum ordine in eo Regno subverso, eodemque Regno in partes diviso, Regimen civile, expulsis Monachis, Collegii aedes usurpavit et in proprios usus convertit.

Tum Monachi, Collegii aedibus amissis, a Regimine postularunt, ut sibi restitueretur paroecia N, et boba pro eiusdem dote adsignata; ex ea ratione id petierunt, quod, amissis aedibus, conventionem solutam dicebant, atque proinde sibi restituendum quod dederint. Haec omnia Monachi obtinuerunt addicto Regimine et in pristina iura illico redierunt: tamen in hisce omnibus Auctoritas S. Sedis non intervenit.

Ita res processit usque annum 1819, quo primus Monachus Parochus mortuus est.

At aegre ferens Episcopus quod gestum fuerat, occasionem vacationis paroeciae nactus, causam movit apud competentem Auctoritatem iuxta eius loci Concordatum, obtinuitque contra Monachos sententiam, firma decreta Conventione anni 1786; atque Monachi paroeciam iterum dimittere coacti sunt, quam ab auno 1820 usque ad annum 1865 obtinuerunt Presbyteri saeculares ab Episcopo electi.

Hisce ultimis annis Monachi supplicem obtulerunt S. Sedi libellum, ut sibi restituerentur tum paroecia, tum adnexa bona.

Disceptatio synoptiea.

IURA MONACHORUM. Curam animarum paroeciae N., inquiebant Monachi, ad se pertinuisse ab anno 1460 ad annum 1786: unionem paroeciae cum coenobio factam esse Auctoritate Apostolica Pii II: cessam fuisse paroeciam anno 1786 per Conventionem qua ideo Monachi renunciarunt paroeciae, ut aedes Collegii S. Petri eius loco haberent. Amissis ergo per Regimen his aedibus, reviviscere primum ius in paroeciam N. Namque deficiente alicuius Conventionis *correspectivo* integram deficere Conventionem, et pristina resurgere iura: quod Regimen civile aequum iustumque indicaverat.

Neque videri impugnari posse iudicium Regiminis id temporis latum, quod neque ab auctoritate competente latum fuerit, neque Auctoritate Apostolica confirmatum: namque non de natura Beneficii immutanda, sed de simplici restitutione facienda actum fuisse, quum causa cessaverit, quae Beneficium regulare in saeculare converterat.

Quod si tamen confirmatio Apostolica eius iudicii necessaria esset, eam se ex iustitia et aequitate nunc implorare. Ex iustitia, quum secus coenobium illud careret et paroecia et correspectivo renuntiationis: ex aequitate, quum ex facto animarum curam coenobium illud exerceret: namque Monachos quatuordecim Confessarios habere, qui in excipiendas oppidanorum sacramentales Confessiones atque in diribendum eucharisticum panem; et in reliqua paroecialia officia incumberent: praeterea eorundem oppidanorum suffragium accedere, quod a S. Sede id postularet.

IURA EPISCOPI. Episcopus animadvertens Monachorum petitionem labili fundamento inniti, ostendit, Decretum Regiminis civilis non posse invocari, tum quod ab incompetente auctoritate fuerit latum; tum quod nullum redditum esset per secundum iudicium ab auctoritate competente latum; tum quod iniustum esset.

Et ad iniustitiam quod spectat, commemoravit Conventionis verba, quae conditionata non erant: et remissa et renunciata fuerant a coenobio iura in paroeciam. Quod autem pure et sim-

pliciter cessum renunciatumque sit vindicari non posse, quasi vero sub conditione dimissum vel renunciatum.

Neque Monachos obiicere posse, sibi defecisse correspectivum; seu aedes S. Petri sibi attributas fuisse loco paroeciae: ideoque subtractis per civile Regimen eiusmodi aedibus, ad se pertinere paroeciam. Huic enim difficultati respondebat Episcopus, aedes S. Pedri Monachos obtinuisse per civilem et ecclesiasticam auctoritatem ope tantum Conventionis, quam confecerant, ut a se averterent poenas ob neglecta paroecialia munera: ne omnia enim amitterent, aedes praedictas sibi habuerunt: haec quidem in facto. In iure autem compertum esse principium, contractus perfecte conclusos, posse identidem resolvi, si facto alterius contrahentis res pereat, non autem si casu aut ex vi maiore cui resisti non possit. Monachos autem amisisse aedes per vim seu per factum Principis.

Nullam praeterea succurrere rationem cur ex gratia Summi Pontificis quod Monachi peterent concederetur. Quae enim de incuria Parochorum saecularium assererent Monachi, non demonstrari; neque umquam aliqua reprehensione dignos fuisse repertos: e converso, acta extare, quibus Monachi de neglecta animarum cura fuerint graviter reprehensi poenisque mulctati.

Neque in consideratione esse habendum quorundam oppidanorum suffragium, id postulantem; ex eo praesertim, quod eorum nomina per contemnendum studium essent extorta; quod ex confecto per Curiam processu appareret.

Dubia.

I. «An constet de validitate Decreti a Regimine *(civili N.)* « edito anno 1806, ita ut sit locus reintegrationi *(Monachorum)* « in possessione Parochiae *(N.)* adnexorumque bonorum in casu ».

« Et quatenus negative.

II. « An sit consulendum SS.mo pro confirmatione Decreti « in casu ».

R**ESOLUTIO**. S. Congregatio Concilii re cognita die 19 Februarii 1870 respondere censuit: ad I. et II. *Negative in omnibus.*

EX QUIBUS COLLIG-ES:

L Frustra a S. Sede postulari tamquam gratiam id quod fuerit inconsulto obtentum ab auctoritate civili in re ecclesiastica.

II. Vix enim audiri a S. Sede meretur, qui, ss. canones violantes, apud incompetentem laicam auctoritatem ecclesiastica iura postulent, sibique vindicent.

III. Conventionem rerum ecclesiasticarum rite peractam non resolvi, si in eum casum postea inciderit aquo incepta non fuisset.

IV. Ea enim est natura iuridica transactionis, ut aequivaleat litv finitae et rei-iudicatae, quae pro veritate habetur : ideoque translato iurium dominio, quidquid postea contingat fsalvo gravi et patente errore) in damnum vel emolumentum vergat contrahentium.

V. In praesenti themate nullum ius pro Monachis militasse ad obtinendam iterum paroeciam per transactionem amissam: neque aequitatem, quum paroeciam non suis sumptibus ab antiquo tempore ipsi constituerint, sed ex gratia et concessione eandem possederint.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

NEAPOLITANA SEU PINNEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

NUNTII SULPRITII

ADOLESCENTIS E DIOECESI BINNEN.

Causam per suprema delineamenta referimus Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii ob eam praesertim rationem, quod per eum iam novum paratur virtutum exemplar, quod christiana iuventus imitari possit. Habuerunt fideles inclytam Virginem et Märtyrern Agnetem sub cuius patrocinio pleraque, praesertim iuventutis instituta, floruerunt, atque adhuc florent **(1):** angelicus postea Aloisius Gonzaga omnes ferme delectosque praesertim iuvenes

(1) Haec inter cetera praeclarissima scripsit initio saeculi XV pietate celebris Thomas a Kempis *ser m. 26* de Beata Agnete. « Ibi nunc gaudet « cum amabilissimo sponso suo et an- « gelis sanctis cum gloriosa Matre « Iesu et innumerabilibus virginum «turmis, *constituta in altioribus vir- « ginum choris* sequens Agnum quò- « cumque ierit.... Insuper hanc *prae- « rogativam* babere meruit in terris « ut felicissimi nominis sui memoria « perpetuis laudibus in Ecclesia reco- « latur et devotissime celebretur *et a « cunctis Christi fidelibus magnifice « honoraretur.* Hanc profecto magni « et sancti Doctores frequenter 'com- « mendant, excellenter laudant, pa- « tenter praedicant, et omnibus nobis «ad exemplum amandae castitatis « textum passionis eius recitant, atque « ad amandum Christum iuvenes et « virgines altis praeconiis exhortante tur. » Forte de nulla alia Virgine, post immaculatam Deiparam, Patres tum Latini tum Graeci tot tantisque laudibus loquuti sunt sicut de Beata Agnete, quae omnibus linguis omnique ritu in universa Ecclesia magnifice celebrata est, ut constat ex actis et documentis, quae eruditissime collegit et illustravit Praesul Ill.mus et R.mus Dominicus Bartolini, quaeque edidit anno 1858 typis S. C. de Propaganda Fide.

sub suo patrocinio est complexus; quem praeclare imitati sunt Stanislaus Kostka, ioannes Berchmans inter eos, quos Ecclesia ad altarium honores iam evexit. At vero Nuntius Sulpritius hoc singulare habet, quod quum pauperrimus, et a pueritia utroque fere parente orbatus, in fabri ferrarii officina duris addictus laboribus, dein saevi morbi doloribus cruciatus maximam habeat^ facile nimis neglectam, iuvenum christianorum partem, quibus vere imitandus proponi possit.

DELINEAMENTA VITAE. Nuntius Sulpritius natus est die 13 Aprilis 1817 in oppido vulgo *Pesco-Sansonesco* in dioecesi Pennensi quae in regionibus italicis Neapolitani Regni continetur. Parentes eius Dominicus Sulpritius et Rosa Luciani honesti moribus, conditione pauperes. Patre orbatus, matreque secundas nuptias ineunte, in avunculi Iosephi potestatem transiit, qui suae ferrariae officinae tenellum adolescentem addixit, cuius animum pietate imbuendum avia suscepit.

Religiosae curae apprime respondit Nuntius, qui ex tunc nihil gratius habuit, quam suas preces producere, piisque operibus sedulo vacare. A puerilibus ludis abstinens coaevorum societatem devitabat, quibus tamen tum comes erat, quum Sacratissimum Viaticum ad aegrotos deferretur. Solatium illi fuit sacros audire hymnos eosque canere, sacris adesse caeremoniis, ubi modestiae et pietatis exemplar lucebat: frequentissime in templo orabat: quum id nequiret, ad domi fores templum versus praestabat. Fidei veritates ediscendi cupidus in id maxime incubuit. Simplex moribus, ingenio castus, honestum minus quidpiam numquam egit, protulit. Obsequens in omnes, quos parentum loco habebat, eximiae praebuit reverentiae signa, obedientiam, quam patri matrique prontissime praestitit.

Operarii officinae, in qua supra vires laborabat, conviciis ac verberibus quoque insontem adolescentem affecerunt, a quibus neque ipsemet avunculus abstinuit. Ad haec accedebat vulnus quod in tibia contraxerat, quodque ob ossis cariem asperrimo eum afficiebat dolore. Ratione huius vulneris, quum sanari non posset, Neapolim tandem Nuntius missus est, ibique in Xenodochio S. Mariae a Populo nuncupato, ope et auctoritate nobilissimi viri equitis Felicis Vochinger receptus est. Nihil de suo vitae genere immutato, dum eximiae dicti viri benevolentiae respondebat, ad maiores evangelicae perfectionis gradus adscendik

Eius virtutum fama late diffusa complures spectatissimos homines ad eum accivit.

Interim morbus augebatur, et postremo anasarca superaddita moriturus decubuit. Viribus prorsus destitutus, nec vocem ullimode valens attollere, iacebat; at Sacro Viatico accedente,, illico e lecto surrexit, ac tam vehementi affectu advenientem Christum alloquutus est, quod adstantes omnes ad lacrimandum fuerint excitati. Ipse vero caelesti refectus pabulo, reliquisque christianae religionis adiumentis munitus, obdormivit in Domino die 5 Maii 1836.

Frequentia multa populi facta est ad cadaver invisendum, quod quatriduo inhumatum, lucentibus oculis, vultu rubore suffuso, ac flexile perstitit; quin et vena secta sanguine manavit; ac dein in ecclesiasticorum sepulcro reconditum est. Sanctitatis fama, qua Nuntius vivens praestabat, post obitum aucta, atque ad longinquas diffusa est regiones, quam et prodigia a Deo ad ipsius intercessionem patrata auxerunt magis.

De virtutibus Servi Dei.

DE HEROICA SERVI DEI FIDE. Potius percurrentes, quam legentes Summarium nonnulla de singulis eius virtutibus a testibus enarratis referimus. Ac de fide Servi Dei praeter validissima argumenta mediata, quae consistunt in eius ferventissima charitate in Deum, in Sanctos, in fideles omnes, in infideles ut ad fidem accederent; in eius iugi ac vehementissimo desiderio, ut omnes Deum diligerent, amarent; in summo studio ut omnes fidei mysteria edocerentur; in insueto fervore et laetitia, qua sacramenta suscipiebat, orabat, de rebus divinis avidissime colloquebatur et audiebat; in spiritu poenitentiae, quo delectabatur, in indulgentiis lucrandis, aliisque virtutibus quarum exercitium admirationem animique compunctionem in aliis excitabat, quae omnia tamquam fundamentum fidem firmissimam supponunt, testes haec explicitiora testimonia tradunt: testis VIII deposuit: « pluries eum audivi: *mallem mori, quam de uno fidei articulo « dubitare.* » Testis V enarravit: « Ego in eo animadverti fidem « omnino extraordinariam, adeo ut quando cum eo de rebus « divinis sermo erat eum viderem absortum et extra se; et quum « ab eo quadam vice rogassem, cur se tam intime affectum oste n-

« deret in his agendis audiendisque sermonibus, respondit: *quia « mihi videtur res Paradisi sentire, quae quidem mihi sunt semper « suaves, solatium mihi supra modum afferentes* ». Testi IV haec deposuit: « quum in meam scholam veniret, in qua multi eius « condiscipuli erant, ipse non solum Dei timorem ingerere stur « debat, sed aliquoties zeli plenus eos redarguebat dicens: *vos in « eum non creditis.* Id contingebat, quando Nuntius eos conspi- « ceret pueriliter indebiteque agere. » Et plura similia.

DE **HEROICA** SERVI DEI **SPE**. Item omissis argumentis mediatis, haec tantum explicitiora testimonia indicamus: testis I deposuit: « inter sermones de bonis aeternis vel de Sanctorum gestis saepe « suspirans inquiebat: *Deus meus, quando ad te veniam ut te « fruar? Quam pulcher est paradisus!* » Testis IL. « Eius spes « extraordinaria adeo viva erat, ut iugiter appareret ex eius di- « ctis et factis: ipse momentum cupiebat quo sese Iesu Christo « uniret quemadmodum ego ex eius ore audiebam. » Testis IV. « Saepe ad infirmos (Servus Dei) inquiebat: *tu in Deum non «speras, et quomodo vis obtinere bonum gratiae suae?-»* Testis IV. « Mihi alloquens inquiebat: *ego in paradiso sedere cupio prope «te . . . . firmiter teneo mihi Dominum parcere. »* Testis VIII. « A me interrogatus de eius salute respondebat: *In misericordiam « Dei confido. Quod Deus velit!* » Testis IX. « Inter acerbos do- « lores repetebat : *Quando veniet patria illa beata ! . . . Veniet « tempus quo haec omnia cessabunt. Veniet illa patria beata !... « Spem foveamus omnes simul futuros esse in paradiso ».*

DE **HEROICA** SERVI DEI **CHARITATE IN** DEUM. Nuntius noster charitate in Deum supra modum refulsit: in legendis de eius charitate testimoniis prope videres non iuvenem in terra degentem, sed gloria divina iam fruentem: neque cruciatus morbi persentire visus est. Et id non una alteraque vice sed iugiter. Eius autem amor excelluit quammaxime in Eucharistiae sacramento suscipiendo. Testis II haec inter cetera plurima deposuit: « Eius cogitatio semper in Deum erat intenta, quum non loque- « retur nisi de amore Dei, et quivis sermo semper in Deum fi- « niebat, et optabat cum aliis esse ut occasionem caperet lo- « quendi de Deo deque eius attributis, de rebus caelestibus; atque **« tanto** spiritus fervore de his loquebatur, ut corda quoque in- « cenderet eorum, qui cum eo loquerentur; quemadmodum et in « me contingebat. Et in rerum divinarum sermonibus eum ve-

•« luti in ecstasim videbam et extra se. » Testis VII. « In collo-
.« quiis de rebus spiritualibus mecum habitis saepe animadverti,
« Servum Dei in amorem divinum raptum; et nominatim recor-
« dorv quadam vice in actu sacramentalis confessionis me eum
« vidisse, eius vultu accenso, immobiliter permanere et absortum
« haec verba repetentem: *Deus meus! Deus meus!* atque adeo,
« ut ego tertia vice debuerim eum excire, ut in se reverteretur ».

Noctu identidem e lecto descendens, sub lecto latebat ad orandum hac etiam in re fere imitatus Aloisium Gonzaga quem devote colebat eius vitam perlegens atque gesta saepe commemorans. Inter ceteros haec testatus est idem testis VIII. « Cum
« ego misericordia motus ob dolorum eius acerbitatem, quos in
« pede tolerabat, eidem suggererem, ut a poenitentia abstineret,
« qua, nocte et praesertim hiemis tempore, e lecto descendebat,
« ut se sub lecto prosterneret ad orandum, tamen id facere et
« diutius prosequutus est. Quum tamen me videret, collacrimabat;
« mihi autem dicenti, cur fleret, respondebat: *Non volui mecon-*
« tiner e, non ex mea voluntate id feci, sed vis cui, resistere non
« poteram me coegit, ut diutius ibi manerem ». Idem testis prosequitur: « Servus Dei a peccato horrebat adeo, ut, si aliqua
« vice nocte, Daemonis suggestione, tentaretur, lucernam illico
« accenderet, si haberet, atque libros pios, ut mentem alio avo-
« caret, legebat, et si quando lumen non haberet, supra lectum
« sedens in contemplationem mentem elevabat; identidem plures
« horas, hieme rigente, ita sedens indusio tantum obtectus per-
« sistebat. Ego interdum eum reperiebam tremulo frigore quati,
« quem, quum causam mihi enarraret, leviter reprehendebam,
« ut se non ita cruciaret, praesertim ob morbum quo afficiebatur.
« Ipse autem non respondens flebat, et manibus iunctis caelum
«' aspiciebat, ut ego testi fui. Uno verbo tanta erat eius vigilan-
« tia ad evitandam tantum venialem culpam, ut paratus esset
« ad subeundum quemvis spiritualis exercitii laborem atque ad
« vigilias protrahendas per integras noctes cum precibus atque
« poenitentiis. » Testis IX. « Scio etiam, eum, quando ad sacram
« synaxim accederet, diu in templo permanere, et tam Servus
« Dei, quam frater meus, qui eum comitabatur, mihi dicebant,
« Nuntium saepe in sacra Hostia suscipienda deliquio affectum
« cecidisse ante altare. Quum autem domum veniret et a me ro-
« gatus cur tamdiu in templo moraretur, respondebat: *chare mi,*

« quid tibi dicere debeo ! Âd templum die festo accedere res est « pulchru, solatium magnum! » Testis XX. « Exclamabat semper: *« magnus christiani nominis Juros esse volo. Sanctus esse volo, « magnus Sanctus, atque illico Sanctus. »*

Ne longius quam par sit res nostra protrahatur, breviter dicam: quum Sacro adstaret vultu mirabiliter fulgebat, pietatem quammaximam in Deiparam ostendit, aegritudinis incommoda ob pietatis opera iugiter neglexit; in angelos devotissimus, in lectionem gestarum sanctorum, praesertim S. Aloisii Gonzagae, intentus: ad Dei amorem quotquot potuit excitavit; Deo uniri summopere concupivit.

DE HEROICA CHARITATE IN PROXIMUM. Pueros in fide erudiebat,, prout poterat" iuvabat pauperes et ipse pauper, in Xenodochio baculo defixo sub brachio sustentatus omnibus infirmis aderat, omnes ad fidem pietatemque christianam excitans, medicamenta suis manibus infirmis applicans ; suo modico cibo se privabat ut alios iuvaret, omnes dolentes recreare studebat. Testis XX haec inter cetera enarrat: « Quum Nuntius mea domo esset, au- « diens, Antonium febri fuisse correptum, contristatus est, atque « a Domino est adprecatus, ut febris ab Antonio in se transiret: « reapse Antonius liberatus est et ipse fuit febri correptus ». Testis XI. « Admirabilis fuit eius charitas in proximum: optabat, « ut omnes aeternam consequerentur salutem, atque mecum fre- « quenter inquiebat : *mi domine de nostra aeterna salute cogi- « temus et res mundi despiciamus, quia omnia cessant.* Pauper « quum esset, si quid haberet in sua facultate, in pauperes ero- « gabat animi dolore repetens: *possidere vellem, ut pauperibus « succurrerem* ». Testis VII. « Si quando Nuntius pauperi stipem « petenti nihil quod traderet haberet, dicebat: *non aliud nisi hoc « habeo,* et illico geneflexus *Pater, Ave, et Gloria* recitabat ».

A detractione abhorruit, detrahentes corripuit, iniuriosos sibi adamavit; quotidianis precibus defunctorum animis suffragatus est.

Post testimonia de virtutibus theologalibus, quae delibavimus, subsequuntur de more in processus Summario testimonia de virtutibus cardinalibus, quae quidem sunt praeclarissima; praesertim testimonia de eius castitate et singulari prorsus fortitudine in gravibus incommodis cruciatibusque patienter hilariterque tolerandis sive in officina ferraría sive in Xenodochio ob ossis cariem, quae cum eius morte cessavit.

Inde **subsequebantuT** non minus praeclara testimonia de donis supernaturalibus, quibus in vita Nuntius fuit ditatus; item de fama sanctitatis in vita, de eius pretioso obitu et concursu ad funus; de fama sanctitatis post obitum; dé plurimis miraculis post obitum eius intercessione patratis, quae a testibus firma persuasione enarrantur.

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES R. P. D. FIDEI PROMOTORIS. EX officio variae animadversiones ut moris est factae sunt, sed quae virtutes Servi Dei attingerent ad has facile revocantur. Animadvertit videlicet Promotor virtute humilitatis praeditum Servum Dei non fuisse: id ostendere curavit ex dictis testium qui referebant quasdam propositiones a Servo Dei prolatas quas Promotor tamquam humilitati oppositas obiiciebat. Videlicet, testis II enarravit, se a Nuntio haec sponte scivisse: « post sacram commu-« nionem, quum gratias Deo ageret quadam interna convulsione « affici, quae quidem convulsiones in eo gignerent delicias atque « spiritus dulcedines quas ipse enarrare non posset: » haec autem narrasse Nuntium *ore ridente.* Et idem testis haec Nuntii verba retulit sibi sponte prolata: « *Antoni, facta sacra commu-« nione in terram cecidi ante altare:* et mihi causam sciscitanti « respondebat: *Quis tibi dicere potest quae intime sentirem?* » Praeterea rogatus Nuntius a teste XX cur in lecto decumbens caput stragulo occultaret reposuit: « *Sine me tranquillum, namque « tali felicitate fruor, quae enarrari non potest.* » Testis XXI, qui tunc sacris ordinibus initiatus erat, sic deposuit: « memini, eius « extremis vitae momentis dum ego eum de paradiso alloquebar, « mihi respondit: *miror! quid scire tu potes de paradiso?* Et ego « haec verba sum interpretatus, quod ipse brevi esset in para-« disum demigraturus, ut iis omnibus frueretur quae ego ei sug-« gerebam. »

Animadvertit praeterea fidei Promotor, Nuntium nostrum destitutum fuisse virtutis charitate in proximum: quod ostendere studuit ex dictis testium referentium id quod a Nuntio ipso audiverant de eius avúnculo: referunt enim testes, Nuntium enarrasse quomodo in officina ferraría ab avúnculo aliisque fuerit habitus; videlicet, labori gravissimo se fuisse addictum quem

eius vires ferre no u possent, et ideo quia vires impares essent crudeliter ab avúnculo affectum: missum identidem fuisse noctu ad proxima oppida frigente hieme inter nives ad exigendam pecuniam nulla habita ratione timoris luporum: mortua eius avia, se, terram carpentem ratione cariei pedis, adactum fuisse ad petendam stipem, quamquam haec diceret ore ridente : item se percussum, eo n vicus affectum et reliqua similia.

E converso tum avunculus, tum nonnulli alii testes, haec negarunt, quamquam omnes faterentur, aliquo rigore cum nepote avunculum usum fuisse. Ex quibus testimoniis concludi videbatur Nuntium nostrum detractorem calumniatoremque fuisse vel saltem mendacem.

R**ESPONSIONES** O**RATORIS**. Orator, ut in tuto se collocaret, quamvis opus non esset, ante omnia recitavit normas, in primo hoc causae limite prae oculis habendas, quae in opere de *Canonia, sanet. I.* 2 c. 36 *n.* 15 traduntur: « obstaculum aptum ad « retardandam Signaturam Commissionis debere esse talis mo- « menti, ut uno oculorum coniectu deprehendatur superari non « posse in formali causae discussione; et sursus debere esse tale « ut assimiletur exceptioni peremptoriae, quae in civilibus « causis arcet ab introductione iudicii. »

Et in *I.* 2 c. 41 *n.* 4. « Si fama verae sanctitatis ex dictis « aliquorum testium sit plene comprobata, alii vero non desint « testes, qui nonnulla enarrent famae adversantia, vel qui te- « stentur, sanctitatis opinionem aut veri martyrii nequaquam vi- « guisse; animadvertenda erit causa dictorum, examinandae erunt « circumstantiae ut rectum pro fama vel contra famam sancti- « fatis iudicium ferri possit. »

His praemissis, utramque animadversionem copiose solvit atque ad nihilum redegit. Et sane quoad priorem animadversionem ostendit ex testibus testimoniisque in contrarium adductis nihil contra humilitatem posse desumi, si inspicerentur causa dictorum et circumstantiae, quae non aliud erant nisi *animi candor, simplicitas, fervens in Deum amor, roganti satisfaciendi officium.* Haec enim sunt verba testium: *humiliter respondebat — cum maxima animi simplicitate — a me rogatus ipse humiliter respondebat — et' eius vultus conspiciebatur in statu non naturali:* et alia praeclariora quae occasionem opportunam exhibebant Oratori sic concludendi: « Nonne allata huc usque loca

« totidem exhibent declarationes et argumenta vehementis cha-
« ritatis qua angelus ille, uti appellabant Nuntium, exardebat?
« Charitas ideo eius os movevat; et illud poterat ingeminare *da*
« amantem et sentit quod dico (S. Aug. Tract, 26 in Ioan.) ve-
« luti aliis Sanctis passim contigit, quos longo ordine possemus
« recensere. Unum adiungam, a nulla alia re adeo dissitam esse
« vanitatem, quam a themate horum sermonum Servi Dei, quo-
« niam erant de amore Dei, et omnia sunt vanitas praeter
« amare Deum. - Nec mireris, quia dulcedinem suam pauperi
Deus parare consuevit! Et de paradiso, Paulo teste, nulli hominum
datum cognoscere et explicare quae paravit Deus diligentibus se.

Sed quasi haec satis non fuissent, nonnulla recolebat Orator
testimonia de heroica Servi Dei humilitate. Sane testis I depo-
suit : « Semper eum novi uti iuvenem magnae humilitatis, qui
« omnium novissimum se habebat... Servus Dei numquam pro-
« tulit verbum in sua n laudem, nec unquam gloriatus est de
« virtutibus quas exercebat ; quod si ab aliis laudes ei tribue-
re rentur, sese humiliabat dicens : *omnia esse divinae misericor-*
« diae opera ».

Testis III. « Nunquam de se suisque bonis operibus glo-
« riatus est, quod ego in ipsj animadverti summa animi mei
« satisfactione... Eius humilitas talis erat ut maior in iuvene
« eius aetatis desiderari *non* posset ; i limo dicere possum eius
« humilitatem esse consummatam, et ideo heroica m ».

Testis IV. « Quando alii eum laudabant appellantes eum,
« Angelum Dei, ipse se humiliabat respondens : *ego sum pauper*
«peccator, atque omnia tribuebat divinae misericordiae ».

Testis XII. « Constanter occultabat atque omni studio etiam
« eleemosynas, continuas preces aliasque virtutes iuxta ea quae
« ego videbam et audiebam ».

Ad alteram animadversionem diluendam, quae prima fronte
alicuius momenti videtur, Orator sermonem convertit, atque ita
usque ad minima insectatus rem expendit, ut quaqueversus re-
fulserit et veritas dictorum Servi Dei, eius ingenuitas et sim-
plicitas, animusque a quavis detractione penitus alienus, et mar-
tyrium quod orphanus ille in officina ferraría toleravit ! Ne
omnia silentio praeterire videar haec delibabo.

Illi ipsi testes qui exhibent Nuntium narrantem, quae sub
avúnculo in officina toleraverit, haec verba adiungunt: *id ridens*

dicebat - cum simplicitate et lenitate - ratione fiduciae quam Nuntius in me habebat - non ad inutiles querimonias movendas - prompto humillimoque animo cum filiali confidentia - loquens mecum de huiusmodi factis ostendebat nihilominus in eum (avunculum) *obsequium et amoris affectum.* Iamvero obloquentis ac detrahëntis est adversum animum ostendere, querelas ciere ac moleste ferre acceptarum iniuriarum memoriam. Et in hoc proprie charitatis offensio invenitur; secus innocens habenda aerumnarum manifestatio, quae in ingenuo adolescente ideo facilis est, quia *pueri proximo velle malum nesciunt.* Inde Orator data notione detractionis ex S. Alphonso et S. Thoma, ostendit nullimode in praesenti themate locum habuisse detractionem, quum animus laedeñdi penitus deesset. Atque inde testium serie iterum ostendit quam alienus esset Nuntius a voluntate detrahendi; quum contra nihil diligentius studuerit quam aliorum defectus toleratas a se iniurias iugiter obtegere.

Praeterea observavit Orator, indolem asperam avunculi fuisse in eo oppido notoriam, quam omnes faterentur oppidani illi ; quod quidem detractionem iam excluderet. Et ad rem retulit verba testis XX, qui haec testatus est : « Ad confirmandam « patientiam Servi Dei in eius patria depono quod mihi scripsit « in epistola Pro-Rector Seminarii Theatensis die 27 Aprilis 1844 « in haec verba : Locutus sum (iniquit Pro-Rector) cum viro « probo et religiosissimo oppidi *Pesco-Sansonesco* atque eum sci- « scitatus sum de sancto iuvene, et mihi respondit : *licet esset « natalibus obscurus, tamen dum in patria erat reputabatur ut « exemplar patientiae et sanctae submissionis inter vexationes et « crudelitates eius qui eum custodiebat ».*

Quoad iactatum mendacium et calumniam, animadvertit Orator, eam argui ex testium discrepantia quae in inquisitionibus passim reperitur ; ideoque inspiciendum esse pro quo militet veritatis praesumptio. Porro in praesenti themate, praesumptionem veritatis pro Nuntio militare. Qui enim ad integrum vitae curriculum totus fuit in virtutum et christianae heroicitatis assecutionem, quique charitate plenus studiose cavit a minimis etiam, quae quomodocumque proximi nomen laederent, qui nec sub obtentu maximi boni minimum protulisset mendacium ; iis praeditas qualitatibus est, ut ei enarranti plena sit fides adhibenda. E converso qui contradicit, quamquam non omnino con-

tradixerit, erat avunculus, qui ad proprium dedecus manifestandum adigebatur, quique neque tenebatur seipsum prodere, neque «rat adigendus ad testimonium contra seipsum dicendum.

Hoc praesumptionis argumento praemisso, Orator seriem testium adduxit, qui ex propria et ex aliena scientia testati sunt -de verberibus, de maledictis, de alimenti defectu, seu generatim de saeva agendi ratione qua avunculus cum Nuntio se gesserat.

Sed consideratis perpensisque testimoniis, optime animadvertit Orator, nec discrepantiam reperiri : namque mirum non -est, esse identidem gravissimas vexationes adolescenti natura mitissimo ac debili, ea quae ineptiae forent viro qui usu et consuetudine duri laboris callescat. Talis autem erat avunculus .aliique testes, qui deposuerant, *aliquo rigore* avunculum cum Nuntio usum identidem fuisse : hic enim aliqualis rigor durissima erat vexatio et fere tyrannides Nuntio; de qua re satis nobis superque est testimonium testis XX, quod referre placet vernacula lingua : « *Per lucrarsi il pane fu consegnato ad un zio materno Domenico Luciani, di umore aspro e poco amabile, fabbro ferraio, da cui riceveva piuttosto maltrattamenti et ingiurie ; quali si multiplicavano per la malvagità dei garzoni di bottega, sicché tutti cospiravano a fare aspro governo dell'innocente giovinetto. In queste circostanze il Servo di Dio dette prova di sua pazienza e rassegnazione, ne mai si lagnava delle ingiurie che soffriva e delle scintille del fuoco che schizzavano in faccia e ai suoi piedi nel battersi il ferro arroventato ; essendo che veniva di continuo esposto a questo modo. Ciò lo conosco per la relazione del buon vecchio Galante già defunto* ». Senex autem hic, cui nomen Galante, erat conterraneus Nuntii, atque gravis aetate et fide dignus. Idem testis interrogatus an Nuntius mitteretur noctu per aspera loca ad exigendam pecuniam, haec confirmans subdidit : « *E tali cose mi furono pure narrate da diverse persone di Pesco-Sansonesco, e specialmente dal defunto Galante e dall'altro fu zio paterno del detto Nunzio a nome Francesco* ». Et de fa villis atque ignitis ferri fragmentis, quae super nudos Nuntii pedes cadebant, ait : « *Realmente si vedevano sui piedi e sulle gambe di lui le marche prodotte dalle schegge roventi di ferro, e dai carboni accesi caduti su di quelle, allorché in sua patria agitava il mantice di ferraio nella bottega del suo zio materno, ciocché gii cagionò la piaga ed indi la carie di òsso* ».

Dubium.

« An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu. et ad effectum de quo agitur ».

RESOLUTIO. Sacra Rituum Congregatio causa iuxta morem cognita die 9 Iulii 1859 respondere censuit : *signandam esse Commissionem, si SS.mo placuerit.*

Re autem SS.mo Patri relata die 14 eiusdem mensis sententiam confirmavit.

Hac emissa Resolutione emissoque Decreto,, datae sunt litterae quae *Remissoriales* appellantur E.mo Archiepiscopo Neapolitano ad conficiendum alterum parvumque processum, sententiamque ferenda n super cultu numquam .exhibito: edita autem sententia a Neapolitano Iudice confirmata est a S. RR. Congregatione emisso Decreto quod sequitur.

DECRETUM. « Instante R.mo D. Canonico Iacobo Arrighi Postulatore Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii praefati, E.mus et R.mus D. Cardinalis Cosimus Corsi, loco et vice E.mi et R.mi D. Cardinalis Aloisii **Buio** huius Causae Ponentis, sequens exposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis ». *An Sententia Iudicis ab E.mo, et R.mo D. Cardinali Archiepiscopo Neapolitano Subdelegati Super Cultu praedicto Ven. Servo Dei numquam exhibito seu super paritione .Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?* E.mi porro ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D, Petro Minetti. Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt *Affirmative,* seu *Sententiam esse confirmandam,* die 5 Martii 1870.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Substitutum Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis fideli relatione, Sanctitas Sua Re-

scriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est.

« Die 10 iisdem Mense et Anno ».

C. Episcopus Portuens. et S. Rufinae
CARD. PATRIZI, & *R. C. Praefectus*

Loco Signi

Dominicus Bartolini, *S. R. G. Secretarius*

Iosephus Ciccolini, *Substitut.*

EX QUIBUS COLLIGES :

I. In causis Servorum Dei primum S. Sedis iudicium quod de causa introducenda emittitur, quo in examen revocatur Processus Episcopali auctoritate constructus et praesertim fama Sanctitatis, obstacula quae forte oriri possint ne deinde causa procedat, adeo caute et accurate ferri, ut de hac re superflua fere videri posset causae prosequutio ad ceteros gradus.

II. Iudicium autem pro causae introductione latum, praeter titulum quo tamquam *venerabilis* servus Dei Ecclesiae proponitur, facultatem tantum tribuere Postulatoribus causae ut insistere possint ad causam prosequendam in reliquis iudiciorum gradibus auctoritate Sanctae Sedis faciendis.

III. Primum et immediatum gradum esse facultatem conficiendi alterum parvumque processum qui appellatur *de non cultu,* ut iudicium scilicet feratur, ven. Servum Dei celebratum publico ecclesiastico cultu non fuisse.

IV. Post huiusmodi iudicium ex cura et instantia Postulatoris causae S. Sedem procedere ad Beatificationis solemnis iudicium (1).

(f) Nuntius Sulpritius est ille, qui ut causa ad ulteriora procedat agere videtur: namque plura de eo narrantur prodigia, quae illis patravit, qui eius invocant opem et patrocinium; atque ita, ut iam promoveri causa posset apud S. Sedem pro ferendo de Beatificatione iudicio. Quod tamen in. praesentia deest, reducitur ad necessarios sumptus pro construendis Apostolicis Processibus et causa ventilanda in formali iudicio de eiusdem virtutum heroicitate, deque recognitione et confirmatione miraculorum a S. Sede facienda. Quoniam autem haec causa procedit ope oblationum Fidelium (nemo enim dives est cui curae sit huius causae prosequutio) eandem nostris Lectoribus vehementer commendamus. Qui autem oblationem aliquam conferre cupiat, vel oblationes promovere velit, vel etiam aliquam Ven. Servi Dei reliquiam optet, sese dirigat per epistolas ad *R.mum Canonicum Ioannem Ponzi, Romam, in Almo Collegio Capranica.*

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus Apostolica Visitatio facienda indicitur, ut Ordo Monachorum Armeniorum de Monte Libano a S. Antonio nuncupatus suis contineretur officiis.

Iam publice noscitur seditio cuiusdam eorum fidelium partis, qui Constantinopoli Armenium prosequuntur ritum, excitata contra legitimum Ciliciae Armenorum Patriarcham Constantinopoli residentem per solemnes Apostolicas Litteras « Reversurus » *et* « Commissum» *quas retulimus in* Vol. III, pag. 386 et 394, *praeter reliqua acta quae praecesserant,* ibidem pag. 337 et seqq. *Dedimus in antecedenti fasciculo* pag. 444 *Litteras Apostolicas* « Non sine gravissimo » *quibus Archiepiscopus Thyaneus Antonius Pluym Delegatus Apostolicus iussus est Constantinopolim illico pergere ad seditionem pro viribus compescendam.*

Sed operae pretium est reliquas Apostolicas Litteras Lectoribus nostris tradere, quae respiciunt Monachos Armenios a S. Antonio nuncupatos Romae quoque degentes, ut quomodo S. Sedes processerit videant. Namque impossibile est notitias certas haurire ex illis ephemeridibus quae paratae semper sunt ad referendos notitias quosvis, sive verae sint sive exaggeratae sive falsae, quaeque ephemerides, quum de impetenda ac quovis modo denigrando Apostolica Sede eiusdemque Auctoritate agitur, gestire videntur.

Itaque, orta seditione Constantinopoli adversus Patriarcham Antonium Petrum Hassun consentientibus immo foventibus quibusdam Clericis et Monachis, qui omnes quadraginta prope numerantur, mirum est inter futiles quosdam causas in medium allatas eam quoque allegari, quod Patriarcha S. Sedis dispositionibus, prout debuerat, obsequens esset, praesertim illis, quae in Bulla Reversurus *sunt constitutae. Constitit autem Armenios*

Monachos Antonianos Constantinopoli degentes immunes haud fuisse a seditione fovenda, qui frequentes diuturnasque quaestiones et querelas adversus constitutos Ciliciae Patriarchas iamdiu excitaverant ; quique in sui Ordinis constitutiones inconsulta Sancta Sede innovationes invexerant.

Haec omnia constituebant causam non solum aequissimam sed gravissimam, qua S. Sedes, si officio suo fungi débeat, cogeretur illum monasticum Ordinem auctoritate Apostolica visitare, ut iuxta ss. canones in officio Monachi illi continerentur. Quod quidem factum est per Apostolicas Litteras quae sequuntur.

Venerabili Fratri Antonio Iosepho Pluym Archiepiscopo Tyanen.

PIUS PP. IX

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Religiosas regularium Ordinum familias, quae Dominico agro tanto usui sunt atque ornamento, Romani Pontifices in deliciis semper habuerunt, adeoque de potiori hac dominici agri parte fuere solliciti, ut, vix noverint inimicum hominem clanculum superseminare zizania in medio tritici, et parvulas vulpes demoliri florentes palmites, curas omnes ad radicitus evellendum destruendumque quidquid uberrimos ac lectissimos iacti boni seminis fructus posset impedire, contulerint.

« Elapso saeculo regularis Monachorum Armeniorum S. Antonii Ordo in Libani iugis institutus est, ut sacras per Ciliciae Patriarchatum legationes obiret, et longe non modo a saecularibus sed et ab ecclesiasticis officiis ac dignitatibus disiunctus, totus in eo esset, idque unum spectaret atque intenderet. Attamen brevi gravissimae inter Antonianos Monachos et Ciliciae Patriarchas exortae sunt controversiae, quae plus minus ad haec novissima tempora efferbuerunt ; et haec inter eiusdem Ordinis paulatim immutatae sunt constitutiones, quas Congregatio Christiano nomini propagando praeposita, donec aliter de iisdem quidquam decerneretur, servari mandaverat; et paucis abhinc annis gravissi na in Antonianum Ordinem, inconsulta Sede Apo-

stolica, invecta est innovatio. Munus enim Abbatis Generalis, quod memorati Ordinis constitutiones in triennium definiebant, nulla implorata Sanctae Sedis venia, ad vitam prolatum est, eidemque muneri Antiochenae Ecclesiae regimen adiectum.

« Hoc titulo, Episcopali charactere et dignitate auctus fuit Venerabilis Frater Placidus Kasangian, quem supradicta Congregatio, improbato facto, sivit in eodem officio ex pontificia indulgentia, et ad nutum S. Sedis Apostolicae manere. Interea de Antoniani Ordinis statu apprime cognoscendo actum est, ideoque memoratus Abbas iussus fuit regulas et constitutiones actu vigentes exhibere, aliaque, quae novisse oporteret, accurate referre. Verum cum Constantinopoli tunc temporis celebranda esset Patriarchalis Arñienorum Synodus, in qua etiam de Monachis erat agendum, visum est, antequam quidquam sanciret ur, eiusdem Synodi exitum praestolari.

« Nuperrime autem gravia adversus legitimam Venerabilis Fratris Antonii Petri IX Patriarchae Ciliciae auctoritatem dissidia ac perturbationes a nonnullis Laicis, Clericis et Monachis Constantinopoli excitatae eo proruperunt, ut eiusdem Venerabilis Patriarchae iussa pro nihilo habita sint, commemoratio, quae in sancto Altaris Sacrificio, atque in divinis officiis fieri solet, intermissa, et Fratris Iosephi Arakial Episcopi Ancyrani, qui Apostolica Sede annuente, Vicariam praedicti Patriarchae potestatem Costantinopoli exercet, detrectata sit: illiusque mandata, quin et censurae ipsae contumaciter spretae, futili quadam specie provocationis seu appellationis ad S. Sedem obtenta, ut rebelles Antistitis illius correctionem effugerent; quibus ausibus non sine bonorum admiratione et scandalo haud pauci ex Antonianis Monachis consenserunt.

« Rebus ita se habentibus, Nos, ex Apostolico ministerio fidelium omnium incolumitati et bono, paternae caritatis affectu, advigilantes, hisce malis aliquod remedium afferendum existimavimus. Quare una cum VV. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus propagandae fidei et negotiis Orientalis Ritus praepositis, rebus omnibus maturo diligentique examine perpensis, Te, Venerabilis Frater, quem hoc ipso die per si niles Nostras Litteras Apostolicas ab Nicopolitana Ecclesia, praevia absolutione a vinculo quo dictae Ecclesiae tenebaris, de Apostolicae Potestatis Nostrae plenitudine facta, ad Archiepiscopalem Sedem Tyanen-

sem in partibus infidelium promovimus, universi Antoniani Armenorum Ordinis praedicti omniumque eiusdem Ordinis Monasteriorum atque Hospitiorum ubique existentium Visitatorem Apostolicum facimus, renuntiamus et constituimus; Tibique omnes et singulas facultates necessarias et opportunas ad huiusmodi munus explendum deferimus atque impertimus. Tibi praeterea, Venerabilis Frater, potestatem subdelegandi, si opus fuerit, ad hoc officium idoneas ac Tibi benevisas personas concedimus atque indulgemus.

« Ne vero huiusmodi Visitationi Apostolicae impedimento ulla ratione esse possit Abbatis Generalis auctoritas, de consilio etiam praefatorum VV. Fratrum Nostrorum, volumus et mandamus, ut Venerabilis Frater Placidus Kasangian, qui hactenus ex indulgentia et ad nutum S. Sedis, ut supra dictum est, munus hoc gessit, ab officio Abbatis Generalis praefati Ordinis discedat et cesset omnino.

« Praecipimus propterea in virtute sanctae obedientiae universis supradicti Ordinis Monachis, omnibusque et singulis ad quos spectat ac spectabit, ut Te in Apostolicum Visitatorem per Nos electum ex praesentium tenore recipiant et admittant, Tibique in omnibus, quae ad praefatum officium pertinent praesto sint et obediant, Tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris in rebelles sive statueris, ratam habebimus et faciemus, Apostolicae Auctoritatis Nostrae vi, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

«Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non eiusdem Monachorum Ordinis legibus, ceterisque quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

« Datum Romae apud S. Petrum die vigesima tertia Februarii anni 1870, Pontificatus Nostri vigesimo quarto ».

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Eiusmodi tamen Apostolica Visitatio tum Constantinopoli tum Romae a dictis Monachis utrobique existentibus repulsa est. Praesul enim Pluym Visitator Apostolicus subdelegaverat Romae ex speciali potestate R.mum P. Ignatium ab Infante Iesu ex Congrega-

tione quae a Passione Domini nomen accipit, virum undequaque commendabilem, qui, nulla praetermissa aequa urbanaque agendi ratione, institit, ut parva illa Monachorum manus, quae Romae degebat, Apostolicis mandatis faceret satis; sed frustra,

Tum SS.mus Pater, renunciationem ad hoc munus peragendum perficiendumque dicti P. Ignatii admittens, mandavit interim, ut tum Praesul Placidus Kasangian, qui ex indulgentia SS.mi et ad nutum S. Sedis munere Abbatis generalis adhuc fungebatur, quique Romae aderat ratione oecumenici Concilii; tum P. Seraphinus Hanemian Abbas religiosae domus Romae existentis, secederent in aliam religiosam domum, ibique propriae consulentes conscientiae spiritualibus exercitationibus vacarent. Ad decretam autem Visitationem faciendam alium per se delegare est dignatus SS.mus Pater novis Apostolicis Litteris quae sequuntur.

Ven. Fratri Antonio Mariae Episcopo Fabrianen. et Matilicen.

PIUS PP. IX.

VENERABILI FRATRI SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

« Apostolici ministerii ratio postulat, ut peculiarem curam Regularium Ordinum geramus; et solerter caveamus, ne a recto tramite deflectant; declinantes autem ad illum efficaciter revocemus. Ea de causa Apostolicis Nostris Litteris, quarum initium *Religiosas,* expeditis sub annulo Piscatoris die **XXIII** Februarii huiusce anni, quarum tenore u pro inserto praesentibus haberi volumus, Apostolicam Visitationem Antoniani Ordinis Monachorum Armeniorum ex certis causis ibidem expressis indiximus, et Ven. Fratrem Antonium Iosephum Pluym Archiepiscopum Tyanensem, Nostrum in Urbe Constantinopolitana Delegatum, iisdem litteris universi memorati Ordinis Apostolicum Visitatorem renuntiavimus et constituimus, facta etiam illi potestate alias personas sibi benevisas in partes huius officii subdelegandi. Et ne huiusmodi Visitationi impedimento ulla ratione esse posset Abbatis Generalis auctoritas, mandavimus, ut Ven. Frater Placidus Kasangian, qui hactenus ex indulgentia Nostra et ad nutum S. Sedis munus istud gesserat, ab officio Abbatis Generalis praefati Ordinis discederet et cessaret omnino.

« Equidem optandum fuisset, ut idem Ven. Frater Antonius Iosephus Apostolicam visitationem Romae auspicatus esset: verum gravissimae et numquam satis improbandae perturbationes, quibus Constantinopolitana Armeniorum Ecclesia iam inde divexabatur, suaserunt, ut illuc quantocius remearet, rei catholicae consulturus. Idcirco memoratae visitationi in hac alma Urbe peragendae, vices et facultates suas subdelegavi! dilecto filio P. Ignatio ab Infante Iesu Sacerdoti professo et Consultori Generali Congregationis, cui a SS.ma Cruce et Passione D. N. 1. C. titulus est. Qui quidem cum ex peculiaribus causis Nobis notis et probatis veniam petierit se abdicandi praedicto munere Visitatoris subdelegati, Nos eiusdem votis annuendum censuimus; ac propterea hanc eius renunciationem vi praesentium Litterarum admittimus et excipimus.

« Cum vero necessarium omnino sit, ut Apostolica visitatio praedicti Antoniani Armenii Ordinis Romae peragatur, eiusque necessitatis nova de die in diem argumenta suppetant, idcirco de consilio VV. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, Te praefato Ven. Fratri Antonio Iosepho in praedicto visitationis opere exequendo adsciscimus, et Convisitatorem constituimus, ut religiosam familiam, et domum cum continenti ecclesia praefati Ordinis Armeniorum Monachorum, quae est in hac alma Urbe Nostra, auctoritate Apostolica visites in spiritualibus ac temporalibus: eaque de causa facultates omnes necessarias et opportunas vi praesentium Litterarum Tibi concedimus et impertimus. Praecipimus autem, ut sicuti per praecedentes Litteras Nostras omnino cessavit ab officio Abbatis Generalis Ven. Frater Placidus; ita ex nunc cessent officia omnium qui in eadem domo sunt, quocumque nomine illa veniant: nullaque ibidem canonica existat auctoritas sive in spiritualibus sive in temporalibus, quae a Te non procedat. Porro integrum Tibi erit eiusdem domus gubernium et administrationem per te ipsum exercere; vel Regularem Superiorem ibidem constituere: quem iis tantummodo facultatibus et non aliis pollere decernimus, quas Tu illi concedendas existimaveris.

« Mandamus proinde in virtute sanctae obedientiae universis et singulis dicti Ordinis Monachis cuiuscumque gradus et dignitatis, etiamsi episcopalis vel archiepiscopalis, qui in praefata

religiosa domo versantur aut postea versari contingat, omnibusque et singulis ad quos spectat seu spectabit, ut Te in Apostolicum Convisitatorem per Nos electum ex praesentium tenore recipiant et admittant, Tibique in omnibus, quae ad praefatum officium pertinent praesto sint et obediant, Tuaque salubria monita et mandata reverenter suscipiant et efficaciter adimpleant. Quod si secus fieri contingat, volumus ut Tu Ven. Frater ea usus potestate, quam vi praesentium litterarum Tibi tribuimus, contra inobedientes ac rebelles cuiuscumque gradus ac dignitatis, etiam episcopalis vel archiepiscopalis existant, procedas prout de iure : Nos enim sententiam sive poenam quam in eosdem rite tuleris ratam habebimus, et faciemus usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.

« Haec volumus, praecipimus atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non praedicti Ordinis regulis, constitutionibus, statutis, decretis, conventis etiam iuramento firmatis, nec non privilegiis, consuetudinibus, ceterisque licet speciali mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

«Tandem volumus, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu dilecti filii Nostri Cardinalis Praefecti, nec non dilecti filii Secretarii Congregationis praedictae de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis subscriptis, eiusdemque Congregationis signo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

« Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die v Aprilis MDCCCLXX Pontificatus Nostri anno XXIV ».

N. Card. PARACCIANI-CLARELLI.

Ill.mus et E.mus Episcopus Valenziani omni cura ei sollicitudine urbanissimis omnibus modis studuit eisdem persuadere, Visitationem Apostolicam non alia de causa fieri, quam ut ipsi suis officiis facerent satis, regulas ac disciplinam sui monastici Instituti rite prosequerentur; non autem ad eos Ordinemque monasticum supprimendum : neque praetermisit eisdem commemorare peculiares rationes, cur, si cetera ecclesiastica Instituta eiusmodi

i

•*mandutis Apostolicis parere debeant, potiori titulo ipsi tenerentur. Sed haec omnia pariter in irritum cesserunt.*

SS.mi Patris iussum non fuit exsecutioni mandatum, quo Praesul Kasangian et P. Hanemian se recipere debuissent in aliam religiosam domum ubi spiritualibus exercitationibus ad tempus vacarent; neque alterum Apostolicae Visitationis, quaerentes potius Monachi auxilia ab eis, qui repulsioni eiusdem Apostolicae Visitationis faverent.

Eiusmodi ausus et repulsae meritae fuissent illico gravissimam jooenam ; et longanimitati S. Sedis tribuendum est, si ad eam deventum non fuerit. Illis itaque in sua contumacia permanentibus tres intimatae sunt monitiones successivis temporum intervallis, quae prorogata quoque sunt.

Sed his canonicis monitionibus frustra factis, Convisitator Apostolicus tandem sui muneris esse duxit ad canonicas poenas devenire tum eos tum religiosam domum et continentem ecclesiam interdicens, per Decretum quod sequitur.

DECRETUM

ANTONIUS MARIA *Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Fabrianen. et Matilicen. Convisitator Apostolicus Monachorum Armeniorum Ordinis Antoniani in Urbe etc.*

« Postquam SS.mus D. N. Pius div. prov. PP. IX Apostolicis Litteris, quarum initium est ***Apostolici Ministerii,*** expeditis sub annulo Piscatoris die quinta huius mensis, Nobis officium ac potestatem demandavit peragendi Apostolicam visitationem religiosae domus Monachorum Armeniorum Ordinis S. Antonii in hac alma Urbe existentis, haud omisimus eosdem Monachos invisere, eisque significare quae Nobis a SS.mo Domino Nostro commissa fuerant. Verum P. Seraphinus Hanemian, qui Superioris locum in praefata domo tenet, aliique nonnulli ex Monachis quos coram affari licuit, neque obsequentes Nobis aures praebuere, neque Apostolicam visitationem excipere voluerunt. Quamobrem missis ad eos Apostolicarum Litterarum exemplaribus, eosdem scripto rursus adhortati sumus, ut Apostolicis mandatis obtemperaren!; quod etiam in irritum cessit. Haec vero

etsi gravia ac permolesta fuerint, non tamen improvisa atque inopinata acciderunt. Siquidem iidem Monachi haud dissimili ratione paulo ante ohstiterant R.mo P. Ignatio ab Infante Iesu, eiusdem domus religiosae subdelegato Visitatori Apostolico. Quin etiam R. P. D. Placidus Kasangian Antiochenae Ecclesiae titulo consecratus, iam eiusdem Ordinis Abbas Generalis, nec non P. Seraphinus Hanemian supradictus, minime veriti sunt obsistere praecepto SS.mi D. N., qui eosdem ob non receptam Apostolicam praedictam visitationem in alias religiosas domos secedere iusserat, ut -spiritualibus exercitationibus ad mentem Sanctitatis Suae vacarent.

« Rebus ita_se habentibus sperare amplius non licebat eosdem Monachos paternis adhortationibus et uberiori indulgentia ad bonam frugem revocatum iri ; atque idcirco ad ecclesiasticas poenas et censuras dolenter quidem, sed necessario tamen procedendum erat. Verum ne illis tempus recogitandi ac resipiscendi ulla ratione deesset, eos nedum semel, verum iterum ac tertio, canonice iurisque ordine ac forma servatis, monere non praetermisimus, ut praefatis Apostolicis Litteris obedirent, Nobisque pure et simpliciter scripto significarent, se promptos esse atque paratos ad Apostolicam visitationem Nostram excipiendam.

« Ast iidem Monachi, dum Apostolicae Sedi reverentiam verbo tenus profitebantur, Nostris monitis atque Apostolicis mandatis contumaciter restiterunt, datisque litteris protestati sunt, se non posse iisdem acquiescere. Quae quidem miseranda rerum conditio necessitatem Nobis ingessit canonicas poenas infligendi. Proinde Auctoritate a SS.mo D. N. commissa utentes P. Seraphinum Hanemian Superioris locum in praedicta domo tenentem, iam Constantinopoli suspensum a divinis ac insuper irregulärem ibidem publice declaratum, omnesque et singulos Monachos ac religiosos viros Armenios Ordinis S. Antonii in praefata religiosa domo degentes cuiuscumque gradus existant, nec non ipsam religiosam domum et continentem Ecclesiam interdicto Ecclesiastico supponimus; cuius relaxationem SS.mo Romano Pontifici reservatam declaramus.

« Porro eosdem Monachos et religiosos viros etiam atque etiam adhortamur, et in Christo Iesu Domino Nostro enixe obsecramus, ut a via sua prava nunc tandem aliquando recedant, et debitam praestent Nostris immo verius Apostolicis mandatis

obedientiam. Quod si in sua contumacia ac rebellione perstiterint, noverint Nos ad ulteriora et ad graviores poenas processuros fore. Atque ita dicimus et pronunciamus, mandantes ut hoc Nostrum Decretum seu sententia iuridice intimetur ac notificetur.

« Datum Romae ex aedibus Nostris die 28 Aprilis 1870 ».

Loco v£ Sigilli

f ANTONIUS MARIA Episcopus Fabrianen. et Matilicen.
Convisitator Apostolicus.

« Romae die vigesima octava mensis Aprilis 1870.

« Praesentis autographi exemplum simile in Ven. Monasterio S. Antonii Armeniorum Urbis sito in via vulgo S. Offizio *num.* 1, *traditum fuit D. Angelo Ruit Ianitori, ibique aliud exemplum affixum et publicatum ad valvas dicti Ven. Monasterii ».*

Eugenius Nobili Tribunalis Vicariatus
Mandatarior. Decanus.

In omnibus hisce tractationibus nulla facta est coactiva repressionis comminatio, neque partem ullam habuit politica potestas, ne vigilantiae quidem. Unde tum P. Seraphinus Hanemian cum suis adolescentibus Monachis, tum postea Praesul Placidus Kasangian cum ceteris liberrime e Roma demigrare valuerunt. Immo Praesul Kasangian cum teneretur Synodo Vaticanae interesse, neque posset demigrare absque Apostolica venia, neglectis censuris quas Litterae Apostolicae, Multiplices inter, *die* 17 *Novembris* 1869 *comminata^ sunt & Synodo abscedentibus, abiit.*

Haec genuina rerum enarratio, quae quidem Romae satis est notoria, dum ostendit quam aeque S. Sedes processerit in causa de qua agimus, patefacit quoque earum ephemeridum animum, quo, semper facta depravantes, in Apostolicae Auctoritatis iniuriam eadem detorquent.

Ceterum, faxit Deus, ut Monachi illi, ceterique incepto schismati addicti, divina praeeunte et coadiuvante gratia, animi generositate in rectos redeant tramites! Attamen ipsa rerum successio in mentem facile revocat schisma illud quod in Hollandia contigit ineunte praeterito saeculo, quodque, adhuc perseverans, ex urbe qua orium est Ultraiectinum appellatur.

EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS

Ad R.mum Abbatem Solesmensem, qui SS.mo Patri librum polemicum obtulit, cui titulus: *De la monarchie Pontificale à propos du livre de Mons. VEvêque de Sura.*

Dilecto Filio Prospero Guéranger,
e Congregatione Benedictina Galliarum, Abbati Solesmensi

PIUS PP. IX

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Dolendum profecto est, dilecte fili, nonnullos esse inter catholicos, qui hoc nomine gloriantur, vitiatis penitus imbuti principiis, adeo praefracte istis adhaerent, ut, non modo plane subiicere nesciant intellectum adverso huius Sanctae Sedis iudicio, communi etiam Episcoporum assensu et commendatione roborato : sed imo censentes, societatis humanae progressum et felicitatem illis omnino niti, Ecclesiam inclinare conentur ad sententiam suam, seque solum sapere arbitrati, reliquam omnem catbolicorum familiam aliter sentientem *ultramontanae partis* nomine designare non erubescant.

«Quam quidem insaniam eo compellunt,*ut divinam ipsam Ecclesiae constitutionem refingere aggrediantur et exigere ad recentiores civilis regiminis modos ; quo supremi Rectoris et a Christo praepositi facilius déprimant auctoritatem, cuius praerogativas expavescunt. Quamobrem perniciosas quasdam doctrinas saepius improbatas audacter in medium proferunt, uti indubias aut saltem plane liberas; corradunt e veteribus earum propugnatoribus captiunculas historicas, mutila scriptorum testimonia, calumnias Romanis Pontificibus affictas, sophismata quaevis, eaque omnia sepositis omnino solidis argumentis quibus centies explosa sunt, impudentissime regerunt; eo spectantes, ut animos commoveant, suaeque factionis homines et imperitorum vulgus adversus communem ceterorum sententiam incitent.

« Quo sane incepto, praeter damnum invectae perturbationis fidelium, et detractarum ad trivia gravissimarum quaestionum, insipientiam audaciae parem deplorare cogimur. Nam, si firmiter cum ceteris catholicis tenerent, oecumenicam synodum a Spiritu sancto regi, soloque eius afflatu definire ac proponere quae credenda sunt, numquam in animum inducerent, vel ea definiri posse, uti de fide, quae revelata revera non sunt, aut obsint Ecclesiae; vel humanas artes impedimento esse posse Spiritus sancti virtuti, quominus ea, quae revelata sunt et Ecclesiae utilia definiantur. Vetitum certe non ducerent, ea qua decet ratione, proponi Patribus difficultates, quas huic aut illi definitioni obstare arbitrantur, ut lucidior e disceptatione veritas emergeret ; at uno huius acti studio, prorsus abstinerent ab artibus quibus captari solent in comitiis populi suffragia, tranquilli que et reverentes expectarent supernae illustrationis effectum.

« Utilissimam igitur operam Ecclesiae te impendisse censuimus, qui praecipua ex eiusmodi scriptis refellenda suscepisti, eorumque simultatem, violentiam et artes, ea soliditate demonstrasti, eo nitore, ea sacrae archaeologiae scientiaeque copia, ut plurima paucis complexus, praestigium omne sapientiae abiudicaveris iis, qui sententias involvebant sermonibus imperitis ; restitutaque veritate fidei, iuris, et historiae, cuius indoctisque fidelibus consumeris. Pergratum itaque tibi ob oblatum volumen profitemur animum; exitumque faustum et amplissimum ominamur lucubrationi tuae. Eius vero auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimus.

« Datum Romae apud S. Petrum, die 12 Martii 1870, Pontificatus Nostri Anno XXIV ».

PIUS PP. IX.

CATALOGUS HIERARCHICUS

OMNIUM CATHOLICAE ECCLESIAE PRAESULUM

IUS INTERVENIENDI CONCILIO HABENTIUM

QUI

VEL SUNT IN SUIS SEDIBUS, VEL ROMAE DEGUNT

OECUMENICI VATICANI CONCILII CAUSA (*)

Mense Maio lS^**O**

(per asteriscum * indicantur qui Roma absunt)

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

S. E. R. CARDINALES

ORDINIS EPISCOPORUM

Marius Mattei, Episcopus Ostiensis et Veliternus, *Sacri Collegii Decanus.*
Constantinus Patrizi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae.
Aloisius Amat, Episcopus Praenestinus, S. E. R. Vice-Cancell.
Nicolaus Paracciani Clarelli, Episcopus Tusculanus.
Camillus Di Pietro, Episcopus Albanensis.
Iosephus Milesi-Pironi-Ferretti, Episcopus Sabinensis, Abbas Commendatarius perpetuus et Ordinarius SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

(*) Hactenus non dedimus Lectoribus nostris Ecclesiae Praesulum catalogum; quia omnes catalogi, qui prodierunt a plerisque erroribus non erant immunes: quem modo damus est piae ceteris accuratior. Enumerat omnes Praesules, qui Romae praesentes sunt, causa oecumenici Concilii; et reliquos omnes nunc viventes, qui sunt in suis sedibus, sive quia ex canonicis causis Romam non convenerunt, sive quia in proprias sedes redierunt venia a Concilio obtenta et a Romano Pontifice confirmata. Sunt autem dispositi iuxta ordinem dignitatis et promotionis.

ORDINIS PRESBYTERORUM

Philippus De Angelis, Tituli S. Laurentii in Lucina, Archiepiscopus Firmanus, S. E. R. Camerarius.
Aloisius Vannicelli-Casoni, tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Ferrariensis.
Fridericus Schwarzenberg, tit. S. Augustini, Archiepiscopus Pragensis.
Cosmas Corsi, tit. SS. Ioannis et Pauli ad Clivum Scauri, Archiepiscopus Pisanus.
Fabius Maria Asquiui, tit. S. Stephani in monte Coelio.
Dominicus Carafa Di Traetto, tit. S. Mariae Angelorum, Archiepiscopus Beneventanus.
Xystus Riario-Sforza, tit. S. Sabinae, Archiepiscopus Neapolitanus.
Iacobus Maria Mathieu, tit. S. Silvestri in Capite, Archiepiscopus Bisuntinus.
Franciscus Donnet, tit. S. Mariae in Via, Archiepiscopus Burdigalensis.
Carolus Aloisius Monchini, tit. S. Onuphrii, Episcopus Aesinus.
Ioachimus Pecci, tit. S. Chrysogoni, Episcopus Perusinus.
Iosephus Othmarus Rauscher, tit. S. Mariae de Victoria, Archiepiscopus Vindobonensis.
Alexander Barnabò, tit. S. Susannae.
* Cyrillus De Alameda y Brea, Archiepiscopus Toletanus.
Antonius Benedictus Antonucci, tit. SS. Silvestri et Martini ad montes, Episcopus Anconitanus et Humanensis.
Henricus Orfei, tit. S. Balbinae, Archiepiscopus Ravennatensis.
Petrus De Silvestri, tit. S. Marci.
* Alexius Billiet, tit. SS. Bonifacii et Alexii in monte Aventino, Archiepiscopus Camberiensis.
Carolus Sacconi, tit. S. Mariae de Populo.
* Michael Garcia Cuesta, tit. S. Priscae, Archiepiscopus Compostellanus.
Angelus Quaglia, tit. SS. Andreae et Gregorii in monte Goelio.
Antonius Maria Panebianco, tit. SS. XII. Apostolorum, Maior Poenitentiarius.
Iosephus Aloisius Trevisanato, tit. SS. Nerei et Achillei, Patriarcha Venetiarum.
Antoninus De Luca, tit. SS. Quatuor Coronatomi!!.

Iosephus Andreas Bizzarri, tit. S. Hieronymi Illyricorum.
Ludo vicus de La Lastra y Cuesta, tit. S. Petri ad Vincula, Archiepiscopus Hispalensis.
Ioannes Baptista Pitra, tit. S. Callixti.
Philippus Maria Guidi, tit. S. Xysti, Archiepiscopus Bononiensis.
Henricus Maria De Bonnechose, tit.. S. Clementis, Archiepiscopus Rothomagensis.
Paulus Cullen, tit. S. Petri in Monte Aureo, Archiepiscopus Dublinensis.
Gustavus D'Hohenlohe, tit. S. Mariae in Transpontina.
Aloisius Bilio, tit. S. Laurentii in Panisperna.
Lucianus Bonaparte, tit. S. Pudentianae.
Innocentius Ferrieri, tit. S. Caeciliae.
Laurentius Barili, tit. S Agnetis extra moenia.
Iosephus Bsrardi, tit. SS. Marcellini et Petri.
Ioannes Ignatius Moreno, tit. S. Marias a Pace, Archiepiscopus Vallisoletanus.
Raphael Monaco La Valletta, tit. S. Crucis in Sessorio.

ORDINIS DIACONORUM

Iacobus Antonelli, Diaconus S. Mariae in Via Lata.
Prosper Caterini, Diaconus S. Mariae Scalaris.
Gaspar Grassellini, Diaconus S. Mariae ad Martyres.
Theodulphus Mertel, Diaconus S. Eustachii.
Dominicus Consolini, Diaconus S. Mariae in Domnica.
Eduardus Borromeo, Diaconus SS. Viti et Modesti.
Hannibal Capalti, Diaconus S. Mariae in Aquiro.

REVERENDISSIMI DD. PATRIARCHAE

Rogerius Antici-Mattei, Constantinopolitanus.
Paulus Ballerini, Alexandrinus.
* Paulus Mashad, Antiochenus, rit. maronit. 23 Martii 1855.
Gregorius lussef, Antiochenus, rit. graec. Melchit. 27 Martii 1865,
Ignatius Harcus, Antiochenus, rit. syriae. 6 Augusti 1866.
Paulus Brunoni, Antiochenus, rit. latin. 25 Iunii 1869.
loseph Valerga, Hierosolymitanus.
Ioseph Audu, Babilonensis, rit. chaldaic.

Thomas Iglesias y Barcones, Indiarum Occidentalium.
Antonius Hassun, Giliciensis, rit. armen.
Clemens Bahus, *iam* Antiochenus, rit. graec. melchit.

REVERENDISSIMI DD. PRIMATES

1 Maximilianus De Tarnoczy Archiepiscopus Salisburgensis, promotus 17 Februarii 1851.
2 Carolus Pooten Archiep. Antibarensis et Scodrensis, promotus 31 Augusti 1855.
3 * Ioseph Da Moura Archiep. Bracharensis, promotus 16 Iunii 1856.
4 Antonius Salomone Archiep. Salernitanus, Administrat, perpet. Eccl. Acernensis, promotus 21 Decembris 1857.
5 Emmanuel Da Silveira Archiep. S. Salvatoris in Brasilia, promotus 18 Martii 1861.
6 Miecislaus Ledochowski Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis, promotus 30 Septembris 1861.
7 Franciscus Fleix y Solans Archiep. Terraconensis, promotus 22 Septembris 1864.
8 Ioannes Simor Archiep. Strigoniensis, promotus 22 Februarii 1867.
9 Victor Dechamps Archiep. Mechliniensis, promotus 20 Decembris 1867.
10 Daniel Mae Gettigan Archiep. Armacanus, promotus 11 Martii 1870.

REVERENDISSIMI DD. ARCHIEPISCOPI

11 * Paulus Musa Tripolitanus, rit. maron. promotus **2** Martii 1826.
12 * Carolus Mercy d'Argenteau Tyrensis *in part. infid.,* promotus 2 Octobris 1826.
13 Laurentius Pontillo Cusentinus, promotus 20 Ian. 1834.
14 * Vincentius Grande Hydruntinus, promotus eodem.
15 Ioannes Mac Hale Tuamensis, promotus 5 Aug. 1834.
16 * Petrus Bonamie Chalcedonensis *in part. infid.,* promotus 13 Febr. 1835.
17 * Laurentius Trioche Babilonensis, prom. 14 Martii 1837.

18 * Iacobus Eliani Damascenus, rit. syriae, promotus eodem.
19 * Emmanuel Staravero Drabischensis *in part. infid.* rit. graee. promotus 21 Nov. 1840.
W Tobias Aún Berytensis, rit. maronit. promot. 19 Mar. 1841.
21 * Godefridus Saint-Marc Rhedonensis, promot. 12 Iulii 1841.
^2 * Dominicus Cilufto Adanensis *in part. infid.* promot, 27 Ianuarii 1842.
23 * Ioannes Polding Sidneyensis, promot. 15 Febr. 1841.
^4 Ignatius Kalybgian Amasenus Archiep. Epis. rit. armen, promotus 31 Iulii 1842.
^5 Petrus Apelian Marascensis Archiep. Episc. rit. armen, promotus eodem.
26 Iosephus Giagia Cyprensis rit. maronit. promotus &6 Decembris 1843.
^7 * Mellonus Iolly *iam* Senonensis promotus 25 Ian. 1844.
28 Petrus Cilento Rossanensis, promotus 22 Iulii 1844.
^9 * Ludovicus Martini Cyrensis *in part. inf.* promotus 25 Septembris 1845.
30 Alexander Asinari Di Sanmarzano Ephesinus *in part. infid.*, promotus 19 Ian. 1846.
31 Alexander Angeloni Urbinatensis, prom. 16 Aprilis 1846.
32 Franciscus Blanchet Oregonopolitanus, prom. 24 Iulii 1846.
33 * Georgius Hurmuz Siuniensis *in part. infid,* rit. armen., promotus 23 Augusti 1846.
34 Felicissimus Salvini Camerinensis, Administr. perpet. Eccl. Treiensis, promotus 12 Aprilis 1847.
35 Petrus Kenrick S. Ludovici, promotus 12 Iulii 1847.
36 Eduardus Hurmuz Siracensis *in part. infid.* rit. armen., promotus 13 Septembris 1847.
37 Raphael Valdivieso S. Iacobi de Chile, promot. 4 Oct. 1847.
38 Raphael D'Ambrosio Dyrrachiensis, prom. 17 Dec. 1847.
39 * Andreas Charvaz *iam* Ianuensis, prom. 3 Iulii 1848.
40 Augustinus Georgius Barshino Salmasiensis, rit. chald., promotus 11 Iulii 1848.
41 Ioseph De Bianchi Dottula Tranensis, Nazarenus, et Barulensis, Administr. perpet. Eccl. Vigiliensis, promot. 22 Decembris 1848.
42 * Gregorius Ata Emesenus et Apamensis rit. graec. melchit. promot. 20 Febr. 1849.

43 Iulius Arrigoni Lucanus, pro mot. 5 Nov. 1849.
44 Gregorius De Luca Compsanus, Administr. perpet. Eccl. Gampaniensis, 20 Maii 1850.
45 Ioseph Rotundo Tarentinus, promot. eodem.
46 Antonius daret y Clara Traianopolitanus *in part. infid.* promot. eodem.
47 Iacobus Bahtiarian Amidensis Archiep. Ep. rit. armen, pro motus 2 Iunii 1850.
48 Ioannes Hagian Caesareensis in Cappadocia Archiep. Ep. rit. armen, promot. eodem.
49 Ioannes Baptista Purcell Cincinnatensis, promot. 18 Iulii 1850.
50 Renatus Régnier Cameracensis, promot. 30 Sept. 1850.
51 * Adalbertus Bartakovics Agriensis, prömot. eodem.
52 Beniaminus Eusebidès Dimitrio Neapoleosensis rit. graec. promot. 18 Augusti 1851.
53 Ioseph Matar Aleppensis rit. maronit. promot. 28 Septembris 1851.
54 Silvester Guevara S. Iacobi de Benezuela, promot. 27 Septembris 1852.
55 Ioannes Zwysen *iam* Ultraiectensis, nunc Episc. Buscoducensis, promot. 4 Martii 1853.
56 * Dominicus De Sousa Magalhaes Mitylinensis *in part. infid.* promot. 7 Martii 1853.
57 * Ioannes Naselli Panormitanus, promot. 27 Iunii 1853.
58 Fridericus De Furstenberg Olomucensis, promot. eodem.
59 Ioseph Sadoc Alemany S. Francisci, promotus 29 Iulii 1853.
60 * Hieronymus Simeon Kashat Sehananensis, rit. chald. promotus 7 Septembris 1853.
61 Philippus Cammarota Caietanus, promot. 23 Iunii 1854.
62 Vincentius Taglialatela Sypontinus, Administr. perpet. Eccl. Vestanae, promotus eodem.
63 Ioannes Tamraz Kerkukensis, rit. chald. promot. 14 Septembris 1854.
64 Vincentius Tizzani Nisibenus *in par. infid.* promot. 23 Martii 1855.
65 Franciscus Xaverius Apuzzo Surrentinus, promot. eodem.
66 Caietanus Rossini *iam* Acheruntinus et Matheranensis, *nunc* Ep. Melphitensis, Iuvenacensis et Terlitiensis, promotus eodem.

67 * Andreas Gollmayr Goritiensis et Gradiscanus, promotus eodem.
68 Petrus Viilanova Cestellacci Petrensis *in part. infid.* promot. 26 Martii 1855!
69 Vincentius Spaccapietra Smirnensis, promot. 18 fApr. 1855.
70 Georgius Errington Trapezuntinus *in part. infid.* promotus 28 Maii 1855.
71 Franciscus Cugini Mutinensis, Abbas *nullius* Nonantolensis, promot. 28 Septembris 1855.
72 Marianus Ricciardi Reginensis, promot. eodem.
73 * Iacobus Bosagi Caesareensis in Palestina *in part. infid.* rit. armen., promot. 4 Novembris 1855.
74 * Ioseph Marid Arcensis *in part. infid.* rit. maronit promot. eodem.
75 * Raphael Ferrigno Brundusinus, Administ. perpet. Eccl. Ostunensis, promot. 16 Iunii 1856.
76 Gregorius De Scherr Monacensis et Frisingensis, promot. 19 Iunii 1856.
77 Salvator Nobili Vitelleschi *iam* Seleuciensis *in part. infid., nunc* Ep. Auximan. et Cingulan. promot. eodem.
78 Alexander Franchi Thessalonicensis *in part. infid.* promot. eodem.
79 * Flavias Chigi Myrensis *in part. infid.* promot. eodem.
80 Aloisius De Marinis Theatinus, Administr. perpet. Eccl. Vastensis, promotus 18 Sept. 1856.
81 Petrus Bostani Tyrensis et Sydoniensis rit. maronit. promotus 28 Septembris 1856.
82 Ioseph Guibert Turonensis, promotus 19 Martii 1857.
83 * Georgius Chalendon Aquensis, promotus eodem.
84 * Petrus Mashad Apamensis *in part. infid.* rit. maronit. promotus eodem.
85 Patritius Leahy Casseliensis, Administr. perpet. Eccles. Emiliensis, 13 Maii 1857.
86 Marinus Marini *iam* Palmyrensis *in part. infid., nunc* Ep. Urbevetanus, promotus 16 Iunii 1857.
87 Gregorius Szymonowicz Leopoliensis, rit. arm. pr. 5 Iul. 1857.,
88 Ioachim Limberti Florentinus pr. 3 Augusti 1857.
89 Augustinus Pace-Forno Rhodiensis *in part. infid.* Ep. Melitensis prom. 4 Decem. 1857.

90 * Marianus Falcinelli-Antoniacci Athenarum *in part. infid.* proni. 21 Decem. 1857.
91 * Antonius De Simone Heracleensis *in par. inf.* promotus 18 Martii 1858.
92 Philippus Gallo Patracensis *in part. inf.* prom. eodem.
93 Petrus Giannelli Sardianus *in part. inf.* prom. 6 Iunii 1858.
94 Franciscus Pedicini Barensis, prom. 27 Sept. 1858.
95 Michael De Deinlein Bambergensis, prom. eodem.
96 Petrus Michael Bartatar Serthensis, rit. chald. pr. 14 Nov. 1858.
97 Emmanuel Garcia Gil Gaesaraugustanus, pr. 23 Dec. 1858.
98 Thomas Connolly Halifaxiensis, prom. 15 Aprilis 1859.
99 * Arsenius Avak-Wartan Hangiarakian Tarsensis *in par. inf.* rit. armen, prom. 15 Augusti 1859.
100 * Ioseph Goyeneche y Barreda Limanus, pr. 26 Sept. 1859.
101 Iulianus Desprez Tolosanus, prom. 26 Sept. 1859.
102 * Ignatius Hakkaui Haurananensis, ritus graec. melch. pr. 21 Nov. 1859.
103 Franciscus Wierzchleyski Leopoliensis, pr. 23 Martii 1860,
104 Spiridion Maddalena Gorcyrensis, pr. 13 Iulii 1860.
105 Georgius Ebedjesus Khayatt Amadiensis rit. chald. prom. 23 Sept. 1860.
106 Gregorius Balitian Aleppensis, Arch. Ep. rit. armen, prom. , 2 Febr. 1861.
107 * Ioannes Maria Odin Novae Aureliae, pr. 15 Febr. 1861.
108 Marianus Barrio y Fernandez Valentinus, 18 Martii 1861.
109 * Franciscus Delamare Auxitanus, prom. eodem.
110 * Ioannes D'Amorin Pessoa Goanus, prom. 22 Martii 1861.
111 Leo Korckoruni Militensis Archiep. Ep. rit. armen, prom. 7 Aprilis 1861.
112 * Ioseph Riofrio *iam* Quitensis, Administ. Apost. Eccl. Loianae prom. 22 Iulii 1861.
113 Carolus De La Tour D'Auvergne-Lauraguais Bituricensis, prom. eodem.
114 * Ioannes Hagg Heli >politanus, rit. mar. pr. 10 Aug. 1861.
115 Gregorius Martinoz De Manila, prom. 23 Dec. 1861.
116 Petrus Puch y Solona De Plata, prom. eodem.
117 * Sigismuudus Filinski Varsaviensis, pr. 6 Ian. 1862.
118 Cyrillus Behnam Benni Mausiliensis, rit. syriae, pr. 9 Martii 1862.

119 Benvenutus Monzón y Martins Granatensis, pr. 7 Ap. 1862.
120 Petrus Doimus Maupas Iadrensis, pr. 21 Maii 1862.
121 Dionysius Georgius Seelhot Aleppensis, rit. syriae, prom. 25 Maii 1862.
122 Athanasius Ciarchi Babilonensis, rit. syriae, prom. 30 Septentr. 1862.
123 Georgius Darboy Parisiensis prom. 16 Martii 1863.
124 Pelagius De Lavastida y Davalos Mexicanus,, pr. 19 Martii 1863.
125 * Paulus Hate **m** Aleppensis, rit. graec. melchit. pr. 27 Septemb. 1863.
126 Andreas Casasola Utinensis pr. 28 Septemb. 1863.
127 Ludovicus Dubreil Avenionensis pr. 21 Dec. 1863.
128 * Ioachim Gonin Portus Hispaniae, pr. eodem.
129 Melchior Nasarian Mardensis, rit. armen, pr. 30 Dec. 1863.
130 Laurentius Bergeretti Naxiansis, pr. 24 Martii 1864.
131 Martinus Ioannes Spalding Baltimorensis, pr. 3 April. 1864.
132 Ioannes Mac Gloshey Neo-Eboracensis, pr. 6 Maii 1864.
133 * Darius Bucciarelli Scopiensis, pr. 6 Iunii 1864.
134 Placidus Gasangian Antiochenus, Archiep. Ep. rit. armen. prom. 14 Sept. 1864.
135 Ludovicus Haynald Colocensis et Bacsiensis pr. eodem.
136 * Petrus Meglia Damascenus, *in part. inf.* pr. eodem.
137 Basilius Gasparian Gyprensis, *in part. inf.* rit. armen, pr. 21 Nov. 1864.
138 Marianus Escalada De Buenos Ayres, pr. 4 Martii 1865.
139 * Ioseph Sembratowicz Nazianzenus *in part. inf.* rit. ruthen. Admin. Apost. Eccles. Premisliensis, Sanachiensis, et Samboriensis ruthenor. pr. 24 Martii 1865.
140 Ioannes Lyonnet Albiensis pr. 27 Martii 1865.
141 Henricus Manning Westmonasteriensis pr. 30 Ap. 1865.
142 Paulus Melchers Coloniensis, pr. 8 Ianuarii 1866.
143 * Aloisius Oreglia a S. Stephano Damiatensis *in part. inf.* pr. 4 Maii 1866.
144 * Nicolaus Castells Martianopolitanus *in part. inf.* pr. 19 Iunii 1866.
145 Franciscus Xaverius De Merode Melitensis *in part. inf.* pr. 22 Iunii 1866.

146 Antonius Rossi Vaccari Golossensis *in part. inf.* pr. 25 Iunii 1866.
147 Aloisius Ciurcia Irenopolitanus *in part. inf.* pr. 27 Iulii 1866.
148 Gualterius Steins Bostrensis *in part. inf.* pr. 11 Ian. 1867.
149 Alexander Riccardi di Netro Taurinensis, pr. 22 Febr. 1867.
150 Aloisius Natoli Messanensis, pr. eodem.
151 Ioseph Dusmet Catanensis, pr. eodem.
152 Ioseph Cardoni Edessenus *in part. inf.* pr. eodem,
153 Aloisius Nazari Di Calabiana Mediolanensis prom. 27 Martii 1867.
154 Ioannes Landriot Rhemensis, pr. eodem.
155 Carolus Allemand Lavigerie Algerianus pr. 27 Martii 1867.
156 Athanasius Kauam Tyrensis, rit. graec. melch. prom. 14 Aprilis 1867.
157 Aloisius Puecher Passavalli Iconiensis *in part. inf r.* prom. 17 Maii 1867.
158 Victor Bernardou Senonensis, Ep. Antissiodorensis, prom. 12 Iulii 1867.
159 * Franciscus Baillargeon Quebecensis, pr. 20 Aug. 1867.
160 Anastasius Rodrigo Yusto Burgensis pr. 20 Sept. 1867.
161 Bernardus Pinol y Aycinena De Guatimala, pr. eodem.
162 * Vincentius Arbelaes S. **Fidei** Neogranatensis, pr. 6 Februarii 1868.
163 Andreas Schaepman Ultraiectensis, pr. 13 Martii 1868.
164 Ioseph Checa Quitensis pr. 16 Mart.. 1868.
165 * Iacobus Cattani Ancyranus *in part. inf.* pr. eodem.
166 Petrus Loza De Guadalazara, pr. 22 Iuni 1868.
167 Stephanus Stephanopoli Philippensis *in part. inf,* rit. graec. pr. 18 Sept. 1868.
168 Carolus Eyre Anazarbensis *in part. inf.* pr. 3 Dec. 1868.
169 Ioannes Vanesa Fogarasiensis et Albae Iuliensis, rit. rum. pr. 21 Decembris 1868.
170 * Ignatius Arciga Mecoacanensis, pr. eodem.
171 Ioseph Angelini Corinthiensis *in part. inf.* pr. eodem.
172 Timotheus Attar Amidensis, rit. chaldaic. pr. 22 Mar. 1869.
173 *Io: Bapt. Pompallier Amasenus *in part. inf.* pr. 19 Aprilis 1869.
174 * Seraphinus Vannutelli Nicaenus *in part. inf.* prom. 24 Iunii 1869.

175 * Antonius Pluym Thyanensis, *in part. inf.* pr. 23 Feb. 1870.
176 Ioannes Lynch Torontinus, pr. 18 Mart. 1870.

REVERENDISSIMI DD. EPISCOPI

177 * Ioseph Traversi Massensis in Hetruria, pr. 16 Dec. 1825.
178 * Stephanus a Iesu et Maria Angrensis, pr. 3 Iulii 1826.
179 Ioannes Losanna Bugellensis, pr. 19 Ian. 1827.
180 * Agabius Riecji Berytensis, rit. graec. melchit. pr. 16 Martii 1828.
181 * Ignatius Giustiniani Chiensis, pr. 10 Maii 1829.
182 * Michael Bombini Cassanensis, pr. 21 Maii 1829.
183 * Guillelmus Morris Traianus *in part. inf.* 9 Aug. 1831.
184 * Alphonsus Di Donato Cardicensis *in part. inf.* pr. 9 Septemb. 1831.
185 * Aloisius Lastaria Zacynthiensis et Cephaleniensis prom. 4 Novemb. 1831.
186 * Carolus Hanl Regino Gradicensis, pr. 24 Febr. 1832.
187 * Ioseph Dos Reis Cuiabensis, pr. 2 Iulii 1832.
188 * Fridericus Rezé Detroitensis, pr. 8 Martii 1833.
189 Ioannes Negri Derthonensis, pr. 15 Aprilis 1833.
190 Leonardus Todisco Grande Asculanus et Ceriniolensis, pr. 20 Ianuarii 1834.
191 * Ludovicus Feron Claro mo ntensis, pr. '¿0 Ian. 1834.
192 Guillelmus Sillani Aretini iam Terracinensis, pr. 4 Apr. 1835
193 Gaspas Labis Tornacensis, pr. 6 Apr. 1835.
194 * Ludovicus Robiou De la Trehonnais iam Constantiensis, pr. 1 Febr. 1836.
195 Theodosius Koiumgi Sydoniensis, rit. graec. melch. prom. 20 Dec. 1836.
196 * Athanasius Tutundgi Tripolitanus, rit. graec. melch. pr. 22 Decembris 1836.
197 Ignatius Bourget Marianopolitanus, pr. 10 Martii 1837.
198 Laurentius Biale Ventimiliensis, pr. 19 Mai 1837.
199 ioseph Severa Interamnensis, pr. 2 Octobr. 18937.
200 Fridericus De Marguerye Augustodunensis, pr. eodem.
201 Franciscus Lacroix Baionensis, pr. 23 Febr. 1838.
202 Aloisius Moreno Eporediensis, pr. 13 Sept. 1838.
203 Franciscus Rivel Divionensis, pr. eodem.

204 Emmanuel Verolles Columbicensis *in part, inf.* pr. 12 Decembris 1838.
205 Augustus Allou Meldensis, pr. 21 Februarii 1839.
206 * Caelestinus De La Hailandière iam Vincennopolitanus pr. 17 Maii 1839.
207 * Nicolaus Golia Cariatensis, pr. 11 Iulii 1839.
208 * Romualdus Ximeno Gaebuanensis, pr. 27 Iulii 1839.
209 * Thomas Feeny Alladensis, pr. eodem.
210 * Ioannes Laurent Ghersonensis *in part. inf.* pr. 17 Septembris 1839.
211 * Michaelangelus Orlandi Apuanensis, pr. 13 Dee. 1839.
212 * Henricus Hofstaetter Passaviensis pr. 23 Dee. 1839.
213 Ludovicus Besi Ganopensis *inpart. inf.* pr. 10 Ian. 1840.
214 * Thomas Brown Neoportensis et Menevensis pr. 11 Maii 1840.
215 Stephanus Bagnoud Bethlemensis *in part.inf.* pr. 3 Iulii 1840.
216 Georgius De Stahl Herbipolensis, pr. 31 Iulii. 1840.
217 * Petrus Bataillon Aenensis *inpart. inf.* pr. 23 Aug. 1840.
218 * Ioseph Ponsot Phiìomiliensis *in par. inf.* pr. 28 Aug. 1840.
219 * Ioannes Paredi Ruremondensis, pr. 24 Nov. 1840.
220 Carolus Gigli Tiburtinus, pr. 14 Dee. 1840.
221 Andreas Raess Argentinensis, pr. eodem.
222 * Dominicus Zichy de Vazsonykoiam Vesprimiensis, pr. eod.
223 Richaidus Whelan Velingensis, pr. 15 Dee. 1840.
224 * Dionysius Gauthier Emausensis *in pari. inf.* pr. 18 Decemb. 1840.
225 Eugenius Desflèches Sinitensis *in pari, infid.* prom. 18 Decembris 1840.
226 Franciscus Vjbert Maurianensis, prom. 1 Martii 1841.
227 StephanusCharbonneau Iassensis *inpart. inf.pr.* 21 Iun. 1841.
228 * Sigismundus Deaky Caesaropolitanus *in part. inf.* prom. 12 Iulii 1841.
229 Marianus Fernandez Fortique Capharnensis *in part. inf.* pr. eodem.
230 * Michael Calderón Bodonensis *inpart. inf.* pr. 9 Sep. 1841.
231 Nicolaus Crispigni Fulginatensis, pr. 24 Ianuarii 1842.
232 * Fridericus Manfredini Patavinus, pr. eodem.
233 Ioseph Gignoux Bello vacensis, pr. eodem.
234 * Ioannes Boset Emeritensis, pr. 27 Ian. 1842.
j235 Petrus Blum, Limburgensis, pr. 23 Maii 1842.

236 Eleonoras Aronne Montis Alti, pr. 22 Iulii 1842.
237 Ioannes Baptista Berteaud Tutelensis, pr. eodem.
238 Caietanus Carli Ahnirensis *in part. infid.* pr. 23 Aug. 1842.
239 * Ioan. Weland Aureliopolitanus *in par. inf.* pr. 19 Ian. 1843.
240 * Iacobus Gentile Novariensis, prom. 27 Ianuarii 1843.
241 Paulus Dupont Des Loges Metensis prom. eodem.
242 * Ioseph Gaganetz Eperiessensis, rit. ruthen. prom. eodem.
243 Ioseph Alberti Syrensis, prom. 21 Martii 1843.
244 * Raphael Purpo Puteolanus, prom. 3 Aprilis 1843.
245 Ioannes Ghilardi Montis Regalis, prom. 23 Maii 18Ì3.
246 Ioseph Iannuzzi Lucerinus, prom. 19 Iunii 1843.
247 Petrus Severini Sappensis, prom. 26 Novembris 1843.
248 Ioannes Henni Milwauchiensis, prom. 28 Novembris 1843.
249 Ioannes Doney Montis Albani, prom. 22 Ianuarii 1844.
250 * Antonius Ferreira Viçoso Marianensis, prom. eodem.
251 Salvator Fertitta Cavensis et Sarnensis, pr. 25 Ian. 1844.
252 Ioannes Baptista Montixi Ecclesiensis, prom. eodem.
253 Petrus De Preux Sedunensis, prom. eodem.
254 Carolus Roussalet Sagiensis, prom. eodem.
255 * Ioannes Miche Dansarensis *in part. inf.* pr. 2 Martii 1844,
256 Gabriel Grioglio Euriensis, *in part. infid.* prom. eodem.
257 Aloisius Moccagatta Zenopolitanus, *in partibus infid.* prom. 3 Martii 1844.
258 Fidelis Suter Rosaliensis *in part. inf.* pr. 23 Iunii 1844.
259 * Gaspar Borowski Luceoriensi s et Zytomeriensis, prom. 3 Iulii 1844.
260 Bonaventura Athanasius *iam* Liparensis, pr. 22 Iulii 1844.
261 Philippus Viard Wellingtoniensis, prom. 7 Februarii 1845.
262 * Aloisius Bienna Hierocaesareensis *in partibus infid.* prom. 21 Aprilis 1845.
263 Alexius Wicart Vallis Vidonis, prom. 24 Aprilis 1845.
264 Ioannes Brady Perthensis, prom. 18 Maii 1845.
265 * Ioannes Bouchò Alaliensis *in part. inf.* proni. 3 Iunii 1845.
266 Ioannes Pellei, Aquaependensis, prom. 24 Novembris 1845.
267 Iacobus Bailles *iam* Lucionensis, prom. eodem.
268 Daniel Murphy Hobartoniensis, prom. 16 Decembris 1845.
269 Stephanus Marilley Lausanensis et Genevensis, prom. 19 Ianuarii 1846.
270 * Petrus Bigandet Ramathensis *in par. inf.* pr. 27 Mart. 1846.

271 * Ludovicus Alloury *iam* Apamiensis, pr. 16 Aprilis 1846.
272 * Guillelmus Massaia Cassiensis *in part. inf.* pr. 4 Maii 1846.
273 * Eduardus Walsh Ossoriensis, prom. 12 Maii 1846.
274 Guillelmus Ullathorne Birminghamiensis, prom. eodem.
275 Alexius Ganoz Tamassensis *in part. inf.* pr. 19 Maii 1846.
276 Theodorus Forcade Nivernensis, prom. 23 Maii 1846.
277 Modestus Demers Vancouveriensis, prom. 18 Iulii 1846.
278 Aloisius Maigret Arathensis *in part. inf.* pr. 11 Aug. 1846.
279 Petrus Paulus Trucchi Foroliviensis, prom. 21 Sept. 1846.
280 * Ioseph Ghauveau Sebastopolitanus *in part. inf.* pr. 27 Novembris 1846.
281 * Bartholomaeus Legat Tergestinus et Iustinopolitanus, promotus 12 Decembris 1846.
282 Franciscus Mazzuoli S. Severini, prom. 21 Decemb. 1846.
283 Felix Gantimorri Parmensis, promotus eodem.
284 * Ephysius Chiais Thienensis *in part. inf.* pr. 24 Febr. 1847.
285 Philippus Mincione Miletensis, promotus 12 Aprilis 1847.
286 Vincentius D'Alfonso Pennensis et Atriensis, prom. eodem.
287 Amedeus Rappe Clevelandensis, prom. 23 Aprilis 1847.
288 Ioseph Novella Patarensis *in part. infid.* pr. 22 Maii 1847.
289 Petrus Vranken Colophoniensis *in part. inf.* pr. 4 Iunii 1847.
290 Ioseph Serra Dauliensis *in part. inf.* prom. 11 Iunii 1847.
291 Aloisius Ricci Signinus, promotus 14 Iunii 1847.
292 * Ioannes Derry Glonfertensis, prom. 9 Iulii 1847.
293 * Guillelmus Delany Gorcagiensis, prom. eodem.
294 Iacobus Goold Melburnensis, prom. eodem.
295 Eugenius Guigues Owtawiensis, prom. eodem.
296 * Guillelmus Alien Collier Drusiparensis *in part. inf.* prom. 7 Decem. 1847.
297 * Nicolaus Marinelli Solensis *in part. inf.* pr. 11 Ian. 1848.
298 Franciscus Gandolfi Cornetanus et Centumcellensis, prom. 14 Aprilis 1848.
299 * Florentinus Iaussen Axierensis *in part. inf.* pr. 9 Maii 1848.
300 * Antonius Doumer Iuliopolitanus *in part. infid.* pr. eodem.
301 * Ioannes Bessieux Callipolensis *in par. inf.* pr. 20 Iun. 1848
302 * Thomas Pineda y Zaldana S. Salvatoris, pr. 3 Iulii 1848.
303 Hilarius Alcázar Paphensis *in part. inf.* pr. 5 Sept. 1848.
304 Ioannes Balma Ptolemaidensis *in part. infid.* prom. eodem.
305 * Aloisius Kobes Methonensis *in part. inf.* pr. 27 Set. 1848.

306 Mauritius De Saint Palais Vincennopolitanus, prom. 3 Octobris 1848.
307 * Christophorus Koett Fuldensis, prom. 11 Decemb. 1848.
308 * Patritius De Moura Funchalensis, promotus eodem.
309 Iulianus Meirieu Diniensis, promotus eodem.
310 Laurentius Renaldi Pinerolensis, promotus eodem.
311 * Ianuarius Di Giacomo Aliphanus, prom. 22 Decemb. 1848.
312 Antonius Ranza Placentinus promotus 2 Aprilis 1849.
313 Ioannes Foulquier Mimatensis, promotus eodem.
314 Antonius Boscarini S. Angeli in Vado et Urbaniensis, prom. 20 Aprilis 1849.
315 Aloisius Vetta Neritonensis, promotus eodem.
316 Ianuarius Acciardi Anglonensis et Tursiensis, prom. eodem.
317 Ludovicus Caverot S. Deodati, promotus eodem.
318 * Camillus Monteforte Sydoniensis *in part. infid.* pr. eodem.
319 Franciscus Kelly Derriensis, promotus 3 Iunii 1849.
320 Guillelmus Keane Cloynensis, promotus 3 Augusti 1849.
321 Rodesindus Salvado Victoriensis in Australia, Abbas *nullius* Novae Nursiae, promotus 15 Augusti 1849.
322 * Antonio De Stefano Bendensis *in part. infid.* pr. 28 Augusti 1849.
323 Livius Parladore S. Marci et Bisinianensis, pr. 28 Sept. 1849.
324 Feliz Dupanloup Aurelianensis, prom. 28 Septembris 1849.
325 Ludovicus Pie Pictaviensis, promotus eodem.
326 * Mathias Wolonezewski Samogitiensis, promotas eodem.
327 * Ioachimus Pereira Ferraz Leiriensis, promotus eodem.
328 * Ioannes Baudri Arethusinus *in part. infid.* prom. eodem.
329 Ignatius Sellitti Melphiensis et Rapollensis, pr. 5 Nov. 1849.
330 Ioannes Ranolder Vesprimiensis, promotus 7 Ianuarii 1850.
331 Petrus De Dreux Brézé Moulinensis, promotus eodem.
332 Franciscus De Carbonell Sozopolitanus *in part. infid.* prom. 15 Martii 1850.
333 * Ioannes Van-Genk Bredanus, promotus 22 Martii 1850.
334 * Iosep Arachial Anciranus, rit. arm. prom. 30 Apr. 1850.
335 Raphael Bachetoni Nursinus, promotus 20 Maii 1850.
336 Franciscus Petagnâ Castri Maris, promotus eodem.
337 Guillelmus De Ketteler Moguntinus, promotus eodem.
338 Ioseph Strossmayer Bosniensis et Sirmiensis, prom. eodem.

339 Petrus D'Uriz y Da Labairu Pampilonensis et Tudelensis promotus eodem.
340 * Emmanuel Manso Aegitaniensis, promotus eodem.
341 * Alexander Taché S. Bonifacii, prom. 20 Iunii 1850.
342 * Ioannes Baptista Lamy S. Fidei in America, promotus 23 Iulii 1850.
343 * Ioannes Mac Gill Richmondiensis, promotus eodem.
344 Ioannes Baptista Miége Messeniensis *in part. inf.* pr. eodem.
345 * Maglorius Blanchet Nesqualiensis, prom. 28 Iulii 1850.
346 Ioseph Sohier Gadarensis *in part. inf.* prom. 27 Aug. 1850.
347 Hieronymus Verzeri Brixiensis, prom. 30 Septemb. 1850.
348 Ioannes Farina Vicentinus, promotus eodem.
349 Antonius Cousseau Engolismensis, promotus eodem.
350 * Ladislaus Zaboiski Scepuciensis, pr. 30 Septemb. 1850.
351 * Eduardus Wedekin Hildeshemiensis, promotus eodem.
352 Petrus Lacarrière *iam* Guadalupensis, pr. 3 Octob. 1850.
353 Franciscus Allard Samariensis *in part. inf.* pr. 20 Ian. 1851.
354 Philippus Fratellini Forosemproniensis, pr. 17 Febr. 1851.
355 Aloisius Margarita Oritanus, promotus eodem.
356 Ludovicus Pallu du Parc Blesensis, promotus eodem.
357 * Anselmus Fiorente S. Iosephi de Costarica, promotus 10 Aprilis 1851.
358 * Ioannes Sarrebayroze Hetaloniensis *in par. inf.* promot. 22 Iunii 1851.
359 j$(Thomas Grant Southwarcensis, promotus eodem.
360 * Guillelmus Turner Salfordensis, promotus eodem.
361 * Iacobus Brown Salopiensis, promotus 5 Septembris 1851.
362 Mathias Mengacci Civitatis Castellanensis, Hortanus et Gallesinus, promotus eodem.
363 Vincentius Bisceglia Thermularum, promotus eodem.
364 Ioannes Mabile Versaliensis, promotus eodem.
365 Ioannes Jirsik Budvicensis, promotus eodem.
366 * Michael Salva Maioricensis et Ibusensis, promot. eodem.
367 Colinus Mae Kinnon Arichatensis, prom. 21 Novemb. 1851.
368 Paulus Hindi Jazirensis, rit. chaldaic. pr. 24 Februar. 1852.
369 Aloisius De La Pace Hadrianopolitanus *in part. inf.* prom. 27 Februarii 1852.
370 Ioseph Pukalski Tarnoviensis, promotus 15 Martii 1852.
371 Ioannes Guerrin Lingonensis, promotus eodem.

372 Ioannes Longobardi Andriensis, promotus 18 Martii 1852.
373 Aloisius Sodo Thelesinus, promotus eodem.
374 Bartholomaeus D'Avanzo Galvensis et Theanensis, Administrator Aposto!. Ecclesiae Castellane!] sis, promot. eodem.
375 Raphael De Franco Gatacensis, promotus eodem.
376 Franciscus Landeira y Sevilla Carthaginensis, prom. eodem.
377 * Adamus Weitkievicz Minscensis, promotus eodem.
378 Ludovicus Regnault Carnutensis, promotus 15 Maii 1852.
379 gg Thomas Cooke Trifluvianensis, promotus 2 Iunii 1852.
380 * Ioseph La Rocque Germanicopolitanus *in part. inf.* prom. 6 Iulii 1852.
381 Antonius L& Scala S. Severi, promot. 27 Septembris 1852.
382 Theodorus de Montpellier Leodiensis, promot. eodem.
383 Iesualdus Vitali Ferentinus, promot. eodem.
384 * Antonius Frenzel Ariopolitanus *in part. inf.* prom. eodem.
385 * Macarius Haddad Episcopus Syncellus Patriarchae Antiocheni rit. graec. melchit. promot. 30 Septembris 1852.
386 * Patritius Durcan Acadensis, promot. 4 Octobris Ì852.
387 * Patritius Fallón Finaborensis et Daucensis prom. 28 Ianuarii 1853.
388 Aloisius Filippi Aquilanus, promot. 7 Martii 1853.
389 Iacobus Ginoulhiac Gratianopolitanus, promot. eodem.
390 Franciscus Rudigier Linciensis, promot. 10 Martii 1853.
391 ioseph Caizal y Estrade Urgellensis, promot. eodem.
392 * Michael Anfossi Mennithensis *inpart. inf.* pr. 15 Mart. 1853.
393 Ioannes Loughlin Brooklynensis, promot. 19 Iunii 1853.
394 * Vincentius Ciccolo Drepanensis, promot. 27 Iunii 1853.
395 * Ioannes Verea De Linares, promot. eodem.
396 * Vitalis Tirmarche Adrasensis *in part. inf.* pr. 8 Iulii 1853.
397 * Richardus Roskell Nottingamensis proin. 29 Iulii 1853.
398 * Alexander Goss Liverpolitanus, promot. eodem.
399 * Iacobus Roosevelt Bayley Nevarcensis, promot. eodem.
400 Ludovicus De Goesbriand Burlingtonensis, promot. eodem.
401 Thaddaeus Amat Montereyensis et Angelorum, prom. eod.
402 * Augustus Maria Martin Natchitochensis, promot. eodem.
403 Aemygdius Foschini Civitatis Plebis, pr. 12 Septemb. 1853.
404 Vincentius Materozzi Rubensis et Bituntinus, prom. eodem.
405 Henricus Foerster Vratislaviensis, promot. eodem.
406 * Ioannes Deppen Samensis *in part. inf.* pr. 15 Nov 1853.

407 Petras Speranza Bergomensis, prom. 19 Decembris 1853.
408 Thomas Salzano Tanensis *in part. inf.* pr. 13 Ianuarii 1854.
409 David Moriarty Kerriensis et Aghadonensis, pr. 5 Mart. 1854.
410 * Athanasius Zuber Augustopolitanus *in part. inf.* promot. 8 Martii 1854.
411 Ignatius Persico Savannensis, promot. eodem.
412 * Benedictus Di Riccabona Tridentinus, pr. 7 Aprilis 1854.
413 Vincentius Zubranich Ragusinus, promot. eodem.
414 Carolus Colina Tlascanensis, promot. eodem.
415 * Ioseph Freusberg Sidymensis *in part. infid.* prom. eodem.
416 * Ioannes Kraly Lycopoliensis *in part. inf.* pr. 16 Iulii 1854.
417 Hyacintus Barberi Neocastrensis, promot. 23 Iunii 1854.
418 Ioseph Panelli S. Angeli Lombardorum et Bisaciensis, pr. eod.
419 Aloisius De Agazio Triventinus, promot. eodem.
420 Felix Romano Isclanus, promot. eodem.
421 loseph Salas SS. Conceptionis de Chile, prom. eodem.
422 * Ioannes De Alburquerque Cordubensis in Hispania, pr. eod.
423 Ioannes Leahy Dromorensis, promot. 10 Iulii 1854.
424 Ludovicus Forwerk Leontopolitanus *in part. inf.* promot. 21 Iulii 1854.
425 * Augustinus Roskovanyi Nitriensis, promot. 5 Sept. 1854.
426 * Franciscus Stefanowicz Samosatensis *in part. inf.* prom. 16 Novembris 1854.
427 * Alexander Dobra Ligosiensis, rit. rum. pr. 18 Nov. 1854.
428 Franciscus Maiorsini Laquedoniensis, prom. 30 Nov. 1854.
429 David Bacon Portlandensis, promot. 23 Ianuarii 1855.
430 Renatus Sergent Corisopitensis, prom. 12 Martii 1855.
431 Innocentius Sannibale Eugubinus, promot. 23 Martii 1855.
432 Ioannes Rosati Tudertinus, promot. eodem.
433 Caietanus Rodilossi Alatrinus, promot. eodem.
434 Dominicus Zelo Aversanus, promot. eodem.
435 * Philippus De Simone Nicoterensis et Tropiensis, pr. eod.
436 Franciscus Gallo Abellinensis, promot. eodem.
437 Franciscus Giampaolo Larinensis, promot. eodem.
438 Petrus Rota Guastallensis, promot. eodem.
439 Ioannes Vitezich Veglensis, promot. eodem.
440 Franciscus Roullet De La Bouillerie Carcassonensis, pr. eod.
441 * Ioannes Escalante Anastasiopolitanus *in part. inf. pr.* eod.
442 Guillelmus Vaughan Plymuthensis, promot. 10 Iulii 1855.

443 * Dominicus O'Brien Waterford i ensis et Lismoriensis, prom. 3 Augusti 1855.
444 Nicolaus Pace Amerinus, promot. 28 Septembris 1855.
445 Ioseph Förmisano Nolanus, promot. eodem.
446 Raphael Morisciano Squillacensis, prom. 28 Septemb. 1855.
447 Ioannes Benini Pisciensis, promot. eodem.
448 * Claudius Plantier Nemausensis, promot. eodem.
449 Ludovicus Delalle Ruthenensis, promot. eodem.
450 * Franciscus Orueta De Truxillo, promot. eodem.
451 Ioseph Dei Prete-Belmonte Thyatirensis *in part.-inf.* pr. eod.
452 Ildephonsus Dordillon Cambysopolitanus *in part. inf.* prom. 7 Decembris 1855.
453 Vincentius Moretti Imolensis, promot. 17 Decembris 1855.
454 Ioannes Renier Feltrensis et Bellunensis, pr. 17 Dec. 1855.
455 Antonius Iordany Foroiuliensis et Tolonensis, prom. 20 Decembris 1855.
456 * Ioannes Baptista Nehiba Tiniensis, promot. eodem.
457 Laurentius Gillooly Elphinensis, prom. 18 Februarii 1856.
458 * Iacobus Walsh Kildariensis et Leigliensis, prom. eodem.
459 Ioannes Farrell Hamiitonensis, prom. 18 Februarii 1856.
460 Adulphus Pinsoneault Byrthanus *inpart. inf.* prom. eodem.
461 * Patritius Moran Dunedinensis, promot. eodem.
462 * Michael Navarro Cucusiensis *in part. inf.* pr. 8 Apr. 1856.
463 Hadrianus Languillat Sergiopolitanus, *in part. inf.* promot. 20 Maii 1856.
464 Elias Alberani Asculanus, promot. 16 Iunii 1856.
465 Thomas Passero Troianus, promot. eodem.
466 Henricus De Rossi Casertanus, promot. eodem.
467 Iacobus Bernardi Massanus, promot. eodem.
468 Jacobus Boudinet Ambianensis, pr. eod.
469 Marcus Calogerà Spalatensis, 19 Iunii 1856.
470 Conradus Martin Paterbonensis, promot. eodem.
471 * Ioseph Arroyo De Guayana, promot. eodem.
472 * Georgius Ieschke Diocaesareensis *in part. inf.* prom. eod.
473 Zephyrinus Guillemin Cybistranus *in part. infid.* promot. 5 Augusti 1856.
474 * Bernardinus Medina De Carthagena in Indiis pr. 16 Septembris 1856.
475 * Dalmatius Di Andrea Bovensis, prom. 18 Septemb. 1856.

476 * Vincentius Lipski Ionopolitanus *in part. inf.* prom. eodem.
477 Philippus Vespasiani Fanensis, prom. 15 Decembris 1856.
478 Clemens Fares Pisaurensis, promot. eodem.
479 Vincentius Gasser Brixinensis, promot. eodem.
480 Franciscus Marinelli Porphyriensis *in part. inf.* prom. eod.
481 * Thomas Furlong Fernensis, prom. 9 Ianuarii 1857.
482 * Iacobus Wood Philadelphiensis, promot. eodem.
483 Ioannes Mae Evilly Galviensis, prom. 9 Ianuarii 1857.
484 Guillelmus Eider Natchetensis, promot. eodem.
485 Guillelmus Clifford Cliftoniensis, prom. 29 Ianuarii 1857.
486 Ludovicus Delcusy Vivariensis, prom. 19 Martii 1857.
487 Petrus Geraud de Langalerie Bellicensis, promot. eodem.
488 Petrus Ferre Casalensis, promot. eodem.
489 Amandus Maapoint S. Dyonisii Reunionis, promot. eodem.
490 * Ioannes Solar S. Caroli Ancudiae, promot. eodem.
491 * Raphael Salinas Cochabambensis, promot. eodem.
492 Ioannes Baptista Scandella Antinoensis *in part. inf.* prom. 28 Aprilis 1857.
493 Petrus Buffetti Brictinoriensis, Administrator Apostolicus Ecclesiae Sarsinatensis, pfomot. 3 Augusti 1857.
494 Ioseph Targioni Volaterranus, promot. eodem.
495 Aloisus Paolotti Montis Politiani, promot. eodem.
496 * Petrus de Pompignac S. Flori, promot. eodem.
497 * Ioannes D'Aguiar Brigantiensis et Mirandensis, prom. eod.
498 * Ioannes Deila Marwitz Culmensis, promot. eodem.
499 * Valentinus Baranowscki Lorymensis *in part. inf.* pr. eod.
500 Eustachius Zanoli Eleutheropolitanus *in part. inf.* promot. 17 Augusti 1855.
501 * Ioannes Lüers Wayne Castrensis, prom. 22 Sept. 1857.
502 Ioseph De Los Rios Lucensis, promot. 25 Septemb. 1857.
503 * Rodericus Echevarría y Briones Segobiensis, prom. eodem.
504 Michael O' Hea Rossensis, promot. 11 Decembris 1857.
505 * Patritius Lynch Carolopolitanus, promot. eodem.
506 Ioseph Papardo Dei Parco Sinopensis *in part. inf.* pr. eod.
507 Clemens Pagliari Anagninus, promot. 21 Decembris 1857.
508 Petrus **Sola** Niciensis, promotus eodem.
509 * Georgius Dobrilla Parentinus et Polensis, prom. eodem.
510 * Georgius Smiciklas Crisiensis, rit. ruthen. prom. eodem.
511 Cosmas Marrodan y Rubio Tirasonensis, promot. eodem.

512 Bernardus Conde y Corral Zamorensis in Hispania, pr. eod.
513 Franciscus Benavides Seguntinus, promotus eodem.
514 Ferdinandus Blanco Abulensis, promot. eodem.
515 * Petrus Asensio Iacensis, promot. eodem.
516 Matthaeus Jaume y Garau Minoricensis, promot. eodem.
517 Paulus Carrion De Portorico, promot. eodem.
518 * Petrus Krejci Oropiensis *in part. inf.* promot. eodem.
519 Augustinus Verot S. Augustini, promot. eodem.
520 * Vitalis Grandin Satalensis *in part. inf.* promot. eodem.
521 * Franciscus Mae Farland Hartfordiensis, pr. 8 Ianuar. 1858.
522 Eduardus Horan Regiopolitanus, promot. eodem.
523 * Rogerius Blundo Cephaludensis, promot. 11 Martii 1858.
524 Carolus Fillion Genomanensis, promot. eodem.
525)$(Ioannes Devoucoux Ebroicensis, prom. 18 Martii 1858.
526 Ignatius De Senestrey Ratisbonensis, promot. eodem.
527 Iacobus Jeancard Ceramensis *in part. inf.* promot. eodem.
528 Ioannes Pinchón Polemoniensis *in part. inf.* pr. 23 Apr. 1858.
529 Franciscus Kerril Amherst Northantoniensis, promotus 14 Maii 1858.
530 * Paschalis Vuicic Antiphellensis *in part. infid.* promotus 1 Iunii 1858.
531 * Antonius Fialkowski Camenecensis, prom. 25 Iunii 1858.
532 Ludovicus Idèo Liparensis, promot. eodem.
533 Michael Paya y Rico Conchensis in Hispania, prom. eodem.
534 Andreas Rosales y Muñoz Almeriensis, promot. eodem.
535 * Iacobus Etheridge Toronensis, *in part. inf.* prom. eodem.
536 * Ioannes Bosmann Dioclensis, *in part. inf.* promot. eodem.
537 * Augustinus Franco Hermopolitanus, *inpart. inf,* rit. Graec. promot. eodem.
538 * Michael Flannery Laonensis, promot. 6 Iulii 1858.
539 * Dominicus Fanelli Dianensis, promot. 27 Septemb. 1858-
540 * Carmelus Valenti Mazariensis, promot. eodem.
541 Ioannes Belaval Apamiensis, promot. eodem.
542 Pancratius Dinkel Augustanus Vindelic. promot. eodem.
543 Petrus Cubero y Lopez de Padilla Oriolensis, prom. eodem.
544 Ioachimus Lluch Salamantinus et Civitatensis, pr. eodem.
545 * Adamus Krasinki Wilnensis, promot. eodem.
546 * Ioseph Staniewski Platearum *in part. inf.* prom. eodem.
547 * Henricus Plater Mosinopolitanus *in part. inf.* prom. eodem.

548 * Alexander Beresniewiez Maximinianopolitanus *in part. inf.* promotus eodem.
549 * Ignatius Papardo Dei Parco Myndensis *in part. inf* Praelatus *nullius* S. Luciae de Milis, promot. eodem.
550 Valentinus Wiery Gurcensis, prom. 30 Octobris 1858.
551 Petrus Tilkian Brusensis, rit. Arm. pr. 31 Octobris 1858.
552 Carolus Poirier Rosensis, promot. 12 Novembris 1858.
553 Antonius Maria Valenziani Fabrianensis et Matilicensis, promotus 23 Decembris 1858.
554 Hyacinthus Luzi Narniensis, Administr. Apóstol. Ecclesiae Mandelensis, promot. eodem.
555 Melchior Lo Piccolo Nicosiensis Herbitensis, prom. eodem.
556 Ioannes Guttadauro di Reburdone Calatanisiadensis, pr. eod.
557 * Venceslaus Soie Seniensis, Administr. perpet. Ecclesiae Modrussensis, promot. eodem.
558 Ferdinandus Arguelles y Miranda Asturicensis, pr. eodem.
559 * Didacus Alguacil Victoriensis in Hispan., promot. eodem.
560 * Ioseph Ramírez de Arellano Cordubensis in Indiis, pr. eod.
561 * Iacobus O' Gorman Raphanensis *in part. infid.* promotus 18 Ianuarii 1859.
562 * Thomas Grace S. Pauli de Minesota, pr. 21 Ianuar. 1859.
563 * Iacobus Duggan Chicagiensis, promot. eodem.
564 Antonius Peitler Vaciensis, promot. 15 Aprilis 1859.
565 * Ioseph Juszynski Sandomirensis, promot. eodem.
566 Ioannes Zepeda De Comayagua, promot. eodem.
567 Iacobus Quinn Brisbanensis, promot. eodem.
568 Antonius Halagin Artuinensis, rit. armen, promot. eodem.
569 * Iacobus Weian Diocletianopolitanus *in part. inf.* pr. eod.
570 * Felicissimus Coccino Marrochiensis *in part. inf.* promot. 3 Maii 1859.
571 Carolus Macchi Regiensis, promot. 20 Iunii 1859.
572 * Alphonsus Maria Cappetta Gravinensis et Montis Pelusii, promot. eodem.
573 Ioseph Teta Oppidensis, promot. eodem.
574 Aloisius Riccio Caiacensis, promot. eodem.
575 Michael Milella Aprutinus, promot. eodem.
576 * Ioannes Baptista Siciliani Caputaquensis et Vellensis, promotus eodem.
577 Franciscus Xaverius D'Ambrosio Muranus, promot. eodem

578 Andreas Emmanuel Asmar Zachuensis, rit. chaldaic. prom, 22 Iulii 1859.
579 * Nicolaus Florentini Curiensis, prom. 16 Septemb. 1859.
580 * Ioannes Quinlan Mobiliensis, prom. 26 Septembris 1859.
581 Simon Spilotros Tricaricensis, promot. eodem.
582 Felix Fruchaud Lemovicensis, promot. eodem.
583 Ludovicus Epivent Aturensis, promot. eodem.
584 Ioseph Lopez Crespo Santanderiensis, promot. eodem.
585 * Ioannes Sweeny S. Ioannis, promot. 9 Decembris 1859.
586 Petrus Pichón Helenopolitanus *in part. inf.* pr. 24 Ian. 1860.
587 * Petrus Tardoya Tiberiopolitanus *in part. inf.* promotus 13 Martii 1860.
588 Ioannes Monetti Cerviensis, promot. 23 Martii 1860.
589 Alexander Spoglia Comaclensis, promot. eodem.
590 Aloisius Mariotti Feretranus, promot. eodem.
591 Valerius Laspro Gallipolitanus, promot. 23 Martii 1860.
592 ***Cfr*** Caietanus Striscia Nuscanus, promot. eodem.
593 Aloisius Lembo Cotronensis, promot. eodem.
594 Michaelangelus Celesia Pactensis, promot. eodem.
595 * Bartholomaeus Widmer Labacensis, promot. eodem.
596 Ambrosius Abdou, Mariamnensis, rit. graec. melchit. prom. 20 Aprilis 1860.
597 Petrus Mae Intyre Carolinopolitanus, prom. 8 Maii 1860.
598 * Iacobus Rogers Chathamensis, prom. eodem.
599 Patritius Dorrian Dunensis et Connorensis, pr. 22 Iun. 1860.
600 Petrus Dufal Delconensis, *in part. inf.* pr. 3 Iulii 1860.
601 Bonaventura Rizo Saltensis, prom. 13 Iulii 1860.
602 Ludovicus Faurie Apolloniensis *in part. inf.* promotus 2 Septembris 1860.
603 Eugenius O' Connel Vallispratensis, pr. 26 Septemb. 1860.
604 Alexander Bonnaz Csanadiensis et Temesvariensis, promot. 28 Septembris 1860.
605 Sebastianus Dias Larangeira S. Petri Fluminis Grandensis, promot. eodem.
606 Aloisius Dos Santos Fortalexiensis, promotus eodem.
607 Michael Domenec Pittsburgensis, promotus eodem.
608 Thomas Grimley Antigonensis, *in part. inf.* pr. 13 Dec. 1860.
609 Antonius De Macedo Costa Belemensis de Para, promotus 17 Decembris 1860.

610 * Ioannes Kistemaker Uranopolitanus *in part. inf.* pr. eod.
611 Claudius Magnin Aneciensis, promotus 18 Martii 1861.
612 Emmanuel Ravinet Trecensis, prom. eodem.
613 Antonius De Vasconcellos Pereira de Mello Lamacensis, promotus eodem.
614 * Hadrianus Wlodarski Iborensis *in part. inf.* proin, eodem.
615 Gerardus Wilmer Harlemensis, prom. 28 Aprilis 1861.
616 Georgius Butler Limericensis, prom. 12 Iunii 1861.
617 Carolus Colet Lucionensis, prom. 22 Iulii 1861.
618 Franciscus Le Courtier Montis Pessulani, prom. eodem.
619 * Aloisius Saraiva S. Ludovici de Maragnano, prom. eodem.
620 * Ioseph Esteves de Toral Conchensis in America, pr. eod.
621 Antonius Monescillo Giennensis, promotus eodem.
622 Henricus Maret Surensis *in part. inf.* promotus eodem.
623 Robertus Cornthwaite Beverlacensis, pr. 5 Septemb. 1861.
624 Fridericus Zinelli Tarvisinus, prom. 30 Septembris 1861.
625 Aloisius di Canossa Veronensis, promotus eodem.
626 Benedictus Villamitjana Derthusensis, pr. 23 Dec* 1861.
627 * Petrus Lagiiera y Menezo Oxomensis, promotus eodem.
628 Franciscus Crespo y Bautista Arcensis *inpart. inf.* pr. eod.
629 * Silvester Horton Rosecrans Columbensis, prom. eodem.
630 Augustinus David Briocensis, promot. 7 Aprilis 1862.
631 Ludovicus Nogret S. Claudii, promotus eodem.
632 Pantaleon Monserrat y Navarro Barcinonensis, pr. eodem.-
633 Ioseph Fessier S. Hippolyti, promotus eodem.
634 * Ioannes Baptista Kutschker Carrensis *in part. inf.* pr. eod.
635 Mathias Eberhard Trevirensis, promotus eodem.
636 Ignatius Guerra De Zacathecas, promotus eodem.
637 * Ioseph de la Peña Zamorensis in America, prom. eodem.
638 * loseph Diez De Sollano Leonensis, promotus eodem.
639 * Ioannes Gray HVpsopolitanus *in part. inf.* 30 Aprilis 1862.
640 * Henricus Faraud Anemuriensis *in part. inf.* pr. 8 Maii J862.
641 Constantinus Bonet Gerundensis, prom. *tí* Maii 1862.
642 * Laurentius Studach Orthosiensis *in part. inf.* promotus 22 Maii 1862.
643 Bernardinus Trionfetti Terracinensis, Privernensis et Setinus, promotus 25 Septembris 1862.
644 * Ioannes Bravard Gonstantiensis, promotus eodem.
645 * Franciscus Gainza De Caceres, promotus eodem.

646 * Antonius Alves Martins Visensis, promotus eodem.
647 * Antonius Galecki Amathuntinus *in part. inf.* prom. eodem.
648 * Mathias Maierczak Iericensis *in part. inf.* prom. eodem.
649 Claudius Maria Dubuis Galvestoniensis, pr. 15 Octob. 1862.
650 Iacobus Stepischnegg Lavantinus, prom. 18 Ianuarii 1863.
651 Nicolaus Conaty Kilmorensis, prom. 11 Martii 1863.
652 Nicolaus Adames Halicarnassensis *in part. inf.* prom. eodem.
653 Ioseph Papp-Szilàgyi de Illesfalva Magno-Varadinensis, rit. rumeni prom. 16 Martii 1863.
654 * Vincentius Popiel Placensis, promotus eodem.
655 Ioannes Baptista Greit S. Galli, promotus eodem.
656 * Emmanuel Palacios De Paraguay, promotus eodem.
657 * Paulus Rzewuski Prusensis *in part. inf.* prom. eodem.
658 Fidelis Abbati Sanctorinensis, promot. 17 Martii 1863.
659 Ioannes Baptista Ormaechea De Tulancingo, prom. 19 Martii 1863.
660 Ambrosius Serrano De Chilapa, promotus eodem.
661 Ioannes Baptista Gazailham *iam* Venetensis, pr. 21 Apr. 1863.
662 * Ephraem Estateos Tocmagi Karputhensis, Bugaunensis, et Adiamensis, rit. syriae. 3 Iulii 1863.
663 Ioannes Tissot Milevitanus *in part. inf.* pr. 6 Augusti 1863.
664 Aloisius Elloy Tipasitanus *in part. inf.* pr. 9 Augusti 1863.
665 * Michael Hankinson Portus Aloisii, pr. 6 Septembris 1863.
666 * Hilarión Sillani Callinicensis *in part. inf.* pr. 17 Sept. 1863.
667 Ioannes Zaffron Sebenicensis, prom. 28 Septembris 1863.
668 Nicolaus Darbert Petrocoricensis, promotus eodem.
669 Petrus Le Breton Aniciensis, promotus eodem.
670 Ignatius Moraes Cardoso Pharanensis, promotus eodem.
671 * Ioannes Dos Sanctos Adamantinus, promotus eodem.
672 Eugenius Lachat Basileensis, promotus eodem.
673 * Felix Arríete Gaditanus et Septensis, pr. 1 Octobris 1863.
674 Ioannes Iacovacci Aerythrensis *in part. inf.* prom. eodem.
675 * Dominicus Mayer Cisamensis *in part. inf.* prom. eodem.
676 *• Aloisius De Tola Berissensis *in part. inf.* prom. eodem.
677 * Aloisius Buquet Pariensis *in part. inf.* promotus eodem.
678 Flavianus Matah Iazirensis, rit. syriae, pr. 11 Octob. 1863.
679 Franciscus Andreoli Calliensis et Pergulanus, promotus 21 Decembris 1863.
680 Paulus Micaleff Typhernatensis, promotus eodem.

681 Antonius Pettinari Nucerinus, promotus eodem.
682 Ioannes Dours Suessionensis, promotus eodem.
683 * Ioseph Montagut Segobricensis, promotus eodem.
684 * Ioseph De Oliveira Angolensis, promotus eodem.
685 Aloisius D' Herhomez Miletopolitanus *in part. inf.* promotus 22 Decembris 1863.
686 Ioseph Salandari Marcopolitanus *in part. infid.* promotus 20 Martii 1864.
687 Elias Melius Akrensis rit. chald. prom. 5 Junii 1864.
688 * Isidorus Glut Aeryndelensis *in part. inf.* pr. 3 Aug. 1864.
689 Ioannes Elliot Bet-etme Episcopus Syncellus Patriarchae Syrorum, rit. syriae, promotus eodem.
690 Ioannes Strain Abilensis *in part. inf.* prom. 3 Sept. 1864.
691 Thomas Nulty Midensis promotus eodem.
692 Eduardus Dubar Ganathensis *in part. inf.* pr. 6 Sept. 1864.
693 Edmundus Guierry Danabensis *in part. inf.* prom. eodem.
694 * Eugenius Charbonnier Domitiopolitanus *in part. inf.* pr. eodem.
695 Ioannes Faiet Brugensis, prom. 22 Septembris 1864.
696 Ferdinandus Dupont Azotensis *in part. inf.* prom. eodem.
697 Hyacinthus Vera Megarensis *in part. inf.* prom. eodem.
698 Gaspar Mermillod Hebronensis *in part. inf.* prom. eodem.
699 * Agapius Dumani Ptolemaidensis, rit. graec. melchit. prom. 4 Decembris 1864.
700 Angelus Kraljevic Metellopolitanus *in part. inf.* promotus 6 Decembris 1864.
701 Iacobus Donnelly Glogheriensis, prom. 10 Ianuarii 1865.
702 Eligius Cosi Prienensis *in part. inf.* prom. 5 Februarii 1865.
703 Claudius Depommier Crysopolitanus *in part. inf.* promotus 17 Februarii 1865.
704 Ioannes Ghiureghian Trapezuntinus, rit. armen, promotus 25 Martii 1865.
705 Michael Fogarasy Transylvaniensis, prom. 27 Martii 1865.
706 Guillelmus Meignan Cathalaunensis, promotus eodem.
707 Franciscus Gueullette Valentinensis, promotus eodem.
708 Stephanus Ramadié Elnensis, promotus eodem.
709 Raymundus Garcia y Anton Tudensis, promot. eodem.
710 * Ioannes Aragonés Novae Segobiae, promotus eodem.
711 Hyacinthus Martínez S. Christophori de Havana, pr. eod.

712 Henricus ßracq Gandavensis, promotus eodem.
713 Ioseph Gelabert Paranensis, promotus eodem.
714 Ioannes Huerta Puniensis, promotus eodem.
715 Ioseph Moreyra Ayacuquensis, promotus' eodem.
716 Emmanuel Dei Valle Huanucensis, promotus eodem.
717 * Iulianus Ochoa Guschensis, promotus eodem.
718 * Eranciscus Risco De Chachapoyas, promotus eodem.
719 * Emmanuel Barrutia y Croquer Carystensis *in part. infid.* promotus eodem.
720 * Gabriel Mariassy Palaeopolitanus *in part. inf.* pr. eodem ,
721 * Petrus De Benavente Thespiensis *in part. inf.* pr. eodem.
722 * Barnabas Garcia Cezon Bibliensis *in part. infid.* promotus 16 Aprilis" 1865.
723 Nicolaus Power Sareptanus *in part. inf.* pr. 24 Apr. 1865.
724 Laurentius Shiel Adelaidopolitanus, prom. 23 Iunii 1865.
725 * Matthaeus Quinn Bathurstensis, promotus eodem.
726 * Patritius Feehan Nashvillensis, proin. 7 Iulii 1860.
727 Ioannes Conroy Albanensis in America, promotus eodem.
728 Raphael Popow Bulgarorum, promotus 4 Augusti 1865.
729 * Io. Baptista Swinkels Amoriensis *in p. inf.* 12 Sept. 1865.
730 Stephanus Perez Fernandez Malacitanus, pr. 25 Sept. 1865.
731 Fabianus Arenzana Calaguritanus et Calceatensis, pr. eod.
732 Ferdinandus Ramirez y Vázquez JPacensis in Hispania, promotus eodem.
733 Ioseph Alvez Feijò S. Iacobi Capitis Viridis, prom. eodem.
734 * Ioachim Gonçalves de Azevedo Gojasensis, prom. eodem.
735 Emmanuel Ulloa De Nicaragua, promotus eodem.
736 * Ioseph Durguth Sionnensis *in paît. inf.* promotus eodem.
737 * Ioannes Amberg Europensis *in part. inf.* promotus eodem.
738 Ioannes Marangò Tenensis et Miconensis, pr. 13 Nov. 1865.
739 * Iacobus Murray Maitlandiensis, prom. 14 Novemb. 1865.
740 Bonifacius Toscano Neo-Pampilonensis, promotus eodem.
741 Nicolaus Frangipane Concordiensis, prom. 8 Ianuarii 1866.
742 Augustinus Wahala Litomericensis, promotus eodem.
743 Ioannes Lozzano Palentinus, promotus eodem.
744 Antonius lorda y Soler Vicensis, promotus eodem.
745 * Ioannes Pereira Botelho De Amaral Macaonensis, pr. eod.
746 * Ioseph Romero Dibonensis *in part. inf.* prom. eodem.
747 * Ioseph Barranco Carpasiensis, *in part. inf.* prom. eodem.

748 Ioannes Williams Bostoniensis, prom. 9 Ianuarii 1866.
749 Abraham Bsciai Cariopolitanus *in part. inf.,* rit. copht. pr. 3 Februarii 1866.
750 * Vincentius Bracco Magitanus *in part. inf.* pr. 11 Mar. 1866.
751 Carolus La Rocque, S. Hyacinthi, prom. 20 Martii 1866.
752 Stephanus Israelian Karputhensis, rit. arm. pr. 10 Apr. 1866.
753 Ioannes Hennessy Dubuquensis, prom. 24 Aprilis 1866.
754 Eduardus Fitzgerald Petriculanus, promotus eodem.
755 Bernardus Petitjean Myriophitensis *in part. inf.* promotus 11 Maii 1866.
756 Stephanus Melchisedech Erzerumiensis, rit. armen, prom. 18 Maii 1866.
757 Carolus Place Massiliensis, 22 Iunii 1866.
758 Ioannes Baptista Lequette Atrebatensis, promotus eodem.
759 Ioannes Bécel Venetensis, promotus eodem.
760 Petrus Grimardias Cadurcensis, promotus eodem.
761 Ioannes Becksmann Osnabrugensis, promotus eodem.
762 Ignatius Ordoñez Bolivarensis, promotus eodem,
763 Georgius Dubocowich Pharensis, prom. 25 Iunii 1866.
764 Marianus Brezmes Arredondo Guadixensis, promot. eodem.
765 Ioseph De La Cuesta y Maroto Auriensis, promot. eodem.
766 * Marianus Ortiz Urruela Teiensis *inpart. infid.* prom. eodem.
767 Angelus Di Pietro Nissenus *in part. infid.* prom. eodem.
768 Iacobus Chadwick Hagulstadensis et Novocastrensis, prom. 12 Augusti 1866.
769 * Emmanuel Riaño Thaumacensis *in part. inf.* promotus 29 Augusti 1866.
770 * Iacobus Lynch Arcadiopolitanus *in part. infid.* promotus 31 Augusti 1866.
771 * Samuel Sheehy Bethsaidensis *in part. inf.* prom. 12 Novembris 1866.
772 Ludovicus La Fleche Anthedonensis *in part. inf.* 12 Novembris 1866.
773 Guillelmus Lanigan Gulbornensis, prom. 18 Decemb. 1866.
774 Ioannes Langewin S. Germani, prom. 15 Ianuarii 1867.
775 Ioseph Aggarbati Senogalliensis, prom. 22 Februarii 1867.
776 Ioseph Bovieri Faliscodunensis, promotus eodem.
777 Iulius Lenti Nepesinus et Sutrinus, promotus eodem.
778 Thomas Gallucci Recinetensis et Lauretanus, prom. eodem.

779 Ioannes Baptista Cerruti Savonensis et Naulensis, prom. eod.
780 Ioseph Giusti Aretinus, promotus eodem.
781 Hannibal Barabesi S. Miniati, promotus eodem.
782 Ioseph Rosati Lunensis-Sarzanensis et Brugnatensis, pr. eod.
783 Anselmus Faùli Grossätanus, promotus eodem.
784 Salvator Angelus Demartis Galtellinensis-Norensis, pr. eod.
785 Franciscus Zunnui Casula Uxellensis et Terralbensis, promotus eodem.
786 Iacobus Jans Augustanus, promotus eodem.
787 Vincentius Jekelfalusy Albae Regalensis, promotus eodem.
788 * Ladislaus Biro de Kezdi-Polany Szathmariensis, promotus 22 Februarii 1867.
789 * Stephanus Pankovics Munkacsiensis, rit. ruth. prom. eod.
790 Franciscus Gross Tarantasiensis, promotus eodem.
791 Flavianus Hugonin Baiocensis, promotus eodem.
792 Franciscus De Leonrod Eystettensis, promotus eodem.
793 Philippus Manetti Tripolitanus *in part. infid.* Administrator Apostolicus Abbatiae *nullius* Sublaquensis, promotus eodem.
794 Conceptius Focaccetti Lystrensis *in part. inf.* pr. eodem.
795 Amatus Pagnucci Agathonicensis *in part. infid.* promotus 15 Martii 1867.
796 Caietanus Frane eschini Maceratensis et Tolentinus, prom. 27 Martii 1867.
797 Antonius Maria Fania Potentinus et Marsicensis, pr. eodem.
798 Andreas Formica Cuneensis, promotus eodem.
799 Carolus Savio Astensis, promotus eodem.
800 Laurentius Gastaldi Saluti arum, promotus eodem.
801 Eugenius Galletti Albae Po npeiensis, promotus eodem.
802 Antonius Colli Alexandrinus Statelliorum, prom. eodem.
803 Henricus Bindi Pistoriensis et Pratensis, promotus eodem.
804 Ioannes Zalka Iaurinensis, promotus eodem.
805 Leo Thomas Rupellensis, promotus eodem.
806 Ioseph Foulon Nanceyensis et Tullensis, promotus eodem.
807 * Augustinus Hacquard Verdunensis, promotus eodem.
808 Felix De Las Cases Constantiniaiius et Hipponensis, pr. eod.
809 Leo Meurin Ascalonensis *in part. inf.* promotus eodem.
810 Gabriel Capaccio Mellipotamensis *in p. inf.* pr. 10 Maii 1867.

811 Antonius Grech Delicata Cassia Testaferrata Gaudisiensis, promotus 17 Maii 1867.
812 * Ioannes Valsh Sandwicensis, promotus 4 Iulii 1867.
813 Ioannes Baptista Callot Oranensis, prom. 12 Iulii 1867.
814 -* Ioseph Cybichowski^Cinnensis *in part. inf.* prom. eodem.
815 Ioannes Baptista Zwerger Secoviensis, pr. 3 Augusti 1867.
816 Amatus Guilhert Vapincensis, 20 Septembris 1867.
817 * Marianus Cu artero y Medina Iarensis, promotus eodem.
818 Dominicus Raynaudi Aegensis *in part. inf.* pr. 12 Dec. 1867.
819 Cornelius Mac Cabe Ardagadensis, prom. 17 Decemb. 1867.
820 Raphael Corradi Balneoregiensis, prom, 20 Decembris 1867.
821 i$(Franciscus Gardozo Ayres Olindensis, pr. 20 Dec. 1867.
822 Theodorus Gravez Namurcensis, promotus eodem.
823 Philippus Krementz Varmiensis, promotus eodem.
824 Wenceslaus Achaval S. Ioannis de Cuyo, promotus eodem.
825 Antonius Ganzi Cyrenensis *in part. infid.* prom. eodem.
826 * Lotharius Kubel Leucensis *in part. infid.* prom. eodem.
827 * Paulus Puginier Mauriçastrensis *in part. infid.* promotus 6 Ianuarii 1868.
828 Michael Iacopi Pentacomiensis *in part. inf.* pr. 9 Febr. 1868.
829 Paulus Tosi Rhodiopolitanus *in part. infid.* prom. eodem.
830 Stephanus Fennelly Thermopilensis *in part. inf.* promotus 1 Martii 1868.
831 * Thomas Becker Wilmingtoniensis, prom. 3 Martii 1868.
832 Guillelmus O' Hara Scrantonensis, promotus eodem.
833 Ieremias Shanahan Harrisburgensis, promotus eodem.
834 * Ioseph Melcher Sinus Viridis, prom. eadem.
835 Michael Heiss Crossensis, prom. eodem.
836 * Ioannes Hogan S. Iosephi in America, prom. eodem.
837 Bernardus Mae Quaid Roffensis, prom. eodem.
838 Guillelmum Mac-Closkey Ludovicopolitanus, prom. eodem.
839 * Tobias Mullen Eriensis, promotus eodem.
840 Stephanus Ryan Buftalensis, prom. eodem.
841 Iacobus Gibbons Adramittensis *in part. inf.* prom. eodem.
842 Ludovicus Lootens Castabalensis *in part. inf.* prom. eodem.
843 * Ioseph Macheboeuf Epiphaniensis *in part. inf.* pr. eodem.
844 * Augustus Ravoux Limyrensis *in part. inf.* prom. 3 Martii 1868.
845 Ioannes Perger Cassoviensis, prom. 13 Martii 1868.

846 Carolus Bermundez Popayanensis, prom. eodem.
847 * Valerius Ximenez Medellensis et Antiochensis, pr. eod.
848 * Carolus Anthonis Costantiensis *in part. infid.* promotus 16 Martii 1868.
849 Salvator Magnasco Bolinensis *in part. infid.* pr. 7 Maii 1868.
850 Ioannes Bagalà Biasini Cydoniensis *in p. inf.* 12 Maii 1868.
851 Thomas Gentili Dionysiensis *in pari. infid.* pr. 7 Iunii 1868.
852 Ivo Maria Croc Larandensis *in part. inf.* pr. eodem.
853 Georgius Marchich Gatarenis, proin. 22 Iunii 1868.
854 Benedictus Sans y Fores Ovetensis, prom. eodem.
855 Ioseph de Urquinaona Ganariensis et S. Christophori de Laguna, .promotus 22 Iunii 1868.
856 * Michael Kuziemski Chelmensis et Beltiensis, pr. eodem.
857 * ioseph Torres De Arequipa, prom. eodem.
858 * Leander Rodríguez De La Gala Jucatanus, prom. eodem.
859 Vincentius Marquez De Antequera, prom. eodem.
860 * Raymundus Comaco De Queretaro, prom. eodem.
861 * Ioseph Salinas De Durango, prom. eodem.
862 * Victor Diez Corensis, promotus eodem.
863 * Ioseph Szabò Nilopolitanus *in part. inf.* prom. eodem.
864 * Franciscus Granado Trohadensis *in part. inf.* pr. eodem.
865 Adulphus Namszanowski Agathopolitanus *inpart. inf.* promotus eodem.
866 Franciscus Laouenan Flaviopolitanus *in part. inf.* promotus 5 Iulii 1868.
867 Ephraem Maria Garrelon Nemesinus *inpart. inf.* pr. eodem.
868 Leonardus Mellano Olympensis. *in part. inf.* prom. eodem.
869 Christophorus Bonjean Medensis *in part. inf.* pr. eodem.
870 Petrus Nuñez Cauriensis, prom. 24 Septembris 1868.
871 Petrus De Lacerda S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, pr. eod.
872 Callixtus Glavigo Pacensis in Bolivia, pr. eodem.
873 * Ioannes Kraft Gastoriensis *in part. inf.* prom. eodem.
874 * Ignatius Mrak Marianopolitanus et Marquettensis, prom. 25 Septembris 1868.
875 * Ioannes Sallepoint Dorylensis *in part. inf.* pr. eodem.
876 * Franciscus Tagliabue Pompejopolitanus *inpart. inf.* pr. eod.
877 Ioannes Mac-Donald Nicopolitanus *in part. inf.* promotus 3 Decembris 1868.
878 Ioannes Baptista Maneschi Verulanus, pr. 21 Decembr. 1868.

879 Ioseph Orrego De Serena, prom. eodem.
880 Gaspar Willi Antipatrensis *in part. inf.* prom. eodem.
881 Gabriel F arso Mardensis rit. chaldaic. pr. 22 Martii 1869.
882 Stephanus Lipovniczky de Lipovnok Magnovaradinensis, promotus 20 Aprilis 1869.
883 * Felix Ridel Philippopolitanus *in part. inf.* prom. 27 Aprilis 1869.
884 * Petrus Van Ewjik Camacensis *in part. inf.* promotus 8 Iunii 1869.
885 Sigismundus Kovács Quinque Ecclesiensis, pr. 25 Iun. 1869.
886 * loseph Vriarte De Sonora, prom. eodem.
887 * Emmanuel De Conde S. Aloisii Potosiensis, pr. eodem.
888 * Antonius Yturralde Ibarrensis, prom. eodem.
8b9 Alexander Valsecchi Tiberiadensis *in part. inf.* pr. eodem.
890 * Ioseph Aristegui Himeriensis, *in part. inf.* prom. eodem.
891 * Petrus Baltes Altonensis, prom. 24 Septembris 1869.
892 * Augustus Maria Toëbbe Convinctoniensis, prom. eodem-
893 Timotheus O'Mahony Armidalensis, pr. 1 Octobris 1869.
894 * Martinus Griver Tloanus *in part. inf.* promotus eodem.
895 Marcellus Touvier Olenensis *in part. infid.* prom. eodem.
896 Basilius Nasser Heliopolitanus, rit. graec. melchit. promotus 17 Octobris 1869.
897 * Emericus Szabò Sabariensis, promotus 22 Octob. 1869.
898 * Robertus Mayr Paneadensis *in part. inf.* prom. eodem.
899 * Thomas Foley Pergamensis *in part. inf.* pr. 19 Nov. 1869.
900 Iosephus De Hefele Rottemburgensis, pr. 22 Novemb. 1869.
901 Germanus Villalvaso De Chiapa, promotus eodem.
902 * Franciscus Xaverius Rodríguez S. Crucis De Sierra, promotus eodem.
903 * Ioseph Lizarzabaru Guayaquilensis, prom. eodem.
904 * Ioseph Isaza Evariensis *in part. inf.* prom. eodem.
905 * Ioannes Cirino Derbensis, *in part. inf.* prom. eodem.
906 Ioannes Barbero Dolychensis *in part. inf.* pr. 21 Ian. 1870.
907 * Ioseph Perché Abderitanus *in. part. inf.* pr. 8 Febr. 1870.
908 * Gaspar Borgess Calydoniensis *in part. inf.* prom. eodem.
909 Ioannes Cameron Titopolitanus *in partibus infid.* promotus 11 Martii 1870.
910 * Gerardus Bray Lengonensis *in part. inf.* pr. 15 Mart. 1870.
911 Petrus Paulus De Cuttoli Adiacensis, pr. 21 Martii 1870.

912 Carolus Freppel Andegavensis, prom. eodem.
913 Ioseph Reyne Guadalupensis, prom. eodem.
914 Emmanuel Restrepo Pastopolitanus, prom. eodem.
915 * Ignatius Parra Panamensis, prom. eodem.
916 * Ioseph Maria Mora Verae Crucis, prom eodem.
917 * Fridericus Aneyros Aulonensis *in part. inf.* prom. eodem.

ABBATES NULLIUS DIOECESEOS

Reverendi Patres

918 Guillelmus De Cesare, Generalis Congregationis Virginianae Montis Virginis, prom. 9 Maii 1859.
919 Iulius De Ruggero, Ord. S. Benedicti SS. Trinitatis Cavensis, prom. 18 Novembris 1860.
920 Carolus De Vera, O. S. Benedicti Montis Cassini, promotus 23 Maii 1863.
921 * Ioannes Kruesz, O. S. B. S. Martini in Monte Pannoniae promotus 5 Septembris 1865.
922 Leopoldus Zelli Iacobuzzi, O. S. B. S. Pauli de Urbe prom. 28 Augusti 1867.
923 Romaricus Flugi, O. S. B. SS. Nicolai et Benedicti Monaeci, prom. 21 Maii 1868.

ABBATES GENERALES ORDINUM MONASTICORUM MITRAE USUM HABENTES

Reverendi Patres

924 Henricus Van den Wymelenberg, Abbas Monasterii S. Agathae Cuykensis, Magister Generalis Ordinis Canonicorum Regularium Ordinis S. Crucis.
925 Albertus Passeri, Abbas Canonicae S. Agnetis extra Urbis moenia, Vicarius Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium SS. Salvatoris.

926 * Aloisius Garces, Abbas Monasterii SS. Salvatoris Messanensis, Visitator Generalis Ordinis SS. Basilii ritus graeci.
927 * Ludovicus Paschalis Prosper Guéranger, Abbas Monasterii S. Petri de Solesmis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Galliae.
928 Enricus Schmid, Abbas Monasterii S. Mariae Einsiedlensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Helvetiae.
929 Richardus Placidas Bürchau, Abbas Monasterii S. Petri Westmonasteriensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Angliae.
930 Bonifacius Wimmer, Abbas Monasterii S. Vincentii in Pensylvania Ordin. S. Benedicti, Praeses Congregationis Americanae in statibus foedere iunctis.
931 Utto Lang, Abbas Monasterii S. Michaelis Mettensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Bavariae.
932 Henricus Corvaja, Abbas Monasterii S. Flaviae Calatanisiadensis Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Italiae.
933 * Emmanuel a S. Caietano, Pinto, Abbas Monasterii S. Sebastiani Bahiae Omnium Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Praeses Congregationis Brasiliae.
934 Germanus Gai, Abbas Monasterii S. Praxedis de Urbe, Generalis Congregationis Vallis Umbrosae.
935 Theobaldus Cesari, Abbas Monasterii S. Bernardi ad Thermas de Urbe, Generalis Ordinis Cisterciensis.
936 Adamus Adami, Abbas Monasterii S. Benedicti Fabrianensis, Generalis Congregationis Silvestriiiae.
937 Elisaeus Elias, Ordinis S. Antonii, Abbas Generalis Congregationis-S. Hormisdae ritus chaldaici.
938 * Georgius Scebbabi, Ordinis S. Antonii, Abbas Generalis Congregationis Aleppinae rit. maronit.
939 * Ephraem Bscerrani, Ordinis S. Antonii, Abbas Generalis Congregationis Baladitae rit. maronit.
940 * Ioseph Badhati, Ordinis S. Antonii, Abbas Generalis Congregationis S. Isaiae rit. maronit.
941 * Ioannes Kahhil, Ordinis S. Basilii, Abbas Generalis Congregationis SS. Salvatoris rit. graec. melch.it.
942 Basilius Grifoni, Ordinis S. Benedicti, Abbas Monasterii SS. Andreae et Gregorii in monte Coelio, Vicarius Generalis Congregationis Camaldulensis.

943 Thimotheus Gruyer, Abbas Domus Dei B. Mariae de Trappa, Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensis recentioris reformationis in Gallia.

944 Ephraem van der Meulen, Abbas montis Olivarum B. Mariae de Trappa, Vicarius Generalis Ordinis Gisterciensis antiquioris reformationis in Gallia.

945 Benedictus Santini, Ordinis S. Benedicti, Abbas Archicoenobii Montis Oliveti maioris in Hetruria, Vicarius Generalis Congregationis Olivetanaè.

946 R. D. Casimirus Sosnowski, Decanus Ecclesiae Chathedralis Lublinensis, Administrator Apostolicus Dioecesis Podlachiensis in Imperio Russiae.

MODERATORES ET VICARII GENERALES

CONGREGATIONUM CLERICORUM REGULARIUM

Reverendi Patres

947 Alexander Maria Teppa, Praepositus Generalis Congregationis S. Pauli.

948 Bernardinus Sandrini, Praepositus Generalis Congregationis Somaschae.

949 Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Iesu.

950 Quiricus Quirici, Rector Generalis Congregationis Matris Dei.

951 Ioseph a Calasanctio Casanovas, Praepositus Generalis Congregationis Scholarum Piarum.

952 Franciscus Maria Cirino, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

953 Ioseph Maria Novaro, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium Minorum.

954 Caminus Guardi, Vicarius Generalis Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium.

ORDINUM MONASTICORUM

Reverendi Patres

955 * Gregorius Cioci, Ordinis S. Benedicti, Maior Eremitarum Camaldulensium Congregationis Hetruriae.
956 * Rinaldus Lesti, Ordinis S. Benedicti, Maior Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae.
957 Carolus Maria Saisson, Prior Generalis Ordinis Carthusianorum.
958 * Thomas Cabbasce, Ordinis S. Basilii, Abbas Generalis Congregationis Soaritae Aleppinae ritus graec. Melchit.
959 * Demetrius Giamed, Ordinis S. Basilii Abbas Generalis Congregationis Soaritae Baladitae ritus graec. melchit.

ORDINUM MENDICANTIUM

Reverendi Patres

960 Vincentius Jandel, Magister Generalis Ord. Praedicatorum.
961 Bernardinus a Portogruario, Minister Generalis Ord. Min.
962 Ludovicus Marangoni, Minister Generalis Ord. Min. Conv.
963 Nicolaus a Sancto Ioanne, Minister Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum.
964 Ioannes Bellomini, Prior Generalis Ord. Erem. S. Augustini.
965 Dominicus a Sancto Ioseph, Praepositus Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.
966 Ioannes Angelus Mondani, Prior Generalis Ordinis Servorum B. M. V.
967 Raphael Ricca, Corrector Generalis Ordinis Minimorum.
968 Benedictus a Virgine, Minister Generalis FF. Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.
969 Carmelus Patergnani, Generalis Ordinis Hieronymiani Congregationis B. Petri a Pisis.
970 Victorius Menghini, Generalis Ordinis FF. Poenitentiae.

971 Franciscus Salerni, Vicarius Generalis Tertii Ordinis Regularis S. Francisci.
972 Innocentius a Sancto Alberto, Vicarius Generalis Ordinis FF. Discalceatorum S. Augustini.
973 Angelus Savini, Vicarius Generalis Ordinis Carmelitarum Veteris Observantiae.
974 Iosaph Maria Rodriguez, Vicarius Generalis Realis et Militaris Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Gaptiv.
975 Antonius Martin y Bienes, Vicarius Generalis Primi Ordinis SS. Trinitatis.

- SACRI CONCILII PATRES

Qui a die S Decembris 1869 *ad diem* 30 *Aprilis* 1870

OBIERUNT

Franciscus Pentini S. R. E. Card. Diaconus S. Mariae in Porticu.
Carolus di Reisach S. E. R. Cardinalis Episcopus Sabinensis.
Eustachius Gonella S. E. R. Cardinalis Presb. S. Mariae super Minervam Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis.
Antonius Manastyrski Episcopus Presmiliensis.
Bernardinus Frascolla Episcopus Fodianus.
Eduardus Vasquez Episcopus Panamensis.
Franciscus Suarez Peredo Episcopus Verae Crucis.
Bernardus Mascarou Laurence Episcopus Tarbiensis.
Marianus Puigllat y Amigo Episcopus Illerdiensis.
Basilius Gil y Bueno Episcopus Oscensis et Barbastrensis.
Hieronymus Zeidler Abbas, Praeses Generalis Ordinis Praemonstratensium.
Raphael Biale Episcopus Albiganensis.

Reliquos, qui mense Maio obierunt, indicavimus per J $ I

•aa-

EX S. CONGREGATIONE
CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 18 Decembris 1869 et 28 Maii 1870.

Compendium facti. Antonius quinque et viginti annos natus matrimonium contraxit cum Rosa, puella decem et novem annos nata.

Eiusmodi nuptiae laetanter celebratae faustum non habuerunt exitum. Quandoquidem uxor sex fere dies et noctes nec blanditiis nec increpationibus nec minis et violentus ad matrimonii consummationem induci potuisse affirmatur. Quamobrem tantum inter hos coniuges exarsit odium, ut vir, sexta iam revertente die, uxorem suam ad parentes iterum iterumque reversam recipere amplius noluerit, et mulier se paratiorem esse ad necem sibi ingerendam, quam ad cohabitationem cum viro impudico et crudeli, ut ait, iterum capessendam dixerit.

Incredibile dictu est, quantum parentes, Parochus, Archidiaconus districtualis, aliique adlaboraverat, ut reconciliatis animis optata pax et concordia tandem aliquando floreret: sed quum omnia in irritum cessissent, Sedis episcopalis Consistorium die 27 Ianuarii 1859 in id consilii venit, ut separatam eis habitationem permitteret usque dum ad saniora consilia reverterentur.

Elapsi inde sunt tres anni quin aliqua reconciliationis spes affulgeret; immo in dies odia et scandala succrescebant. Quare eius dioecesis Antistes a SS.mo D. N. die 28 Octobris 1864 efflagitavit, ut super huiusmodi matrimonio dispensare dignaretur.

His precibus ablegatis ad S. Congregationem Concilii, ut in ea, ratione paupertatis coniugum, oeconomice causa tractaretur, rescriptum est Episcopo, ut *praevia confectione processus tam super non secuta matrimonii consummatione, quam super*

causis dispensationis, servatis servandis, ac praesertim forma Constitutionis sa. me. Benedicti XIV Dei miseratione, *moneat partes ad deducendum iura sua coram S. Congregatione, processum ipsum in copia authentica ad eandem S. Congregationem transmittat.*

Huiusmodi mandata Episcopus plenissime adimplevit. Namque adlecto defensore matrimonii illico ad examen sub iuramento vocati sunt coniuges, septima" manus, et nonnulli alii testes.

Mulier accuratam historiam eorum,dierum narravit affirmans se numquam consummare voluisse matrimonium: idem repetiit vir. Causa autem ob quam obfirmato animo numquam Ro sa voluerit convenire, ea erat, quod ipsa nesciret talem turpitudinem matrimonio iunctam esse; ac pro certo haberet, eam posse cum viro degere vitam, quam antea cum parentibus degere consueverat: simulque affirmavit, se usum corporis neque huic, neque ulli alteri viro umquam esse praebituram. Matrimonium, autem se contraxisse dixit ex suasionibus matris.

Testes septimae manus omnes testati sunt, coniuges probos, honestos et fide dignos esse et se tenere matrimonium haud fuisse consummatum: quod et alii testes deposuerunt.

Denique inspectio corporis per obstetrices omni diligentia peracta est et unanimi consensione intemeratam eau esse adhuc virginem conclusum est.

Hisce omnibus ad-exitum perductis, Episcopus processum ad S. C. transmisit, votum suum exprimens pro dispensatione matrimonii, ut remedium pluribus inde derivantibus malis afferretur.

Habitus processus datus est tum Theologo tum Canonistae, ut votum suum traderent; quibus omnibus ad Matrimonii defensorem ex officio datis, ab eoque animadversionibus de more factis, causa coram S. C. proposita est.

Tum Theologus tum Canonista ostenderunt matrimonium non fuisse consummatum; quod quidem ex ipsis processus actis scatebat. Ostenderunt pariter causas plures concurrere, quae idoneae essent ad consulendum SS.mum Patrem pro concedenda dispensatione, inter quas Canonista et illam innuebat, quod improbabile non esset mulierem morbo aliquo frigiditatis laborare, quod et in mulieribus dari posset.

Defensor matrimonii ex officio denegandam esse contendebat saltem dispensationem ; tum ex obligatione quae ex matrimonio dérivât docente Apostolo Paulo 1 *Gorinth.* c. 7, 3: « Uxori « vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui « corporis potestatem non habet, sed vir. » Item ad Ephesios « c. 5, 22: « Mulieres viris subditae sint, sicut Domino etc. » Tam ex eo quod in alia huius generis causa *Bambergen. Matrimonii* diei 15 Martii 1856 S. Congregatio dispensationem denegandam esse censuerit.

Expedit facti speciem huius causae referre. Iosephus aetate provectus cum Catharina matrimonium contraxerat. Viri domum mulier adducta numquam induci potuit ut officio matrimoniali operam daret, demum pertaesa in propriam domum revertit.

Paulo post vir, consentiente muliere, iudicio contendit pro declaratione nullitatis matrimonii ex defectu consensus ob errorem vel ignorantiam mulieris in officio matrimoniali : sed causa cecidit, et prima sententia fuit confirmata a iudicibus secundae et tertiae instantiae. Denique ad S. Sedem idem vir confugit, ut matrimonii nullitatem declararet aut saltem per dispensationem Apostolicam matrimonium dissolverei

Tum Theologus tum Canonista concordes erant in aestimando matrimonio tantum rato et non consummato : sed tamen deerant penitus causae dispensationis, quum mulier parata semet postea exhibuerit ad matrimonium consummandum, neque ipsa esset quae solutionem peteret. Proposito autem dubio : « an sit « consulendum SS.mo pro dispensatione a matrimonio rato et « non consummato in casu ». S. Congregatio respondit : *negative st amplius.*

Dubium.

« An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio « rato et non consummato in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita die 18 Decembris 1869», respondere censuit : *Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione: idque notificetur eidem mulieri ante novam propositionem.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. Episcopus mandato S. Congregationis obsequens respondit: « Perceptis litteris Eminentiae Vestrae

«cum muliere, prout mihi commissum fuerat, per Parochum lo-
« calem, qui una Vice-Archi diaconus districtualis est, illico com-
« municavi. Mulier Rosa N. apprime intelligendo statum quae-
« stionis respondit, in hanc conditionem se plene acquiescere;
« immo hoc sensu novam, quae stat in promissis, propositionem
« se maxime urgere, ut huic causae iam in duodecimum annum
« dilatae tandem finis imponatur: de nuptiis novis dixit, se nunc
« saltem et adhuc minime cogitare, si tamen propitio Deo in fu-
« turum eas aliquando anhelaret, inconsulta S. Congregatione,
« se nullo modo inituram ».

Novae animadversiones conscriptae sunt a Defensore matrimonii, qui totus in eo erat, ut inculcaret, matrimonium ratum non debere sine gravibus causis dissolvi : cogendam mulierem esse per ecclesiasticas censuras, ut debito coniugali satisfaceret, quum ipsa, contracto matrimonio, potestatem sui corporis non habeat, sed eius vir; matrimonium esse consortium omnis vitae. Facta itaque nova causae propositione iuxta methodum praescriptam in Benedictina Constitutione *Dei miseratione,* ad dubitandi formulam: « an sit standum vel recedendum a decisis in casu » : S. Congregatio die 28 Maii 1870 respondit : *In decisis.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Matrimonium validum esse, quamquam aliquis ex coniugibus postea ignorasse se dicat matrimoniale debitum, eoque cognito non fuisse matrimonium initurum affirmet.

II. Ut enim contractus quivis validus sit (maxime si non unam tantum obligationem secumferat), non exigitur, ut singula officia et obbligationes cognoscant contrahentes, quae ex ipso contractu derivent: sed satis est, ut voluntas contrahentium feratur in contractum universim sumptum prout ab aliis frequentari consueverit.

III. Manente matrimonio tantum rato ex obstinata mulieris renuentia, animorum dissociatione superveniente, si spes non affulgeat, coniuges individuam vitae consuetudinem inituros, implorari utiliter posse Apostolicam dispensationem.

IV. In praesenti vero themate praeter inconciliabilem dissociationem animorum ex dicta causa neque suspicionem defuisse mulierem aliquo frigiditatis vitio laborare.

IMMISSIONIS

Die 4 Septembris 1869 et 26 Martii 1870.

Compendium facti. Franciscus B suo testamento anno 1870 instituit capellaniam hisce verbis : « *constituit et fundat iuspatronatus laicale sub invocatione S. Margaritae fundandum et erigendum in altare eiusdem Sanctae, quod existit in templo* 2V, *declarans et protestons, dictum iuspatronatus esse debere mere laicale, neque ullam habeat mixturam ecclesiasticam, ita ut nec ecclesia nec persona aliqua nomine ecclesiae possit aliquo modo sese ingerere ex quocumque titulo* ».

Quoad ius activum nominandi seu praesentandi, haec constituit : « *dictum iuspatronatus liberum maneat et immune favore personarum pro quibus ipsum testator instituit, commendans et iubens ius praesentandi esse debere tum masculorum tum feminarum ex Petro B eius germano fratre eorundemque heredibus et descendentibus in infinitum...* »

Quoad ius passivum disposuit: *quod si casus detur, quod dicti mei heredes et nepotes eorundemque familia in infinitum essent Clerici atque solum possent retinere dictum Beneficium seu iuspatronatus, nunc pro tunc nomino unum ex eis qui sit magis idoneus* ».

Bonorum dotem huic Beneficio constituit: atque onus, quod Capellano iniunxit, consistit in celebratione Missae singulis Sabbatis a nominato et praesentato Capellano. Immo si possessionem Capellaniae caperent Clerici, qui nondum Sacerdotio essent initiati aut nollent ad Sacerdotium progredi, quum tamquam Beneficiarii tenerentur satisfacere Missae celebrationi, possent eam celebrare per alios.

Voluit denique, ut capellania tum erigeretur, quando eius uxor ac heres usufructuaria migrasset e vita.

Anno 1719 eius uxor e vita migravit: sed nullum vestigium habetur de aliqua capellaniae erectione : constat tamen quendam Clericum Philippum M institutum tunc fuisse in capellania *institutionibus litteris* ab Ordinario habitis quamvis extraneus a cognatione testatoris; eidemque Philippo successisse anno 1785

alium Clericum de cognatione testatoris, sed per similes episco pales litteras seu bullas *institutionales,* uti eas appellabant.

Anno 1810 capellanía vacante pronepos ex Petro B. paupertate pressus a Summo Pontifice Pio VII fe. rec. obtinuit, ut administratio capellaniae in sua familia consisteret tum pro se tum pro suis descendentibus in infinitum cum emolumento reddituum satisfactis oneribus. Perduravit descendentia eius masculina usque ad annum 1855.

Vidua superstes eiusque filiae novum Indultum ratione paupertatis sunt consequutae his verbis conceptum: *« pro gratia ad decennium, deputato idoneo administratore ecclesiastico viro, qui impletis oneribus, residuales tedditus tradat Oratrici in. sui suaeque familiae sustentationem arbitrio et conscientia Episcopi ».* Adveniente huius Rescripti termino, renovatisque precibus pro eiusdem Indulti prorogatione, obstitit quidam Benedictus Clericus, qui descendit ex familia B per feminas, contendens « sibi pertinere capellaniam seu bonorum possessionem: atque Rescriptum prodiit: *non esse locum prorogationi Indulti, relicto tamen usu domus favore viduae eiusque filiae donec maneant innuptae, facto cum SS.mo.*

Inde quaedam orta est quaestio inter Clericum Benedictum et viduam super quadam bonorum capellaniae parte et per Curiae episcopalis sententiam victor Benedictus extitit, qui per sententiam possessionem bonorum obtinuit: sed habitu clericali derelicto medicinae studio sese addixit.

Dum illa quaestio in Curia episcopali agebatur, alter prognatus e familia B, nomine Alphonsus, adolescens, tonsuram clericalem recepit.

Appellante vero vidua a sententia Curiae ad S. C. C. ea praesertim de causa, ut posset bonorum possessionem retinere, tunc dictus adolescens Clericus Alphonsus postulavit a S. Sede interventum in causa, ut sibi capellaniam vindicarent: quare tres contendentes possessionem bonorum capellaniae petebant,

Disceptatio synoptica.

IURA VIDUAE. Vidua B, eiusdemque filia insistebant dicentes neutrum postulantium Clericorum frui posse possessione bonorum capellaniae, ex ea ratione quod capellanía esset ecclesia-

stica, non laicalis; esset videlicet verum ecclesiasticum Beneficium per litteras Bullares Episcopi consequendum, seu per canonicam institutionem: idque emebant ex eo, quod ante collata fuerit per litteras episcopales *institutionales,* quae ab Ordinariis expediuntur quando agitur de Beneficio ecclesiastico. Neque censendum esse inquiebant id factum fuisse ex errore; sed ex ipsa capellaniae natura: ubi enim capellania instituatur, quae habeat peculiarem dotem, proprium titutulum, suum altare, certum Missarum onus, ecclesiasticam esse reputandam.

Atqui neminem ex duobus Clericis obtinuisse ab Episcopo canonicam institutionem; ergo bonis capellaniae neutrum frui. posse.

Neque canonicam institutionem alterutri Clericorum posse ab Episcopo dari; propterea quod Dominicus habitum clericalem derelinquens omni iuri eo ipso ad optinendum ecclesiasticum Beneficium valedixerit; Alphonsus vero in aetate constitutus non esset, quam sacri canones exigant ad obtinendum Beneficium: ideoque quum neuter esset idoneus infirmandam esse Curiae sententiam, quae bonorum possessionem ipsis mulieribus subtrahens Benedicto adiudicaverat.

I**URA** B**ENEDICTI**. Hic animadvertens contra Alphonsum, se progenie fundatoris derivantem et sacra tonsura initiatum consequutum fuisse per sententiam Curiae bonorum possessionem, quin ullus obsisteret, contendebat, non posse removeri ab hoc acquisito iure, idque ostendere curabat, tum quia capellania non amplius vacans censenda esset sed plena, ideoque serotinus nimis esset interventus in causa ab Alphonso postulatus; tum quia nulla ratio suppeteret cur ab acquisito iure per Curiae sententiam repelleretur. Affirmabat enim dimissionem habitus clericalis non ipso iure repellere Clericum a Capellaniae possessione; sèd opus esse ut trina canonica admonitio praecedat, iuxta Constitutionem Benedicti XIII, diei 1 Octobris 1724, quae incipit *In supremo militantis.*

I**URA** A**LPHONSI**. Alphonsi Orator, allegatis testatoris verbis, contendit capellaniam de qua agimus laicalem omnimode esse; attamen Capellanum clericum esse debere, iuxta casum, quem expendit Rigantius in *Reg.* 58 *Cancellariae n.* 59; ideoque mulieres eius bona possidere non posse. Neque opponi posse litteras *institutionales,* quibus una alteraque vice Episcopi Capel

laniam contulerint quasi vero esset ecclesiastica non laicalis: non enim per unum alterunque actum episcopalem capellaniam suam posse immutare naturam, ceu passim ab Auctoribus traditur.

Exclusis itaque feminis a possessione bonorum totam quaestionem versari inter Benedictum et Alphonsum, quum uterque sacra tonsura initiati et eodem parentelae gradu reperirentur. Verum hoc in casu testatorem dispòsuisse ut *magis idoneus* praeferatur.

Quum autem testator non significasset conditiones quibus magis idoneus iudicaretur, eas desumendas esse ex communi iure. Ex duplici autem causa praeferendum esse Alphonsum Benedicto, tum quia Alphonsus Clericus esset et ut Clericus se gereret; contra vero Benedictus Clericali militiae renunciaverit habitu dimisso et in medicinae artem incumbens, tum quia Alphonsus pauper esset, et Benedictus dives.

Contra primam rationem obiici non posse illud testatoris dictum, quod Clerici possent satisfacere celebrationi Missae per alium si ad Sacerdotium nollent ascendere: namque respondebat iuxta eandem mentem testatoris esse, ut Clerici permaneant, qui idonei essent ad Beneficium (sic capellaniam appellabat testator) obtinendum possidendumque : non posse autem considerari tamquam Beneficiarium qui derelicto habitu clericali negotiis saecularibus se tradat: quod contra ss. canones esset.

His accedere consuetudinem qua a sua origine semper Clericis capellanía esset tradita: quod si ab anno 1810 aliud contigerit, ex gratia et indulgentia Apostolica factum esset.

Ad secundam rationem confirmandam, inquiebat Orator, inter causas ad unum alteri praeferendum recenseri paupertatem; iuxta textum in Cap. *Is cui, de Praeb, in* 6°, ubiAmostaxo cum aliis tradit: « est et alia causa in Beneficiis praelati va,
« nempe paupertas : quapropter quotiens pauper concurrit cum
« divite pariter idoneo est ille praeferendus, quia in egeno non
« solum concurrit gratia, verum etiam pietas et misericordia ».

Quum itaque Alphonsus clericus esset et ecclesiae ut clericus deserviret, quum canonicae leges magis suffragentur Clericis pauperibus quam divitibus, sponte fluere, Alphonsum esse magis idoneum quam Benedictus ad obtinendam capellaniam.

Dubium.

« An, et quomodo, et cuius favore danda sit immissio in casu ».

RESPONSIO. S. Congregatio causa cognita die 4 Septembris 1869 distulit Resolutionem rescribens: *Dilata et scribatur Episcopo ut perquisitis actis Cancellariae et SS. Visitationum referat de natura capellaniae.*

Sed perquisitione in Curia episcopali peracta nihil repertum est quod ad rem faceret. Episcopus tamen animadvertit Bullas episcopales, licet ut argumentum afferri possint ad dicendam capellaniam ecclesiasticam; non posse tamen immutare voluntatem fundatoris.

Itaque proposita causa sub eadem dubitandi formula die 26 Martii 1870 S. Congregatio respondere censuit: *Affirmative favore Clerici* (Iosephi) *praevia dispensatione super aetate et deputato per Episcopum ecclesiastico bonorum administratore.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Non debere confundi iuspatronatus laicale cum Beneficio seu capellania laicali (1).

(1) Beneficia laicalia, seu melius capellaniae laicales vel legata pia, sunt quaedam piae institutiones, in quibus auctoritas ecclesiastica *non* aliam partem habet praeter eam quae a fundatoribus et a iure conceditur. Quod autem a iure conceditur est ut invigilent ne voluntas pii fundatoris pervertatur. Quare si a fundatore excludatur auctoritas ecclesiastica, ea non potest intervenire " nisi ad admitten dam hanc ipsam voluntatem fundatoris et ad vigilandum, ut voluntas testatoris servetur, nisi et in hoc excludatur, de qua re videsis tamen quae scripsi in Ap. X *Vol. II p. 369.*

Capellaniae ecclesiasticae iurispatronatus lalicalis sunt institutiones vere ecclesiasticae et considerantur et sunt Beneficia ecclesiastica: iuspatronatus enim sive pertineat ad" laicos sive ad ecclesiasticos ratione ecclesiastici tituli (quo casu ius patronatus ecclesiasticum appellatur), efficit tantum ut Beneficia ecclesiastica non sint liberae collationis.

Iuspatronatus enim sive laicale sive ecclesiasticum tribuit ius patronis praesentandi idoneos et dignos ad Beneficia ecclesiastica: et Episcopus tenetur acceptare hos idoneos et dignos praesentatos, quos tamen sua auctoritate in Beneficia eceh siastica immittit; quae immissio appellatur canonica institutio. Quum autem fiat auctoritate episcopali expediuntur litterae solemnes, quibus ecclesiastica auctoritas manifestatur.

II. Indicia praecipua capellaniae ecclesiasticae esse fundationem ab Institutore imperatam, quae non excludat auctoritatis ecclesiasticae interventum per solemne erectionis Decretum: capellaniae naturam, quae omnia ea requisita habeat quae soleant esse Beneficiorum ecclesiasticorum: modum quo fuerit intellecta fundatio, tempore fundationi proximo, ab iis quorum intersit.

III. In praesenti themate haec omnia videri cucurrisse ad iudicandam capellaniam ecclesiasticam; verba enim *mere laicale* et similia, non esse ab Institutore relata ad capellaniam; sed ad iuspatronatus, quod voluit non ecclesiasticum, sed laicale (1).

(1) Confer causam quam exposui *pag. 197 et seqq.*

IRREGULARITATIS

Die 19 Februarii 1870.

Summaria precum. Ioannes Parochus et Vicarius Foraneus oppidi N quatuor et quadraginta annos natus apoplético morbo correptus anno 1868 usum brachii sinistri amisit. Auxilio medicae artis nunc deambulare et brachium movere potest etsi liberum eiusdem artus exercitium nondum recuperavi!.

Preces SSmo Patri admovit implorans, ut Missae sacrificium hisce in adiunctis litare legitime posset : namque, ut notum est, corpore vitiati quorum vitium, vel dedecus in sacrificio litando induceret, vel observantiam caeremoniarum sacrarum impediret ex iure et ecclesiastica consuetudine arcentur a sacrificio litando, et ideo irregulares dicuntur.

Dictis precibus habitis, Episcopus de more rogatus est, ut peracto experimento coram caeremoniarum magistro referret, an adsit irreverentiae periculum in peragendis Sacrificii actibus, qui respondit: Sacerdotem Ioannem, experimento facto, Missam celebrare coram populo sicut celebrare soleant senes aetate confecti... unicum defectum consistere in sinistra manu et brachio, quod elevare non posset altius quam altaris mensa : illud tamen ac manum extendere posse usque ad pedem calicis: posse quidem, quamquam leviter, frangere sacram hostiam super patenam: patientia aliqua colligere fragmenta, purificare calicem eundemque cooperire et discooperire : haec omnia facere posse per se sine alterius auxilio quin adsit evidens irreverentiae periculum.

Quod si ab alio Sacerdote coadiuvaretur multo melius res procederent. Haec ex relatione habita a magistro caeremoniarum. Inde exorabat Episcopus, ut cum eo S. Sedes omni indulgentia uteretur, propterea quod optimus esset Presbyter cui media deerant ad vitam sustentandam.

Consuetis animadversionibus ex officio factis, quae colligi possunt in causis huius generis alias adductis, quarum animadversionum praecipua est, ut S. Sedes largius agat in indulgendo cum iam promotis ad sacros ordines, quam cum promovendis; precibus propositis in Congregatione habita die 19 Februarii 1870,

S. Congregatio rescripsit: *Pro gratia dispensationis cum adsistentia alterius Sacerdotis vel saltem Diaconi, dummodo morbus non augeatur.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Unicam rationem ob quam aliquis ex vitio corporis irregularis dicitur ad sacrificium litandum, esse irreverentiam vel irreverentiae periculum.

II. Quare duplici saltem sensu vocem *irregulärem* in canonica iurisprudentia accipi solere.

III. Primo consuetoque sensu irregulärem dici, qui ex facto proprio talis evaserit, ut absolute a sacro omni ministerio iure arceatur, ut ille qui violet censuras legittime inflictas.

IV. Altero sensu dici irregulärem, qui ob physicum defectum iure vel consuetudine a sacro litando arcetur ob irreverentiam.

V. Ex hoc discrimine consequi, ut qui primo modo irregularis evaserit habilitan non possit nisi per Apostolicam facultatem ; qui vero altero modo irregularis sit, tamdiu sine Apostolica venia irregulärem manere causa sacrificii litandi, quamdiu maneat irreverentiae periculum.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

IURIS FUNERANDI.

Die 6 Maii 1870.

Compendium facti. In oppido N, in Italia quoddam Regularium coenobium extat quod in universali Regularium suppressione incolume mansit. Traditur, oppidanos illos, quum a suo paroeciali templo multum distarent, sepultos fuisse ab immemorabili tempore in eorundem Regularium ecclesia.

At vero sequiore tempore, erecta paroeciali ecclesia in eodem oppido N, quaestiones exortae sunt inter Parochum et Regulares circa ius sepeliendi et funerandi, ad quas extinguendas anno 1744 pacta quaedam inter eos inita sunt atque firmata: in eiusmodi transactione conventum inter eos est, funera et tumulationem eorum, qui destituti essent gentilitio sepulcro, aut mortui essent sine sepulcri electione, alternis vicibus uno mense ad ecclesiam Regularium, altero vero ad ecclesiam paroecialem peragi debere. Eiusmodi pacta confirmata fuerunt a S. C. Epis, et Reg. die 21 Maii 1745, eademque ex consensu partium ampliata anno 1763 et firmata ab eadem S. C. Controversiae non omnino siluerunt, attamen eadem pacta servata sunt usque ad annum 1861, quo tempore ab usurpatore Gubernio, Regularibus suppressis atque erectione coemeteriorum publicorum indicta, Parochus existimare visus est, se a dictis pactis esse solutum.

Novis itaque controversiis exortis, Episcopus decrevit, ut firma manerent Regularium iura tum vi communis iuris, tum specialis iuris in transactione constituti.

At vero quum funera celebrare pergeret Parochus in sua ecclesia, nulla habita ratione mensium, Regulares preces por rexerunt S. Congregationi exponentes, se damnum ex hac Pa-

rochi ratione agendi subiisse libell- 1400; illudque sibi esse gravissimum, propterea quod vivere non possent ex tenuibus pensionibus quas, subtractis bonis, Gubernium rependeret.

Rogatus de more Episcopus inter cetera retulit, petitionem Regularium S. Congregationi exhibitam reduci videri ad damnum quod subierint ob neglecta pacta ; nihilominus totam iuris quaestionem esse dirimendam ; quod si quaestio, violatis sacris canonibus, moveretur apud civilia tribunalia, inita et confirmata Regularium pacta a Gubernio forte non admitterentur ob legem suppressionis ; suamque esse sententiam, ut omissa .quaestione de damno quod difficile esset aestimare ob contradictionem partium, in posterum leges ecclesiasticae, nominatim vero praescriptiones synodales servarentur ; maxime autem id quod respiceret prohibitionem ne augerentur taxae ratione funeris in ecclesia Regularium peragendi : rogavit etiam, ut tolleretur usus, qui invaluerat, determinandi occasione Baptismatis ecclesiam funerum, si puer moreretur : concludebat autem servanda esse pacta anni 1744.

Servatis de more servandis causa proposita est coram S. G- sub dubitandi formulis quas infra ponimus.

Disceptatio synoptiea.

IURA PAROCHI. Inquiebat Parochus testatores, parentes et heredes defuncti ius facultatemque habere determinandi ecclesiam funerum; eandemque liberam fidelium facultatem limitari non posse per dicta pacta seu transactionem initam inter partes : transactionem enim respexisse iura ecclesiarum, non autem potuisse ligare voluntatem paroecianorum, qui partem haud habuerunt ad actum illum firmandum.

Hoc posito, se neque coegisse neque allexisse paroecianos, ut suam potius, quam alteram ecclesiam eligerent ad peragenda funera; immo eisdem commemorasse transactionem inter duas ecclesias initas : nihilominus eos voluisse in ecclesia paroeciali funera, quia, ratione publici coemeterii, defuncti in ecclesia Regularium sepeliri non possent, atque causa cessaverit cur in hac ecclesia funera peragi deberent. Se autem passive quidem se habere ; non tamen a peragendis funeribus eximere se posse, quin in poemas a civili auctoritate sancitas incideret.

Eius iura corroborata quoque sunt animadversionibus ex officio factis. Consideratum siquidem est, generale esse principium tumulationem defunctorum inter parochialia officia recenseri ; immo antiquis temporibus exclusive ad parociales ecclesias ius tumulandi pertinuisse (1).

Inter iura quoque Parochi contineri ius emolumenta funebria percipiendi, quod oritur tum ex iure tumulandi, tum ex paroeciali ministerio in paroecianos praestito, quum viverent, ceu passim tradunt Auetores.

Porro animadversum est, ecclesiam Regularium de qua agimus numquam videri paroecialem fuisse, neque eosdem Regulares aliquo tempore paroecialia officia obiisse: distantiam ecclesiae paroecialis ab oppido unicam videri causam, cur oppidani illi antiquitus tumularentur omnes in dicta Regularium ecclesia : quare ius emolumenta funebria percipiendi derivatum videri tamquam accessorium ex tumulandi iure. Atqui constitutis publicis coemeteriis ius tumulandi in eadem ecclesia eo ipso cessasse ; ideoque et ius peragendi funera et percipiendi emolumenta funebria cessare oportere.

Sed facta etiam hypothesi, manere adhuc ecclesiae Regularium ius funera peragendi, limitandum tamen videri ad eum solum casum, quo a testatore vel eius heredibus electa alia ecclesia non fuerit ad funerandum. Qua de re adducebatur Resolutio in causa *Volaterranae* diei 16 Martii 1726 apud S. C. C. agitata ad dubium II, hisce verbis conceptum : « An cadavera defunctorum « in ecclesia PP. Minorum Conventualium sepelienda, antequam « ad eorum ecclesiam deferantur debeant prius asportari ad paro- « chialem, seu potius recto tramite deferri ad ecclesiam Patrum » ; quod fuit sequenti responso solutum : *negative, nisi defunctus vel heres aliter ordinaverint*

Item in *Ariminen. funerum* 16 Iunii 1827 proposito his verbis dubio IV : « An liceat testatoribus vel heredibus designare eccle- « siam pro funere explendo antequam cadavera ad ecclesiam tu- « mulantem vel ad coemeterium deferantur in casu » ; responsum est : *Affirmative ad formam synodi.*

Ideoque in praesenti themate, si defuncti vel heredes designaverint ecclesiam paroecialem ad funerandum, perperam queri Regulares de damno et laesione iurium.

(1) Videsis Append. V. ***pag. 209 et seqq.***

Quod si tamen contra Parochum iudicaretur, aequum non videri cogere eundem Parochum ad emolumenta percepta restituenda ; propterea quod non dolo sed firmissima iuris opinione ea perceperit, bonaque fide forte consumpserit : neque proinde locum obtinere iuris sanctionem, *cap.* 1 *de sepult in* 6, in quo de his agitur, qui extorserint promissionem eligendi sepulturam in ecclesiis non debitis, de quibus sancitum extat: « *Si vero iidem religiosi vel clerici praedictos in suis ecclesiis vel coemeteriis praesumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quam etiam omnium quae occasione sepulturae illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem ... integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus* ».

IURA REGULARIUM. E converso Regulares affirmabant, Parochum contra transactionem studuisse paroecianos inducere ad itinerandum in paroeciali ecclesia, rationibus insinuatis tum ex publico coemeterio, tum ex suppressione Regularium : immo transactionem violasse, propterea quod contradixerit Regularibus eorum quoque funera, qui sepulcrum gentilitium haberent in dicta Regularium ecclesia, vel ibique sepulturam elegerint, sive cum defuncti parentibus agendo pro funeris exsecutione in paroeciali ecclesia, sive callide ingerendo eisdem opinionem maiorum expensarum, quas subire deberent in ecclesia Regularium.

Negabant praeterea Regulares, parentibus vel heredibus facultatem esse eligendi defunctis suis sepulturam, seu ecclesiam funerum; propterea quod, si defuncti sepulturam sibi non elegerint, praesumi legitime debeat eos sepeliri voluisse in ecclesia, quae sive ex communi sive ex speciali iure sibi conveniat. Quare si secus fieret, eorundem voluntas, iure praesumpta, violata dicenda esset.

Neque paroecianos in transactione ineunda intervenire debuisse, quum ius non haberent ad contradicendum. Neque eosdem posse declinare ecclesiam Regularium ratione maioris taxae (quam ideo maiorem Regulares dicebant, ob iura associationis quae Parochus praetenderet), quum tribuere non posset titulum parentibus vel defuncti heredibus pro arbitrio ecclesiam funerum eligendi. Neque timendas esse civiles leges, in quarum sanctionem tum quidem Parochus incideret, si abstineret a funeribus peragendis illis mensibus, qui sibi pertinerent.

Haec Regularium iura confirmata sunt aliis animadversionibus ex officio factis. Animadversum ergo est, verum quidem esse universim iura tumulandi et funerandi esse propria Parochorum : ita tamen, ut ex variis titulis ad alios quoque pertinere possint ; praesertim vero ex consuetudine, de qua re passim Auctores et tribunalia.

In praesenti themate vigere vetustissimam consuetudinem pro Regularibus, quae, quum esset immemorabilis, praesumptionem induceret tituli quocumque alio melioris : quae quidem consuetudo ex capite quoque transactionis diuturne servatae et auctoritate Apostolica sancitae firmissima esset.

Porro exploratum esse principium constitutionem publici coemeterii iura ecclesiarum haud pervertere, ut legitur in expositione causae *Ariminen. Iuris Tumulandi* apud S. Cong. Concilii diei 14 Maii 1824 § *Animadvertendum,* his verbis : « Coemeteria « causa publicae valetudinis subrogata fuisse singularum eccle- « siarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae ius habebat tumu- « landi in propriis sepulcris, nunc ius istud exercet in publico « coemeterio ; ideoque non sublatum ius sepeliendi fuit, sed va- « riatus locus ; quod profecto non impedit emolumentorum per- « ceptionem et ius peragendi exsequias ». Similia repeti in causa *Berthonen. Spolii* 24 Martii 1821 et in *Ariminen. Funerum* 16 Iunii 1827. Atque in dicta *Berthonen,* quum proponeretur dubium: « An Capitulo Collegiatae Levi *(cui ius pertinebat funera cele- « brandi vi transactionis)* sit concedenda manutentio in pos- « sessione iuris peragendi exsequias in propria ecclesia et per- « cipiendi emolumenta iuxta solitum, non obstante constructione « publici coemeterii in casu » ; responsum prodiit : *affirmative in omnibus.*

Ex iure tumulandi duo consequi videri in praesenti themate favore Regularium, quorum **primuT,** cadavera defunctorum qui mensibus Regularium moriantur, recto tramite transferri debere ad eorundem ecclesiam (nisi forte heredes voluerint ut in alia ecclesia prius exponerentur), ibique exsequias et funebria officia celebranda, ut S. C. respondit in *Lucana Funerum* die 14 Martii 1722 ad dubia: « I. An cadavera Defunctorum sepelienda in « ecclesia Patrum Minorum Observantiae terrae Petrae Sanctae, « antequam ad eorum ecclesiam deferantur, debeant prius aspor- « tari ad Parochialem et eorum ibi debeat fieri expositio usque

« ad horam sepulturae : et quatenus negative : IL An Parochus « teneatur restituere ceram et alia emolumenta percepta occa- « sione associationis et expositionis in sua ecclesia Cadaverum « Angelae et Annae in casu » : quae responso soluta sunt: ad L *Negatine:* ad IL *Affirmative.*

Alterum consequi, omnia'funerum emolumenta, quarta parte excepta favore Parochi, ad ecclesiam tumulantem pertinere, ut S. C. C. respondit, in *Asculana Iurium* die 29 augusti 1733 ad dubium « An Rectori *(publici Oratorii iure sepeliendi praediti)* « competat seu debeatur ulla portio, tam cerae, quam aliorum « emolumentorum occasione funeris subditorum dictae paroeciae *« (intra cuius limites Oratorium reperiebatur),* quos tumulari con- « tingat in dicto Oratorio, quacumque consuetudine non obstan- « te » : quod solutum est responso : *quartam funeralem dumtaxat competere Parocho ; reliqua vero emolumenta funeris spectare ad ecclesiam SS.mae Annuntiatae tumulantem quoad eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam vel ibi sint tumulandi in sepulcro maiorum.* Item in *Viterbien.* diei 26 Augusti 1826 et alibi. Neque inde videri tribui posse heredibus facultatem ecclesiam funerum variandi: ex iure enim soli patri permitti sepulturam eligere filio impuberi atque ita, ut electio sepulturae fiat filio vivente ; non autem post mortem eius, Sperelli *decis.* 89 *n.* 5, Ferraris *Biblioth. can. verb. Sepultura n.* 104. Neque obstare Resolutionem S. C. C. in *Ariminen.* 16 Iunii 1827 ad IV dubium : nam de eo casu ibi actum videri, quo in dioecesana synodo disponeretur, heredes ex Episcopi et Parochi venia potuisse, antequam cadaver ecclesiae tumulanti traderetur, peragere iusta funebria in alia ecclesia sine detrimento ecclesiae tumulantis.

Si itaque neque constitutio publici coemeterii neque heredum arbitrium potuerint iura ecclesiae Regularium laedere, eo ipso consequi, Parochum de quo agimus indebite funera celebrasse, quae ad Regulares pertinûissent ; indebiteque percepisse emolumenta ita ut ad integram restitutionem teneretur iuxta textum superius allegatum in *cap.* 1 *de sepult, in* 6. Eiusmodi enim capitis sanctionem his in adiunctis fuisse constanter applicatam, ceu in *Spoletana funerum* diei 19 Iunii 1710 apud S. C. SS. RR. et in *Alsina Iuris sepeliendi* 15 Decembris 1703 apud S. C. C.

Neque videri suffragari Parocho bonam fidem et necessitatem obsecundandi votis voluntatique heredum : quum metus

ex sanctione civili ortus validum fundamentum non haberet; neque omiserit Porochus studiose agere, ut heredes induceret ad eligendam potius paroecialem, quam Regularium ecclesiam.

De abusu autem inducendi parentes, ut actu Baptismatis eligerent infanti ecclesiam funerum si moreretur, adnotatum est, districte esse prohibitum a ss. canonibus Clericis sive Saecularibus sive Regularibus, *ne aliquos ad vovendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant ; Cap.* 1 *de sepult, in* 6. Et iisdem in *Clement.* 3 *de poenis,* excommunicationem ipso facto incurrendam fuisse inflictam ; quamquam auctores postea disputaverint, an haec sanctio Parochum quoque comprehenderet, ut videre est apud Bonacinam *tom.* 3 *de excomm. in part. extra Bullam coenae disp.* 2 *q.* 5 *punc.* 4 *n.* 5, et Monacell. *t.* 4 *suppl, ad test, tom. n.* 60, aliique. His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda.

Dubia.

I. « An, constituto publico coemeterio, ad Regulares (N.) « pertineat ius celebrandi funera et percipiendi emolumenta men« sibus designatis in transactione anni 1744 ri casu ».

II. « An constet de iure parentum vel heredum eligendi pro « lubitu ecclesiam funerum eorum defunctis in casu ».

III. « An, et ad quae emolumenta teneatur Parochus resti« fuere Regularibus (N.) in casu ».

R**ESOLUTIO**. S. Congregatio Episc, et Reg. die 6 Maii 1870 spondere censuit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Negative ; et ad mentem : mens est, ut, salvo iure patris eligendi sepulturam filio impuberi ante illius mortem, non liceat id peragere in actu baptismatis vel in actu proximo.*

Ad III. *Affirmative et ad mentem: mens est; ut Ordinarius procedat de bono et aequo ad liquidationem, onerata etiam conscientia Parochi, vetito quolibet recursu ad iudices laicos: qui Ordinarius ad formam synodi provideat moderationi taxae iurium parochialium pro defunctis funerandis in ecclesia* Regularium (N.).

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Per constitutionem publici coemeterii mutari dumtaxat materialem dormitionis locum ; non autem mutari ecclesiarum iura (1).

II. Per illegitimam Regularium suppressionem non posse supprimi ecclesiastica eorundem iura, neque eadem iura cessare si familiae Regulares aliquo modo persistant et convivant, quamquam coram civili lege tamquam ecclesiastica Instituta non agnoscantur (2).

III. Quare hisce manentibus, sarta tectaque manere iura funerum, quae ad Regulares legitime in suis ecclesiis pertineant.

IV. In libertate fidelium esse sibi eligere funerum ecclesiam, ut ante liberum erat sepulturae ecclesiam sibi eligere, quarta funerum Parocho repensa (3).

V. Eiusmodi libertatem subesse tamen debere legitimis locorum consuetudinibus vel conventionibus ecclesiastica auctoritate firmatis pro iurium moderamine.

(1) Confer Causam quam exposui in *Vol. I, pag. 81* et quae scripsi ibid. *pag. 124* et in hoc *Vol. pag. 221.*

(2) Si Regulares vel quaevis alia ecclesiastica Instituta per illegitimam suppressionem ammittant ecclesiastica iura, id non accidit ex vi legis civilis ; sed ex dissolutione subiecti cui iura illa inhaerebant: quare si subiectum aliqua ratione permaneat, permanent et iura. Confer quae scripsi in *Vol. III, pag. 141 et pag. 156,* nec non in *Vol. I, pag. 168.*

(3) Heic quaeri potest, qua ratione se gerere possint Ecclesiae funerum, si per civiles leges impediantur quoque quominus cadavera fidelium in eisdem exponantur ? De hoc quaesito extat Decretum C. SS. RR. quod adduxi in *Vol. III, pag. 658.* Quaesitum enim fuerat : « Quum leges municipales prohibeant, quominus ad ecclesiam de- « ferantur cadavera defunctorum, ac « proinde numquam funera institui « possint praesente cadavere, quaeri- « tur an, non celebrata Missa de Re- « quie die sequenti non impedita, ea « celebrari possit die vel tertia vel se» « ptima vel trigesima ? ». Cui S. C. respondit : « *In casu standum alias Decretis, praesertim in Florentina die 25 Aprilis 1751, ubi diebus etiam festivis de praecepto et duplicibus secundae classis permittitur una Missa solemnis de requie cum absolutione et precibus quae in die obitus fieri et recitari solent, etiamsi cadaver ob civiles praescriptiones non sit praesens in ecclesia, sed adhuc insepultum, qua decet religione, servatur in loco decenti: apposito tamen in ecclesia lodicis seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur, ut fideles intelligant Missam hisce diebus offerri i*- expiationem animae illius defuncti, cuius corpus traditum terrae adhuc non fuit, et ecclesiae precibus etiam proprias ad iungant* ».

VI. Vetitum esse ecclesiasticis omnibus studio inducere fideles, ut unam potius quam alteram ecclesiam eligant pro sepultura vel funeribus.

VII. Neque posse regulariter parentes vel heredes eligere ecclesiam funerum defunctis.

VIII. Permitti tamen consuetudinem, ut pater filio impuberi ecclesiam funerum eligat, dummodo id fiat ante impuberis filii mortem (1).

IX. Non autem licere patri eiusmodi facultate uti occasione regenerationis et supernaturalis vitae Sacramenti : id enim a ratione sacrorum rituum absonum videtur; et fraudibus facile obnoxium.

X. Qui exposita violaverint iura ad restitutionem teneri eorum, quae forte perceperint emolumenta (2).

(t) Quantum disputaverint Auctores super huiusmodi privilegio Patris eligendi sepulturam filio impuheri si haec vigeat consuetudo, videri potest apud Sperelli *Decis, supra citat.* In praesenti causa S. C. non videtur resol visse, utrum in oppido de quo agimus vi consuetudinis posset Pater filio impuberi eligere sepulturam seu ecclesiam funerum: Sacra enim Congregatio respondit tantum ad quaestionem iuris, non autem facti (quod in disputationem non venit) per ea verba *salvo iure* etc; Quare si in eo oppido consuetudo legitime praescripta non obtineat, nec pater posset filio impuberi eligere sepulturam, iuxta textum in *cap. 4 de sepult, in 6,* in quo statuitur : « *Licet pater minores filios qui nequeant, antequam ad annos puberbatis perveniant, eligere sepulturam, possit (si consuetudo terrae id habeat), quo voluerit sepelire, hoc tamen non potest, ubi consuetudo huiusmodi non habetur, sed sunt cum suis maioribus vel in parochiali ecclesia tumulandi* ». Confer que scripsi in *Vol. I, pag. 125.*

(2) Confer quoque elegantem quae* stiunculam, *iuris associandi cadaver,* quam exposui in *Vol. III, pag. 41.*

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

I. INGONEN. seu PARISIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

FR. HONORATI A PARISIIS

SACERDOTIS PROFESSI ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

DECRETUM. « Nonis Septembris Anni 1867 quum Sanctissimus Dominus Poster Pius **PAPA** IX benigne induisent ut de dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Fr. **HONORATI A PARISIIS** Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum aegeretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis; Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Carolus Sacconi huius Causae Ponens ad instantiam R. Patris Fr. Amadei ab Urbeveteri Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum, attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur ?*

« Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae

Fidei Promotore, rescribendum censuit, *Affirmative,* sive *signandam œse Commissionem, si Sanctissimo placuerit. Die* 5 *Martii* 1870.

« Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Substitutum Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum Sanctissimo Domino Nosti?© Pio P**APAE** IX relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei H**ONORATI A** P**ARISIIS**. Die 10 iisdem Mense et Anno ».

C**ONSTANTINUS** Episcopus Portuens. et S. Rufinae

Card. P**ATRIZI** S. R. C. Praefectus

Loco *f&* Plumbi

R. P. D. Bartolini, *Secretarius*

Iosephus Ciccolini, *Substit.*

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SEDITIONE IN PATRIARCHATU CILICIAE ARMENORUM

Dilectis Filiis Armenis Catholicis Patriarchatus Ciliciae

PIUS PP. IX.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Quo impensiore studio afflictas Armenorum Ecclesiae res erigere nisi sumus, et ad eum adducere ordinem eamque concordiam et firmitatem, quae antiquum ipsi decus referre possent, eo acerbius afficimur a nonnullorum malitia, qui curas Nostras omnes non modo frustrantur, sed per machinationes suas convertunt in animorum dissidium, in pusillorum scandalum, in propriae gentis perniciem. Mala sane eorum artibus excitata et iugiter invalescentia enumeravimus litteris Nostris Apostolicis « *Non sine gravissimo* » quas dedimus die vigesima quarta Februarii huius anni, dum ad ea compescenda et dirimenda remittebamus ad vos Venerabilem Fratrem Antonium Iosephum Archiepiscopum Thyanaeum, Delegatum nostrum Apostolicum.

« Verum hodie gravius quoque dolere cogimur, quod nec suavitate eius nec prudentia, nec auctoritate, perversorum audacia frangi, aut mollir i ulla ratione potuerit. Ipse quidem vix Constantinopolim appulsus memor ecclesiasticae lenitatis, accivit ad se praecipuos perturbationum auctores, eosque paternis monitis ad debita obsequia reducere conatus est. Frustra hanc industriam expertus, publice proposuit litteras Nostras, quibus peculiaria novorum eventuum adiuncta commendantes eius zelo, confirmabamus constitutionem Nostram « *Reversurus* » editam die duodecima Iulii 1867 pro recta Episcoporum electione, revocare nitebamur ad officia proprii instituti clerum saecularem et Monachos, Laicos monebamus, ne limites ipsis ab Ecclesia constitutos excederent, et perspicue demonstrabamus inanitatem prolatarum a refractariis expostulatio num. Ea vero occasione

idem Ven. Frater Antonius Iosephus comminatus fuit ecclesia-
sticas censuras iis e clero qui legitimae auctoritati intra statos
dies se subiicere renuerent. At, cum eos dies incassum dilabi
vidisset, prorogandum adhuc censuit praestitutum terminum,
nec antea reluctantes suspensione innodavit, quam cognovisset,
inutilem iam omnem esse patientiam, et praevertendum esse per
hanc severitatem periculum ulterioris deceptionis simplicium.

« Qui tamen ita mulctati fuerant non modo nihil de contu-
macia sua remiserunt, sed poenam ipsam convertentes in atro-
ci us facinus, et gravius aliorum scandalum, impudenterque con-
temnentes Ecclesiae auctoritatem et leges, palam et etiam so-
lemniore ritu omnia sacri ministerii munia sibi vetita obire
perrexerunt. Quo in crimine summopere dolemus, saecularibus
aliquot sacerdotibus accessisse, ex Monachis Constantinopoli de-
gentibus, fera omnes Mechitaristas Venetae Congregationis, uni-
versosque Monachos Antonianos; nec ab istorum ingenio ad-
modu n discrepasse qui hanc nostram incolunt urbem. Hi enim
non modo restiterunt visitationi Apostolicae eorum domus a
Nobis demandatae, sicuti fratres eorum in Oriente, pluriesque
priorem et alterum electum Visitatorem reiecerunt; sed omnes,
nulla petita venia, se subduxerunt Nobis. Quas inter etiam Ve-
nerabilis Frater Placidus Kasangian, qui Antiochenae Ecclesiae
titulo consecratus Congregationi toti iam praefuerat, immemor
profecto muneris sui et censurarum Episcopos urgentium, qui,
non impetrata Pontificia venia, concilium deserant, discessit.

« Verum ipsa rebellium pervicacia, artesque ad concitandos
animos adhibitae pretiosiorem Nobis faciunt et iucundiorem
plurimorum firmitatem, qui nec insidiis, nec blanditiis, nec
minis ab obsequio Nostrae legitimaeque auctoritati debito se ab-
duci siverunt. Quos inter commendandos nominatim censemus
Mechitaristas Vindobonensis Congregationis, qui deploranda alio-
rum defectione minime labefactati, immoti perstiterunt in officio.
Haec vero tot piorum constantia in tanto discrimine merito
Nobis spe n facit, vos, Dilectos Filios, hunano quovis respectu
posthabito, strenue sectaturos esse nobilia patrum vestrorum
vestigia, qui fidem suam fluxis hisce praeferentes, exilium poti is
et aspera quaeque pertulerunt alacriter, quam infirmari pateren-
tur coniunctionis suae vincula cum hoc unitatis catholicae centro,
aut quidquam detrahi de veneratione, qua documenta, regulasque

prosequebantur ab ista veritatis magistra propositas. Id autem securius etiam expectamus a fide vestra, quod experti noveritis, quanta sollicitudine, quantoque studio Sancta ista Sedes gentis vestrae commodis, incremento et honori prospicere curaverit sive a vobis avertendo schismaticorum insectationes, sive comparando vobis libertatem cultus, sive subducendo vos a iugo schismaticorum Patriarcharum, sive Primati alen sedem Constahtinopoli constituendo ; quae, addictis ei primum suffraganeis Ecclesiis, demum per coniunctionem eius cum Patriarchatu Ciliciae decorata fuit Patriarchae commoratione. Ita ut quocumque intendatis oculos conspicere debeatis, vigorem, libertatem, decus, quibus fruimini, accepta potissimum esse referenda studio in vos et afíectui huius S. Sedis ; vestramque propterea interesse, ne ab illa ullo modo desciscatis.

« Nec decipi patiamini a rebellium artibus, qui, ut vos ad se facilius pertrahant, passim asseverant, se sua agendi ratione, nec a fide et observantia Nobis debita, nec a catholicorum officio deficere; isti enim factis negant quod verbis confitentur. Et sane qui praefracte detrectant et contemnunt auctoritatem Successorum Petri, in quibus Petrus perpetuo vivit, et eorum qui sibi ab illis praepositi fuerunt; facto suo primatum illum inficiantur honoris simul et iurisdictionis in universam Ecclesiam, quem Christus Petro contulit, dum pascendi non minus agnos, quam oves totius gregis sui, seu regendi Ecclesiam, qua late patet in orbe toto, munus ei commisit. Iam vero in hoc plane censu apud vos habendi sunt illi, qui et legitimi Patriarchae vestri, et eius, qui pro ipso Vicaria potestate fungitur, auctoritatem despexerunt; qui neglexerunt, aut recipere recusarunt istius sententias; qui eo pervenerunt, ut legitimam illius electionem, ut ut rite peractam et confirmatam a Nobis revocarent in dubium; qui restiterunt Delegato Nostro; qui eum muneris sui exercitio, quoad indictam a nobis monasteriorum visitationem prohibuerunt; qui diserte se professi sunt *independentes;* qui id facto confirmarunt, dum non modo, exacto iam tempore denandatae sibi iurisdictionis, excipere perrexerunt fideliu n confessiones, sed id facere praeterea ausi suntjpostquam per editam suspensionis sententiam ipsis omnino fuerat eo munere interdictum; qui sacerdotalia omnia ministeria publice, et solemniori etiam ritu obire non destiterunt, in ecclesiasticarum

censurarum contemptum; qui demum nihil sibi reliquum fecerunt, quo apertissime significarent, flocci se, facere canonicas leges, legitimaeque potestatis, et istius S. Sedis auctoritatem. An istis qui tanta insurgunt audacia in auctoritatem Nostram, tantaque pervicacia perstant in proprio crimine, fides adhibenda sit dum profitentur, sentire se de primatu huius S. Sedis, uti catholicos decet, seque manere coniunctos Nobis et obsequentes; facile vos ipsi perspicietis. Quamobrem si discedere verimini ab ea catholica unitate, extra quam non est salus, si verae utilitati gentis vestrae prospicere cupitis, cavete ab artibus et insidiis istorum. Advertite vero potissimum ne vobis ingeratur confusio rituum et disciplinae, quam isti callide nituntur inducere in simplicium animos, ut eos concitent in hanc S. Sedem, quam eo demum spectare iactant, ut paulatim, veteribus Orientalibus Ecclesiae ritibus obliteratis, iis latinum ritum sufficiat. Nam si Romani Pontifices studuere semper, ut unitati Ecclesiae responderet uniformitas disciplinae, quoad praecipua saltem capita; ritus tamen omnes, qui nec a recta fide, nec ab honestate deflecterent, servandos censuerunt. Defectio vero mox a Nobis reprobata ritus certe non spectat, sed disciplinam; quam nisi Christi Vicarius moderari possit ubique, frustra totius Ecclesiae regimen ei erit commissum; adeoque eam etiam praefert indolem quae ab illa recta fide desciscat, quam de divino Summi Pontificis primatu catholicos tenere oportet.

« Futurum quidem confidimus, ut qui pertinaciter hactenus in sua defectione perstiterunt, Dei opitulante gratia, tandem resipiscant, et ad debitum revertantur obsequium. Verum si in sua contumacia permanserint, nos memores, demandatam esse Nobis totius Dominici gregis curam, et Apostolum Paulum Satanae tradidisse Corinthium, ut fidelium scandalum submoveret, et ipsius quoque sontis spiritum salvum faceret; putrida haec membra, quae iam ultro secesserunt a capite, seiungere cogemur a ceteris, ne reliquum corpus contagione sua inficiant, reosque omnes schismaticos declarabimus, et ab Ecclesiae sinu divulsos. Utinam ipsi tantae poenae horrore perterriti redeant ad cor, conversique ad meliorem frugem, molestissimam a Nobis avertant necessitatem tristissimi huius exercitii muneris Nostri. Et quo magis aberraverunt a via veritatis ac iustitiae, eo demissiore obsequio se subiiciant Nostrae, legitimaeque ecclesiasticae au-

ctoritati; et lapidem offensionis, quem sua agendi'ratione pusillis obiecerunt, obedientiae suae et humilitatis exemplo tollere nitantur e medio, Nobisque sic optatissimam faciant potestatem paterno rursus eos excipiendi complexu.

« Vos autem, qui licet difficultatibus et periculis circumsepti, perstitistis immoti, ab istorum discrimine moniti videte quomodo caute ambuletis, confirmamini in fide vestra, obsequentes semper obedite praepositis vestris, memores, omnem potestatem, maxime vero sacram, esse a Deo; et a sollicitudine Nostra studioque vestrae salutis et utilitatis excitati, sedulo fovete in vobis religiosam illam observantiam, qua sanctam Sedem prosequimini, et filialem-illam caritatem, qua iungimini Nobis, ut unum semper nobiscum esse possitis in Christo Iesu, Eiusque promereri benedictiones. Haec enixe poscimus a Patre misericordiarum cuius gratiam in vos omnes affatim effundi desideramus. Superni vero favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimus.

« Datum Romae apud S. Petrum die vigesima Maii MDCCCLXX Pontificatus Nostri anno XXIV ».

PIUS PP. IX.

EX S. CONGR. CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

APPLICATIONIS MISSARUM ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS

Die 9 Aprilis 1870.

Compendium facti. Anno 1323 in ecclesia paroeciali in Borussia, auctoritate Ordinarii interveniente, erectum fuit simplex Beneficium* sub titulo S. Ioan. Baptistae, adsignata dote et iurepatronatus collato eius ecclesiae Plebano seu Parocho eiusdemque successoribus.

Inter cetera quae in limine fundationis imposita sunt onera iussum est : « *Rector huius altaris Missam summo mane cum calice, libris et ornamentis ecclesiae celebrabit, et redditibus, suae dotis causa comparatis quam comparandis, contentus, singulas oblationes in altari suo oblatas^ aut alibi sibi traditas pro Missis celebratis aut celebrandis publice vel secrete, domino Plébano fideliter praesentabit.* Enunciavit quoque fundator: *ad dotationem altaris S. Ioannis pro anima sua bona contulisse, eaque ad sustentationem unius personae et amplius sufficere.*

Ultimi huius Beneficii successores ex traditione quadam a praedecessoribus accepta sacrificium pro Benefactoribus applicare •consueverunt diebus tantum dominicis et festis de praecepto.

Orta nihilominus dubitatione de onere applicandi Missam, inquisitio facta est; atque hac de re praesens Beneficii possessor Episcopo tradidit duo documentu pervetustis characteribus conscripta hactenus penitus ignota, quae speciales Beneficii eiusdem obligationes innuere visa sunt.

Ex primo enim documento eruitur, Fundatorem, Presbyterum Ioannem de Hammon, primum possessorem eiusdem Beneficii fuisse, qui post decem annorum spatium, anno 1333 auxit fundum Beneficii lege imposita et adprobata ab Ordinario « *ut Rector eiusdem Beneficii ipsius memoriam singulis diebus peragat in*

Missa, in Canone et aliis officiis divinorum ; et insuper memoriam parentum et patruorum suorum (quos nominavit) *semel in qualibet hebdomada in Missa, iti Canone et aliis officiis peragat perpetuis temporibus ».*

Ex altero documento / constat, quendam Mathiam Sasse, suo et suorum propinquorum nomine, anno 1362 adiecisse novas donationes, ea intentione « *ut Rector animas Benefactorum suis « orationibus habeat commendatas ; memoriam mei in qualibet se- « ptimana simul faciens in Vigiliis, in Canone et in Missis ».*

Ab anno 1818, iam rebus humanis et divinis susdeque versis, Beneficium istud collatum semper fuit Vicario-Parocho, quum et amplissima esset paroecia et deessent ceteri qui Parochum coadiuvarent: hic Vicarius-Parochus sine alia remuneratione verbum divinum*praedicare, Confessiones paroecianorum excipere, infirmos visitare et alia paroecialia munera Parocho eius loci praestare tenetur.

In his igitur rebus Episcopus supplicavit, ut S. C. decer neret, an Beneficii possessor teneretur celebrare et applicare Missam: et quatenus afìrrmativum responsum dandum esset, efflagitavit ut, habita ratione tenuitatis reddituum, qui vix attingeret 160 Thaleros Borussicos seu 115 scutata Romana condonatio pro tempore praeterito et Missarum reductio pro futuro concederetur.

Hoc supplici habito libello, de more rescriptum est, ut Episcopus de his Parochum et possessorem Beneficii, in scriptis audiret et, transmisso utriusque documenti exemplo, suam significaret sententiam.

Possessor Beneficii respondit, se a suo anteces sore accepisse onera alia non esse nisi forte applicandi Missam diebus dominicis et festis; se id facere primis annis, attamen id omisisse duobus ultimis annis, quod res in dubium revocata, dirimenda esset a S. Sede, quum lex dubia non obliget. Aliter quidem ex inventis documentis videri dicendum; nihil tamen ex traditione se reperisse.

Episcopus, exposito eius paroeciae statu, in quo ex una parte fideles christiana officia zelo adimplent, ex altera vero carentia presbyterorum et reddituum gravis adesset post Regularium subversionem, iudicabat, imminutionem Missarum, usu introductam, esse aequam et praesentium rerum conditionibus

consentaneam, quamquam forte sine legitima dispensatione introducta.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADDUCEBANTUR PRO MISSAE CELEBRATIONE ET APPLICATIONE. Commemorata Regula iuris 114 *ff. de Reg. iur. «In obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet* » nec non Regula 45 *de Reg. iuris in* 6°, « *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vti quod plerumque fieri consuevit:* » animadversum est, esse verisimilius, eum qui Beneficium fundaverit et Missae celebrationem iusserit, voluisse quoque eandem sibi applicari. Hac de re plures allegabantur Resolutiones veteres S. C. C, quae huiusmodi generalem regulam firmabänt quando de Missarum applicatione quaesitum esset.

Porro in praesenti themate dubitari de quotidiana celebratione non posse, quemadmodum verba declarant, *Rector altaris Missam celebrabit:* applicationem vero exclusam censeri non posse per ea verba: *summo mane cum calice libris et ornamentis ecclesiae celebrabit,* quasi vero fundator prospexisset dumtaxat communitati fidelium: haec enim et similia non esse satis ad excludendam praesumptam obligationem applicandi Missam, ut contingit in quadam causa *Alexandrina* diei 11 Martii 1719, in qua agebatur de contractu inito cum patribus congregationis Somaschae eiusdem urbis, quibus adsignata fuerat eleemosyna « cum onere celebrandi seu celebrare faciendi Missam unam quo-« tidianam in perpetuum in aurora ad altare ipsius Ioannis con-« traehentis. ... ad effectum ut omnes viatores, laborantes et « peregrinantes possent illam'commode audire etc. » proposito enim dubio: « An patres congregationis Somasehae teneantur « ad applicationem Missae celebrandae in aurora in casu : » S. C. respondit: *Affirmative.*

Verum quidem esse in dicta causa *Alexandrina* haec adiuncta insuper cucjrrisse, quod Religiosi illi iampridem eam Missam celebraverint et applicaverint, quod pinguis esset eleemosyna, quod demum in prooemio dispositionis fundator dixerit, se devenire ad capellae fundationem, *ut gratias redderet et ad implorandum divinam misericordiam,* ut notatum fuit in altera huius generis causa *Cornetqna* diei 23 Iunii 1725: sed haec eadem adiuncta, si forte primum excipias, locum habere in praesenti

themate; praesertim cum fundator dixerit: *ad dotationem altaris S. Ioannis pro anima sua bona contulisse, eaque ad sustentatio- •nem unius personae et amplius sufficere.*

Haec confirmabantur aliis voluntatis indiciis per verba: *ut Rector Beneficii ipsius memoriam singulis diebus peragat in Missa, Canone et aliis officiis; et insuper memoriam parentum et patruorum suorum semel in hebdomada etc.* quae non solum non excluderet applicationem, sed eam praecipere viderentur, ceu ex altero quoque documento eruitur.

Namque ut Benedictus XIV tradidit, in opere *de Sacrif. Miss. cap.* 9, « Orta est dubitatio, an si fundator iusserit Bene- « ficiatum seu Xlapellanu.m pro ipso orare in Missa quam cele- **ri** braverit, verbum illud *orare* importet onus applicandi Missam fundatori: S. Congregatio, dum nos a secretis essemus, affirmando « respondit in causa *Ventimilien.* die 27 Aprilis 1700 ».

Eo vel magis in praesenti themate, in quo fundator iusserat, oblationes alias Rectori pro Sacrificio factas vel faciendas non Rectori, sed Plebano esse fideliter tradendas: cuius obligationis quaenam fuerit ratio non appareret, si ipse Rector applicare Missam non teneretur.

Quibus omnibus suffragatam esse aliqua saltem ex parte consuetudinem; quum quaedam traditio ferret, applicatam fuisse Missam diebus dominicis et festis, quamquam huius restrictionis origo lateret.

EA QUAE IN CONTRARIUM SUNT ANIMADVERSA. E converso, commemorata alia iuris Regula 45 *ff. de Reg. iuris: « Contra eum, « qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda »* animadversum est, dubiam esse fundatoris dispositionem, et in exclusionem applicationis concurrere quoque cetera indicia, quae a S. Congregatione non semel habita sunt tamquam indicia exclusiva applicationis, ut ex. gr. sunt verba : *summo mane* Missam celebret, et similia onera tempus celebrationis determinantia ad populi commodum, ceu in *Collen. Applicationis Sacrificii,* ^ decembris 1769, in *Fricaseinen.* 18 Iulii et 8 Augusti 1711, in *Mantuana* 19 Novembris 1718.

Quod si pro fundatore applicanda esset Missa, non potuisset post novem et viginti annos Mathiam Sasse, nova facta donatione, praescribere, ut *memoriam ipsius in qualibet septimana semel faceret in vigiliis et Missa.* Quare ita fundationem fuisse

intellectam, ut Rector teneretur quidem ad commemorationem Benefactorum; non vero ad applicationem Missae pro iisdem faciendam.

Ad consuetudinem vero quod attinet, animadversum est, eam obscuram esse, neque vestigia reliquisse.

Rationibus utrimque adductis et ex praxi S. Congregationis erudite confirmatis, ad alterum dubium quod attinet, est animadversum, ex iurisprudentia canonica toties absolutionem ab oneribus non impletis indulgeri, quoties bona fides in omissionibus intercessisse videatur.

Nihilominus, quod attinet ad Missarum reductionem, odiosam eam esse, neque concedi nisi legitima urgeat causa, ut in *Florentina Reductionis Onerum* 2 Augusti 1823 §. *Hisce,* in *Feretrano* 14 Augusti 1824, in *Galaritana* 23 Ianuarii 1847 et passim.

Quin immo S. Congregationem interdum potius alia onera, quam Missarum numerum coercere censuisse, ut in *Taurinen. Reductionis,* 28 Novemb. 1791 in *Thelesina* 23 Iunii 1823 §. *Compertum:* idque ex ea ratione fieri, quod animae testatorum uberiorem ex Missae sacrificio quam ex aliis piis operibus fructum consequantur, ceu pondérât Fagnanus in Cap. *Ex parte, de Const. n.* 34, et Benedict. XIV *in opere de Syn. dioec. I.* 14 *c. ult. n.* 23.

In praesenti autem themate eiusmodi legitimam urgentemque causam adesse videri, propterea quod in iure exploratum sit, Parocho, qui per se universae paroeciae procurandae impar sit, tot adiungi debere coadiutores quot ad id sufficere videantur, Concil. Trid. *sess.* 21 c. 4 *de Ref.,* cui consonant iura per Fagnanum collecta in cap. *Audientiae n.* 24, *de eccles, aedif.,* Pignat. *t.* 4 *Consult.* 230 *num.* 13.

Porro, Episcopo docente, Parochum non posse omnibus populi sibi concrediti necessitatibus praesto esse, cuius pars haud exigua procul ab ecclesia paroeciali aegrestes domus colerei, et sacramenta verbumque divinum alacriter frequentare consuesceret.

Constituto autem Vicario-Parocho, ex paroecialis ecclesiae fabrica congruens stipendium erogari non posse: quare nonnisi huiusmodi Beneficio providendum, quod tamen ad nihilum redigeretur, si quotidie Missam applicare Rector Beneficii teneretur. Quam quidem Missarum reductionem eo magis indulgendam videri, quod redditus eiusdem Beneficii in praesens imminuti re-

perirentur, idque aliam quoque esse causam ob quam Missarum reductio concedi soleat, ut in *Tudertina Reduci, oner.* 27 Ianuarii 1827, *Romana* 27 Iunii 1829 et alibi.

Hisce aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An applicandae sint Missae in casu.

« Et quatenus affirmative

II. « An, et quomodo concedenda absolutio et reductio in « casu. »

RESPONSIO.^ S. Congregatio Concilii die 9 Aprilis 1870 respondere censuit:

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Supplicandum SS.mo pro gratia absolutionis et reductionis remittenda prudenti arbitrio Ordinarii.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Initio saeculi XIV adhuc viguisse in Borussia, eam vetustam loquendi rationem, qua Benefactores, qui sibi perpetui Sacrificii fructum percipere optarent, significarent per verba: *commemorationem sibi faciendam in Missa in Canone et in divinis officiis;* quae commemoratio fieri quoque consueverat expresso Benefactorum nomine in ecclesiae precibus. (1)

(1) Confer quae adduxi in *Vol. IV pag. 235.* Expedit praeterea referre, quae scriptum reliquit Benedictus XIV in celebri Constitutione, *Cum semper oblatas,* §. 14, his verbis: « Profecto « non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam haud longe a « nostra aetate remotis____servabatur « olim in singulis ecclesiis series ac- « curata omnium et singulorum, quo- « rum liberalitate unaquaeque aucta « fuerat, eorumque nomina sacris Di- « ptychis, sic enim vocabantur, ideo « consignata erant, ut eorundem re- « cordatio numquam interiret, utque « pro iis tum preces funderentur, tum « etiam Missae sacrificium offerretur; « quam ob causam etiam praedictus « catalogus in plerisque ecclesiis ob « oculos Presbyteri celebrantis oppo- « ni consuevit, licet pii iidem Bene- « factores in suis donationibus nihil « penitus pro se pacti essent, sed tan- « tummodo pro peccatorum suorum « remissione se bona sua Deo offerre « déclarassent. Ecclesiarum siquidem « Praesules preces pro his im pera n das « esse duxerunt; quamvis illi propria « bona offerentes., ne verbum quidem « ea de refecissent. Sacrorum hiusmodi

IL Eam esse **S.** Congregationis doctrinam in consuetis capellaniarum fundationibus, ut Missae applicandae pro fundatore sint, si non habeantur aliqua saltem indicia quibus applicatio censeri possit libertati celebrantis relicta. (1)

III. In hoc enim rerum genere locum habet effatum illud iuridicum: *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*

IV. Jn praesenti themate **S.** Congregationem admisisse obligationem applicandi Missam pro capellaniae fundatoribus: quamquam ex adiunctorum complexu eam reducendam perpetuo esse auctoritate **SS**.mi existimaverit.

Dip'ychoram usus sensim defecit; « ob idque in oblivione iacent alicubi « complurium Benefactorem nomina; « at non idcirco deserere fas est usum « et disciplinam orandi pro iis et sa- « cri ficium Missae pro illis offerendi. « Atque inde praeceptum applicandi « Missam conventualem pro Benefa- « ctoribus in genere originem atque « rationem desumi! »

Quare mihi non est dubium, Missam de qua in praesenti themate return est, applicandam fuisse pro illis Benefactoribus qui Beneficium funda runt vel eius dotem auxerunt qui enim memoriam in Missa quaerebant, ideo quaerebant ut participes •essent fructus Sacrificii, quem modo *fructum medium* dicimus, quem illi percipiunt, pro quibus Missa applicatur iuxta theologicam doctrinam, quam sic breviter exponit Theologus nostra aetate doctissimis Ioannes Bapt. Franzelin *Tract, de ss. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio pag. 350.* « Quod « vero spectat ad eos, pro quibus sa- « crificium intentione Sacerdotis spe- « cialiter offertur, efficacia *impetra- « tionis* consequens ex infinita digni- « tate istrinseca sacrificii potest ad- « mitti secundum eandem inanitatem *« extensive* spectatam. Quoad applica- « tionem vero *satisfactionis* videtur « ex sensu et praxi Ecclesiae dicen- « dum, eam esse ita determinatam in « divina acceptatione, ut hic fructus « intentione Sacerdotis applicatus mul- « tis, non totus singulis obveniat ae- « que ac si pro uno solo fuisset appii- \ catus, sed potius in multos secun- « dum partem et aliquem gradum di- « stribuatur. Vide Suarez disp. 79 « sect. II 12; De Lugo disp. 19 sect. *9'.* « Ysambert in 3 q. 83 disp. 7 a. 1 8 1 0 »

(1) Confer quoque quaestiunculam quam exposui in *Vol. III pag. 595.*

CONTRACTUUM ET MONITORII

Die 19 Februarii et 9 Aprilis 1870.

Compendium facti. Paroecialis ecclesia A olim inter ditiores totius dioecesis N recensebatur. Labentibus annis ob reddituum defectum Parocho destituta est, qui curam eius gereret.

Huius detrimenti causam perquirens novus Episcopus in prima, quam obivit, pastorali visitatione eam derivare iudicavit partim ex eo quod praedia nonnulla ad paroecialem ecclesiam pertinentia ad -alios pervenerint turpi usurpatione, partim ex eo quod Livellarii, seu qui rependere deberent annuos census vel praestationes, persolvere detrectarent; partim denique ex eo quod Emphyteutae, inconsulto Parocho, fundos alienaverint, quin laudemia solverent neque instrumenta ad recognoscendum dominium configerent.

Episcopus ad medelam huic malo afferendam haec publice edixit: se ex novis ac vetustis documentorum locis detexisse I° fundos nonnullos rústicos ad eam ecclesiam certo pertinentes possideri in praesentia ab extraneis sine legitimo titulo quamquam usurpatio oblecta fuerit sub colore devolutionis vel renunciationis ab eis factae qui utile prius haberent fundorum dominium: inter eos tres nominavit fundos seu praedia, scilicet praedium A, B et C. Postea denuntiavit, plures Livellarios seu qui census vel annuos canones et praestationes solvere illi ecclesiae deberent, haud solvere, atque fundos dominii variis modis libere alienare.

Hinc illegitimos possessores ac debitores ad resarcienda damna hortatus est, censuras memoriae revocando, quae legibus ecclesiasticis contra huiusmodi usurpatores constitutae sunt, monens eos omnes, qui cum dolo possiderent seu retinerent fundos ad eam ecclesiam pertinentes, in censuras ecclesiasticas incurrisse; nec non eos, qui debitores essent et tamen non solverent quod deberent, eosque omnes exhortatus est, ut quamprimum suae conscientiae consulerent atque iustitiae satisfacerent.

Praeterea edixit, ut fundorum conductores praestationes annuas parsolverent paroeciali ecclesiae; minime vero Locatoribus*-idque sub poena duplicis solutionis.

Denique indixit, ut omnes Livellarii, Emphyteutaè ac possessores fundorum, quorum dominium directum ad paroecialem ecclesiam pertineret, intra bimestre tempus instrumenta conficerent pro recognitione dominii et solutione Laudemiorum; eoque inutiliter elapso, poenam caducitatis edixit.

In hoc Edicti publici contextu, quamvis nullum usurpatorum nomen evulgatum fuerit, aegro tamen animo illud tulit Antonius, qui supplicem libellum SS.mo Patri obtulit, enarrans, se eodem ipso anno vendidisse Iosepho per publicum Instrumentum Romas confectum quaedam parva praedia gravata canone pro ecclesia paroeciali: sua interesse, inquit, ut publicum Episcopi monitum abrogaretur, ne ipse onera emptoris perferre cogeretur: atque enixis precibus postulavit, ut irrita declararetur iniusta rosolutio Episcopi non solum ut contraria legum dispositionibus, sed etiam ut excedens Episcopi auctoritatem.

Hoc accepto libello, rogatus est Episcopus pro informatione et voto, et ut audiret in scriptis Archipresbyterum, ac transmisso exemplo Decreti S. Visitationis, referret de primitiva impositione canonis, de transitu dominii utilis ad tertios, ac praesertim de Instrumento die 3 Maii eiusdem anni, deque aliis omnibus ad rem facientibus.

Episcopus mandatis obsequutus, transmissis documentis, monuit se in Edicto haud expressam fecisse mentionem alicuius possessoris fundorum, sed eos oppidanos omnes indistincte compellasse, ut, si aliquid ex iuribus ecclesiae usurpassent, damna illata mensae paroeciali sarcirent ac suae insimul conscientiae consulerent. Quod si de nonnullis fundis expressa facta fuerit mentio, ideo id factum fuisse, « quia illarum recentior et ad no-
« titiam omnium erat usurpatio et quia tunc eo in oppido vo-
« citabatur, talem fundorum proprietatem per contractum em-
« ptionis venditionis ad tertios possessores posse transire. Pu-
« tabam enim fore, ut contrahentes, si non religione, metu sal-
« tem evictionis permoti, ab iniquo pacto ineundo recederent.
« Eo enim tempore ab omnibus oppidanis ignorabatur, tales
« fundos ab Antonio iam fuisse alienatos favore Iosephi sub die
« 3 Maii, quia instrumentum alienationis ex industria forsan
« ad secretum servandum Romae per acta Tabellionis N confe-
« ctum fuerat ».

Addidit insuper non modo potuisse, sed omnino debuisse huiusmodi Edictum proponere, ut et iura ecclesiae sarta tectaque forent, et quisque suae conscientiae provideret. Denique quaestionem proposuit de usurpatione fundorum quos dixi.

Rebus sic stantibus Decretum de more editum est: *Ponatur in folio et notificetur Episcopo, qui moneat hac de re partem recurrentem, et, si velit, ulterius deductiones exhibeat, id quoque Curiae fiscali integrum sit.*

Duplex itaque mota atque proposita est S. Congregationi quaestio, quarum prima respiciebat fundorum usurpationem; quam omittimus, tum quia definita non fuit, tum quia tota in facto consistens ex pluribus adductis utrimque disparatisque documentis implexa admodum erat; indigebatque, ut in peculiari ordinario iudicio, servata iudicandi forma, pertractaretur; quod et Antonius postulabat. Ea tamen non omittemus quae spectant ad secundam dubitandi formulam, quaeque alicuius utilitatis esse possunt.

Disceptatio synoptica.

IURA AB ANTONIO DEDUCTA CONTRA MONITORIUM. Contendebat Antonius Episcopum non potuisse Monitorium illud proponere, quin suae auctoritatis fines excederet. Id ostendere studuit ex eo, quod eiusmodi Monitoria fieri possint, quando deficiant probationes et desint media, quibus illegitimi bonorum possessores cogi valeant ad restituendum quod illegitime possideant. Qua de re allegavit *cap.* 3 *sess.* 25 *de Ref.* ubi legitur: *Excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeter quam ab Episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae eius animum moveat.. . . In causis vero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis. . . ut quandocumque exsecutio realis vel personalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo, quam definiendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto. . . . . . sed liceat eis, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque, etiam laicos, per muletas pecunia-*

rias. . . . seu per captionem pignorum. . . . aliaque iuris remedia procedere et causas definire. Quod si executio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo praeter alias poenas ferire poterit etc. »

Non esse autem eiusmodi Monitoria facienda nisi in subsidium, quando scilicet probationes deficiant et veritas aliunde cognosci non possit, declarasse S. Congregationem Episcop. in *Savonen.* 15 Ianuarii 1619 *apud Nicolium in Flosculis verb. Monitorium n.* 2: idque communiter tenere Doctores cum Barbosa *Allegat.* 96 *n.* 24.

in praesenti^ autem themate alia suppetere media ad detegendam veritatem colligi ex ipsa enarratione factorum, ab Episcopo facta.

Sed praeterea, haud esse huiusmodi Monitoria facienda, quando certae sint personae, quum tunc ordinarie sit agendum et procedendum, prout docet, multis citatis Auctoribus, Ferraris *Biblioth. can. verbo Monitorium n.* 21.

Quamvis autem in praesenti themate explicite nominatae non fuerint in Monitorio personae, nominatos fuisse fundos quorum possessores certi essent: ideoque certas personas fuisse indicatas.

IURA EPISCOPI. Paucis sese expedivit Episcopus in eiusmodi quaestione; animadvertit enim, aperti iuris esse haec Monitoria ab Episcopis dari posse ea de causa, ut qui subtractas res possideant ad restitutionem obligentur, et qui certo sciant eas ab aliquo retineri ad revelationem teneantur sub excommunicationis poena.

In comperto autem esse, subtracta fuisse bona ecclesiae paroeciali de qua agimus, ita ut ecclesia illa congruis redditibus pro Parocho penitus destituta manserit, quin eorundem bonorum detentores sciri possent: locum ideoque fuisse admonitioni.

Quod si in Edicto tria praedia nominata fuerint id factum fuisse ob peculiares rationes supra indicatas: Edictum vero fuisse generale pro reintegranda ecclesia dote sua deperdita et subtracta.

Hisce aliisque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An constet de validitate et efficacia contractuum Anto-« nii in casu. »

II. « An gestum ab Episcopo sustineatur. »

RESPONSIO. Proposita causa die 19 Februarii 1870 S. Congregatio Concilii distulit Resolutionem: responsum enim prodiit: Ad I et II *dilata ad proximam.* Causa reproposita in subsequenti proxima Congregatione die 9 Aprilis 1870 responsum prodiit.

Ad I, *Partes utantur iuribus suis prout, quatenus et coram quo de iure.*

Ad II. *Monitorium esse moderandum* **ad** *tramites iuris canonici.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. In implexa vindicatione bonorum, quae subdole subtracta alicui ecclesiae dicantur, experienda esse iuris remedia per ordinarium ecclesiasticum iudicium, citatis scilicet partibus, constituto ecclesiae spoliatae defensore si desit (1), contestata lite, etc. posteaquam ab Ordinario inquisitio facta fuerit (2). Maxime vero si una pars non renuntiet iuri suo experiendi causam in prima instantia coram ordinario Iudice.

II. Si detentores bonorum ignorentur, vel documenta abscondita maneant ad causae cognitionem necessaria, posse Episcopum, admonitionibus praemissis, sub poena excommunicationis cogere fideles, qui id scire possint, ad revelandum.

III. Eiusmodi rationem procedendi esse distinguendam ab*, alia, qua usurpatores bonorum per generale Edictum declarantur excommunicati: prima enim est iuris remedium ad bona recuperanda; secunda est pastorale officium, ut fideles, poenas iam a ss. canonibus sancitas, cognoscant, suaeque conscientiae et iustitiae consulant.

IV. In praesenti themate intervenisse potius pastorale officium, quo censurae a ss. canonibus latae in memoriam generatim revocabantur, si nonnulla excipias, cuiusmodi erat designatio quorundam fundorum.

(1) Cf. quaestiunculam *Bonorum Parochialium,* quam exposui in *Vol. IV pag. 78.*

(2) Cf. *cap. 23 de Accusationibus,* quod relatum fuit in causa *Privationis Paroeciae* in praesenti *vol. pag. 72,* nec non Appendix I ibidem *pag. 38 §. Ad secundam et seqq.* Cf. causa, quae infra refertur *Associationis et emolumentorum etc.*

IURIS OPTANDI

Die 18 Decembris 1869 et 9 Aprilis 1870.

Summaria precum. Vacavit praebenda presbyteralis in cathedrali Capitulo N, atque Episcopus de more eam libere contulit.

Verum ex parte Capituli inopinato proditae sunt quaedam Litterae Apostolicae in forma Brevis Leonis X, quibus illi Capitulo concessum fuerat ius optandi canonicales Praebendas: ita ut quando aliqua Praebenda vacaret, singuli, sua Praebenda relicta, assequi possent pinguiorem; et quae ultima remaneret ea vacare censeretur, cui Episcopus novum Canonicum praeficeret.

Episcopus haud acquievit huic iurium novitati, sed maluit quaestiunculam solvendam proponere S. Congregationi Concilii. Ea proposita est nonnullis utrimque adductis rationibus die 18 Decembris 1869 et responsum prodiit: *Dilata et exhibeatur Breve, audito Capitulo.*

Iuribus utrimque deductis, in confesso res erat, ius optandi Praebendas in Litteris Apostolicis Leonis X contineri: numquam tamen Canonicos hoc iure fuisse usos trecentis et quinquaginta prope abhinc annis; quamquam usi fuerint iure optandi quasdam domunculas, quae extra canonicales Praebendas vacarent. Quaestio ergo omnis reducebatur ad inquirendum, utrum, per non usum huius iuris, ius ipsum in praesenti themate fuerit amissum.

Disceptatio synoptica

IURA CANONICORUM. Canonici per hypotheses explicare curarunt, cur ius optionis fuerit semper a Capitulo exercitum quoad domos; non vero quoad canonicales Praebendas: atque id contigisse dicebant, ex eo quod minores numero essent domus, quam Praebendae; unde causam adfuisse domus optandi. Inquiebant autem defuisse initio causam optandi Praebendas, propterea quod, quo tempore ius optandi obtinuerunt, facta fuerit aequa mensae capitularis divisio, qua omnes Praebendae essent aequales; proindeque causam defuisse unam prae altera optandi.

Temporis decursu, variis supervenientibus rebus, agros et silvas, in quibus bona consistebant, sive imminutas sive auctas, diversitatem Praebendarum induxisse; cur autem hoc tempore iure optandi Canonici usi non fuerint, explicabat per propinquitatem et cognationem, qua omnes fere Canonici saeculo XVII et XVIII coniungerentur: ne videlicet quisque propinquo suo, qui possessurus esset Canonicatum, iniuriam veluti facere videretur.

Praeterea ab initio elapsi saeculi Praebendas veluti aequales existimari potuisse, ob pensiones aequa lance superimpositas, ratione maioris minorisque Praebendarum fructus.

Denique improbabile haud esse, archivio non admodum id temporis perquisito, ex non usu iuris, ius ipsum e memoria excidisse.

Porro quum nullus renunciationis actus haberetur nullusque contradictorias actus, per simplicem non usum praescriptionem non induci: quod si praesumi velit renunciationis actus ex parte Canonicorum, quum non esset Capituli actus sed singulorum, successores certe non posse obligare.

IURA EPISCOPI. E contrario memorabat Episcopus Praebendas canonicales distinctas esse et in tres ordines distributas, atque ita esse cum proprio titulo coniunctas, ut optio Praebendae permutationem tituli necessario secumferret: optionem proinde in themate esse verum privilegium contra commune ius: iamvero nullum existere privilegium, quod per non usum longi temporis non obsolescat; praesertim post quatuor prope saeculorum intervallum.

Neque utiliter Canonicos reponere causam, cur usi antiquitus hoc iure non fuerint, in aequalitate Praebendarum; ea enim aequalitate supposita, mansisse semper distinctum ordinem Praebendis adnexum, eiusdemque ordinem praeminentiam et praecedentiam secumferre, quae sufficientem optandi causam exhibuissent.

Secundam autem allegatam causam ex cognatione desumptam infirmiorem quoque esse ostendit. Hisce itaque causis exclusis, praesumptionem subintrare, Capitulum nuncium misisse proprio privilegio: eo vel magis quod a tempore Leonis X bis constitutiones capitulares condiderit, atque innuerit, Praebendas omnes immediato Collatoris iuri subesse, qui verbum ullum de optione

faceret: incompatibile autem esse liberum Gollatoris ius super singulis Praebendis cum facultate optandi penes singulos Canonicos. Cum itaque constitutiones capitulares leges sint ipsis Canonicis, inferendum videri, Capitulum in condenda lege suo iuri valedixisse.

Neque utiliter dici, ex non usu argui non posse renunciationem, quod factum singulorum officere nequeat iuribus Collegii, nisi renunciatio capitulariter emittatur. Teste namque Card. De Luca, qui, de simili difficultate sibi proposita in *diso.* 49 *n.* 15 *de Regul. et in disc.* 24 *n.* 14 *de Paroch.* loquens, eam ait non facessere, quando non usus obtinuit publice palam et per longissimum tempus, ita ut a Collegio ignorari non potuerit.

Itaque adversus privilegium Apostolicum olim habitum et numquam exsecutioni mandatum, obstare contrarium usum: iura liberae collationis per quatuor prope saecula exercita lege constitutionum capitularium bis confirmata: obstare abnormitates quae inde oriturae essent.

Testabatur namque Episcopus nonnullas esse Praebendas pinguiores quae haberent adnexum ordinem inferiorem: ex eo sua sponte contingere, ut antiquiores per optionem assequerentur Praebendam pinguiorem atque ab ordine et gradu superiori-ad inferiorem descenderent non ,sine populi admiratione.

E**A QUAE EX OFFICIO ADIICIEBANTUR.** E**X** officio recolebatur doctrina quam cum Auctoribus tradit Ferraris in aurea *Bibliothic. canon, verbo Privilegium art.* 3 *n.* 35 *et seqq.* his verbis: « Privilegia *affirmativa,* quae sunt merae gratiae atque in nullius « gravamen cadunt v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, « dispensandi et huiusmodi per *merum non usum* numquam « amittuntur, Glossa *in cap. Ut privilegia* 24 *de Privileg.* ,. . Et « ratio est, quia *merus non usus* est actus liberae facultatis, qui « non inducit praescriptionem seu renunciationem. In facultatibus enim non datur praescriptio.

« Similiter per eandem rationem privilegia *negativa* mere gratiosa, v. g. non ieiunandi, numquam amittuntur *per usu m con- « trarium;* Suarez....

« E contra autem privilegia *negativa* cum onere aliorum con- « cessa, v. g. non solvendi decimas seu tributum, amitti possunt *« per usum contrarium,* Suarez....

« Ut dicta privilegia *negativa,* quae iii non faciendo consi-
« stunt et aliis onerosa sunt, ut est privilegium immunitatis a
« solvendis decimis vel tributis, privilegium exemptionis a iuri-
« sdictione Ordinarii amittuntur *per usum contrarium,* v. g. vo-
« luntarie, libere, ac sponte solvendo decimas vel tributa, sistendo
< se tribunali seu iurisdictioni Ordinarii sine protestatione; re-
« quiritur tamen tantum temporis, quantum requiritur ad prae-
« scriptionem. »

Eandem doctrinam in iure satis exploratam docuit Pitonius *Discept, eccl.* 154 *n.* 24, ubi referens praetensionem Capituli collegiatae ecclesiae ss. Ioannis et Reparatae in urbe Lucae quod contendebat sibi ius spectare conferendi Canonicatus eiusdem ecclesiae, quamvis privilegio eis ab Innocentio IV concesso usi non fuerint, inter cetera inquit: « Capitulo non utendo privilegio « per spatium 30 vel 40 annorum, sed permittendo liberam Epi- « scopis collationem eidem privilegio renunciasse censetur per « non usum seu contrarium usum iuxta test, in *cap. Si de terra, « de Privil.* » Item Scarfan. *in decis.* 14 *n.* 26, S. Rota in *Giennen. Adiunctorum* 13 *Febr.* 1702 §. *Et quod, et* 27 *Martii* 1705 *coram Molines,* et alibi.

Iamvero in themate rem esse de privilegio *affirmativo,* cuius exercitium gravamen secumferret in liberam Episcopi collatoris potestatem: ideoque non usum eiusdem privilegii generare praescriptionem favore collatoris.

Verum favore Canonicorum non est praetermissa animadversio, non deesse auctores, qui iure optandi agentes paullo aliter sentire videantur, ceu sentit Moneta *de optione canonica* c. 8 g. 2 *et* 18, qui censuit, non tolli consuetudinem optandi per non usum etiamsi evenerit casus optandi, quia actus optionis est mere voluntarius, et certum est, per non usum non tolli facultatem, quum facultatis iura sint impraescriptibilia; quod pluribus argumentationibus et S. Rotae decisionibus confirmat. Conf. quoque Barbosa *de Canonicis c.* 3, Calderin. *Consil.* 3 *n.* 3 et penes S. C. C. in Causa *Interramnen. Optionis,* 26 Iunii 1824 §, *Denique.*

R**ESCRIPTUM**. Propositis precibus in S. Congregatione Concilii die 26 Martii 1870, causaque cognita rescriptum prodiit: *Ius optionis in casu non sustineri.*

Ex **QUIBUS -COLLIGES:**

I. Ea privilegia quae in mera facultate consistunt aliquid agendi vel non agendi, quorum usus vel contrarius usus in nullius gravamen cedat rerumve statum non immutet, regulariter praescriptioni non esse obnoxia.

II. Item neque praescriptioni" obnoxia esse ea privilegia in gravamen alterius cedentia et intermissa, quousque iure fingi praesumique non possit renunciatio.

III. Hanc praesumptionem induci si per longum temporis intervallum (quod iure tale censetur spatium 30 vel 40 annorum) eiusmodi privilegiorum ius fuerit constanter intermissum.

IV. Neque hanc praesumptionem elidi per ignorantiae exceptionem ex adverso factam, si ignorantia privilegiorum negligentiam aequet.

V. Eandemque praesumptionem (quae illi tandem fundamento innitur, ne iura in societate diu nutantia et incerta maneant) maximam vim accipere si, per non usum **privilegii,** privilegium ipsum in eum casum incidat, ob rerum mutationem, a quo verisimiliter non fuisset inceptum.

VI. Quare privilegium optandi pinguiores Praebendas in aliquod gravamen liberi Collatoris, etsi in facultate consistit, praescriptioni esse obnoxium.

VII. In praesenti themate privilegium optandi, numquam per spatium saeculorum exercitum, non solum firmasse adversum Collatoris ius; sed in eum statum, ob rerum permutationem ex non usu privilegii inductam, incidisse, a quo non facile incipere potuisset.

REDUCTIONIS ONERUM

Die 9 Aprilis 1870.

Compendium facti. Philippus suo testamento anno 1744 suum heredem dixit perinsigne m collegiatam ecclesiam N, quae postea in Cathedralem conversa est. Legem simul dixit, ut post quindecim annos tot erigerentur simplicia Beneficia, quot suae hereditatis vires erigi sinerent, designata determinata dote, idest, decem Locis Montium non vacabilium.

Onus imposuit cuilibet Beneficiario *celebrandi in altari privilegiato in dicta collegiata ecclesia duas Missas singulis hebdomadis in suae animae suffragium canendique divinum officium in choro cum Canonicis, concessis eisdem trium vacationum mensibus ; quod si abessent plus quam tres menses, eos subiecit punctaturis seu mulctis oboli unius singulis horis canonicis, quibus abessent.* Eiusmodi Beneficia iuripatronatus subiecit; et lineas patronorum nominavit.

Elapso praescripto termino quindecim annorum, tria erecta fuerunt Beneficia. At quum sub ipso erectionis exordio nonnullae quaestiones exortae essent inter Beneficiarios et Canonicos circa chori servitium, illico diremptae et sopitae fuerunt amicabili transactione, in qua inter cetera haec sunt constituta: « Beneficiatos et eorum successores celebrare debere et applicare « Missam conventualem per turnum ope aliorum Presbyterorum « singulis diebus, in quibus Missa solemniter cum Ministris pa- « ratis non canitur. Missae de Requie et funebria officia celebra- « buntur a Beneficiariis, sed per se non per alios Presbyteros; « quibus pertinebit eleemosyna Missae, cuiusvis ea sit valoris ». Quaedam praeterea statuta est compensationis lex pro eleemosyna Missae conventualis a Canonicis rependenda; scilicet repensa a Canonico, cui celebratio spectaret, eleemosyna, vel permutata intentione.

Eiusmodi transactio proposita est S. Congregationi ex qua hoc prodiit Rescriptum : « *S. Congregatio relatione Episcopi habita benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, et postquam ita iudicaverit expedire, supradictam concordiam cum pactis et conditionibus expressis pro suo arbitrio et conscientia*

adpróbet atque confirmet, dummodo tamen non omittatur applicatio Missae conventualis pro Benefactoribus singulis diebus quibus celebrari debet, et cum declaratione, quod Canonici non censeantur soluti ab onere eiusdem Missae conventualis, quatenus eam a Beneficialis non celebrari contingeret, et dummodo adimpleantur reliqua onera a fundatore praescripta.

Ope harum facultatum Episcopus transactionem adprobavit anno 1763. Ab eo tempore usqfte ad annum 1783 Conventuales Missas per Beneficiarios fuisse celebratas, atque oneribus a fundatore impositis eos satisfecisse apparet.

Imminutis redditibus ex Locis Montium derivantibus, conventa transactio nec non cetera onera negligi coepta sunt.

Anno 1830, Beneficiariis spe motis atque allectis ad quoddam privilegium obtinendum, observatio transactionis reviviscere visa est usque ad annum 1868. Quo tempore Beneficiarius quidam, qui et patronus Beneficii erat, supplicem libellum SS.mo Patri obtulit rerum historiam enarrans, atque magnam reddituum imminutionem exponens, enixe postulavit absolutionem a Missis ab ipso ex errore haud celebratis iuxta voluntatem testatoris, et reductionem in posterum onerum prout de iure, praesertim vero liberationem a Missa conventuali celebranda et applicanda.

Servatis de more servandis, Episcopus confirmans quae exposita fuerant, atque mentem suam aperiens, denique conclusit: « ne defraudaretur fundatoris voluntas, neque Beneficiarii oneribus nimium gravarentur quae redditibus non respondeant, se existimare submovendum penitus esse onus canendi Missas conventuales, reducendum esse chorale servitium ad praecipuas anni festivitates, Missasque a fundatore praescriptas reducendas ad annuas quadraginta pro singulis Beneficiariis.

« Quod si ad maius ecclesiae decus priora onera servari censerentur, se opinari, annuos redditus pro singulis Beneficiariis augendos esse a Mensa capitulari ad scutata annua 30 : quorum scutata 12, 78 impendenda essent in tot Missas, quot dici possent iuxta manualem eleemosynam in suffragium Fundatoris ; reliqua vero cederent in compensationem servitii choralis et oneris canendi Missas conventuales per turnum, salva semper Beneficiariis compensatione eleemosynae iuxta formam transactionis ».

Disceptatio synoptica.^

IURA BENEFICIARIORUM. Beneficiarii initio impugnabant valorem transactionis, inquientes, eam irritam censendam esse ex vitio obreptionis et subreptionis: eiusmodi autem vitium ostendere studuerunt, I° ex eo, quod in precibus S. Congregationi id temporis datis, onus celebrandi Missas a Fundatore impositum non esset expressum; 2° quod expositum fuisset, transactionem a patronis fuisse ' adprobatam et subscriptam, cum duo tantum ex quinque ei subscripsissent, inter quos unus erat Canonicus cuius ideoque intererat ut a S. Congregatione confirmaretur; 3° quod subobseure narratae essent difficultates et controversiae quae huiusmodi transactioni causam dederant.

Negabant praeterea eam transactionem fuisse exsecutioni mandatam, si unum excipias Beneficiarium : idque ex eo praesertim affirmabant, quod anno 1830 ex quodam pacto inter Beneficiarios et Canonicos revixerit.

Quod si nihilominus valida transactio dici velit, rescindendam eam esse, quum, successu temporis, laesiva et iniusta evaserit. De qua re sic scripsit Fierlius in *I. Cum quidem, de Usuris,* in suis theoricis *pag.* 51 : « Si agitur de contractu, qui tractum « habeat successivum, futuraque tempora respiciat, tunc licet ab « initio nullam contineat laesionem et iniustitiam, si tamen de- « inceps ob temporum atque circumstantiarum mutationem lae- « sivus, atque iniustus evaserit, rescindi meretur, vel saltem ad « aequitatem reduci ». Item Cardinalis De Luca *de feudis disc.* «120 *n.* Il: quando aliqua conventio, quamvis iurata et ab « initio licita valida et iusta, sive obligatoria tractu temporis vel « ex aliis contingentiis ad magnam reducitur iniustitiam, sive « non cogitata vel non praevisa scandala et inconvenientia pro- '« ducit, aut producere potest, tunc debet rescindi, vel ad iustitiam « et aequitatem reduci ». Item S. Rota in suis decisionibus passim.

Hisce autem positis, sua sponte fluere onerum reductionem ; quandoquidem adeo imminuti essent redditus, ut impossibile evaserit onerum implementum ; idque Episcopum quòque testari.

IURA CANONICORUM. Contra vero ex parte Capituli dicebatur, causas et lites transactione compositas resuscitari non posse, *Lex* 16 *Cod. de Transactionibus,* ubi legitur : « *causas et lites transactionibus legitimis finitas Imperiali rescripto resuscitari non oportet* ».

Falso autem affirmari vitio obreptionis et subreptionis transactionem fuisse obnoxiam: quum exhibitum S. Congregationi fuerit et exemplar initae transactionis et particula testamenti; rogatus et auditus fuerit Episcopus; maxime vero, quod Rescriptum Episcopo tamquam mixto exsecutori remissum fuerit, addita clausula: *veris existentibus narratis,* quae iudicium aliquod et inquisitionem ab Episcopo faciendam secumfert.

Quod si admitteretur etiam aliquis defectus in transactione condenda, eandem non posse amplius ex hoc capite impugnari post tanti temporis intervallum, Antonelli *de iempor. legal, c.* 100 *n.* 1. Pax Iordan. *Elucubr. divers. I.* 14 *tit.* 24 *depraescr. n.* 443.

Ad reductionem vero quod spectat, inter cetera, inquiebant Canonici, si preces Oratoris exaudirentur, chori servitium in tenues auras abire; quum eadem gratia concedenda esset aliis quibusdam eiusdem ecclesiae Canonicis, pro quibus eadem vel potior ratio militare videretur: atque proinde uno eodemque tempore sex individua choro deessent.

Hisce aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium

« An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu ».

RESPONSIO. *Affirmative iuxta modum ab Episcopo secundo loco propositum, dummodo Capituli consensus accesserit; secus iuxta modum ab Episcopo primo loco propositum, facto verbo cum SS.mo.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Transactionem inter Clerum eiusdem ecclesiae initam ad controversias extinguendas et auctoritate S. Sedis confirmatam, perpetuam legem esse eiusdem ecclesiae Clero.

II. Neque eandem transactionem sine auctoritate Apostolica posse resolvi ex ea tantum causa, quod in eum casum postea inciderit a quo non fuisset incepta.

III. Convenire tamen, ut Auctoritate Apostolica transactio rescindatur, vel ad aequitatem reducatur, si lapsu temporis, mutatis rebus, gravosa nimis alicui evaserit.

IV. In praesenti themate res adeo fuisse immutatas, ut aequitas postularet onerum Beneficiariorum moderamen, vel reddituum augmentum si ecclesiae decus servari optaretur.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ASSOCIATIONIS ET EMOLUMENTORUM FUNERALIUM

Die 15 Maii, 21 Augusti 1868 et 6 Maii 1870.

Compendium facti. Iosephus duplex domicilium dicitur habuisse, alterum Romae, alterum in urbe N, quae a Roma non longe distat: Romae degebat in paroecia s. Celsi in domo ibi conducta : in urbe vero N domum propriam possidebat intra limites duarum paroeciarum, ita ut eius familia in urbe N pertineret ad duas paroecias, duosque Parochos haberet.

In urbe N Iosephus eiusque familia habebat sepulcrum gentilitium in templo Regularium B.

Die 19 Ianuarii 1867 iosephus Romae decessit in sua paroecia s. Celsi, et in testamento disposuerat, ut eius cadaver deferretur in urbem N et post celebrationem funeris in sepulcro gentilitio tumularetur.

Romae in ecclesia s. Celsi funus ex voluntate defuncti locum non habuit, sed Parochus emolumenta funeris percepit iuxta veterem consuetudinem de qua agit causa ex professo agitata quam retuli in Appendice V *pag.* 209 *et seqq.* atque cadaver Parochus detulit usque ad portas urbis N, ubi ipse et uterque Parochus, cui subiecta dicitur familia Iosephi, nec non Regulares B cadaver associarunt funebri pompa usque ad templum gentilitii sepulcri, in quo et funus postero die celebratum est.

Haec omnia non sine aliqua contentione gesta sunt inter Regulares et duos Parochos urbis N: hi contendentes sibi pertinere ius associandi cadaver et emolumenta associationis et quartam funeris : sed ne scandala orirentur convenit inter eos,

ut ad associationem tum dicti duo Parochi tum Regulares convenirent, salvis iuribus postea experiendis.

Celebrato itaque funere, duo Parochi dicti petierunt ceram associationis et quartam funeris, sed Regulares haec denegarunt, supplices preces simul admoventes S. Congregationi ,'pro dirimenda controversia. Pari modo Parochi in iudicium vocarunt coram suo dioecesano Iudice Regulares. Quare eodem prope tempore et recursus factus est a Regularibus ad S. C. et in iudicium vocati sunt a curia episcopali.

S. Congregatio, accepto libello, de more ad Ordinarium rescripsit, *pro informatione et voto, auditis interesse habentibus, ac referat, an defunctus in urbe N potius quam Romae verum ac fixum domicilium habuerit ; quid Cleri Statuta localia statuant, quidve ferat consuetudo.*

Ordinarius rescribens particulam synodi dioecesani transmisit, quae sic se habet : « Provisum quoque a nobis est, ne ulla « omnino Parochos inter oriatur quaestio ; cum cadaver in ec« clesia parochiali diversa iuxta defuncti aut eorum, ad quos « pertinet, voluntatem condendum est. In his itaque casibus, « qui haud infrequentes esse solent, in Civitate praesertim, « praeter ea quae ex communi locorum omnium consuetudine « servanda sunt, statuimus, ut cerei omnes qui in translatione « cadaveris circa ipsum ardent, post expletas preces in ecclesia, « in qua cadaver sepeliendum est, omnes ad mortui Parochos « spectent, praeter partem illorum, qui circa feretrum ardent, « quae pars eidem mortui Parocho eodem iure debetur - Prae« terea volumus omnino, ut ea consuetudo auferatur, vi cuius « Parocho intra cuius parochiae fines cadaver ferebatur, ius illius « comitandi et quaedam cerae portio competebat ».

Praeterea, quamvis Ordinarius a sua significanda opinione abstinuerim innuit tamen, duplex domicilium Iosephum habuisse, Romae unum, et in urbe N alterum; idque ex eo eruebat, quod per maiorem anni partem Iosephus cum familia Romae degere consueverit; sed domum quoque haberet in urbe N, quo pro sua voluntate se conferebat ad multa expedienda negotia.

Regulares, admisso prius domicilio Iosephi tum Romae tum in urbe N, in eo insistebant, quod cum Romae decesserit, tantum romanus Parochus ius haberet ad emolumenta funeraria sive associationis sive funeris, quae tamen, per compensationem

funeris Romae non facti, iam perceperat; nullumque ceteros alterius domicilii Parochos ius habere, neque ad emolumenta funeraria associationis neque ad quartam funeris in dicta ecclesia celebrati; quod si aliter esset, indicabat absurda quae ipsis derivare viderentur.

Parochi urbis N, initio significarunt, se reverenter quidem obsequi interpellationi ab Ordinario factae nomine S. Congregationis ; attamen nolle se valedicere iuri causam prosequendi in episcopali Curia, in quam Regulares vocaverant ad iura experienda.

Hisce praemissis, contendebant, sibi pertinere ius associandi cadaver delatum ad portas urbis N a Parocho romano, quod ostendere curarunt tum ex quadam dispositione synodi dioecesanae, tum praesertim ex consuetudine : affirmabant, verum realeque domicilium Iosephum eiusque familiam semper habuisse in urbe N, variis allegatis funerum factis, allegata quoque civili lege et actis iudiciariis, quibus cives eiusdem urbis, Iosephus eiusque familia habiti sunt: significarunt simul, iura associationis et quartam funerum Parochos eosdem in casu mortis parentum Iosephi semper percepisse.

Post haec, servatis de more servandis, adductis utrimque rationibus, causa proposita fuit coram S. Congregatione die 15 Maii 1868, atque rescriptum prodiit : *dilata ad proximam.*

Fuit interim'interpellatus romanus Parochus, qui integram rerum historiam retulit : idest, se ex voluntate heredum non celebrasse Romae funus, aequa compensatione accepta : ex eorundem voluntate, per currus Cotta Stola et parva Cruce cum Clerico, associaturum fuisse cadaver usque ad templum Regularium in urbe N: sibi autem pervenienti ad portas urbis N occurisse Regulares, qui, parata pompa funebri, significaverint, deferendum esse ea pompa cadaver usque ad templum. Inde supervenisse duos vice-Parochos Stola et Cotta indutos, qui, ordinata aliquo modo processione (pluvia enim descendebat de caelo), subsecuti sunt Regulares; se vero prosecutum esse vice-Parochos (qui non animo tranquillo psallere visi sunt) usque ad templi ianuam ; ibi unum ex eis cadaver veluti furtive aspersisse, ne ipse forte aspergeret (haec puerilia et inter Clericos identidem contingunt !) : in eoque templo solemni pompa sequenti die a Regularibus funus celebratum esse.

Praeterea idem Parochus sua iura deduxit de quibus infra.

ITI reproponenda causa inter cetera ex officio animadversum est, eiusmodi quaestiones non posse in primo gradu agitari in supremis tribunalibus nisi ex mutuo partium litigantium consensu: de qua re sic scripsit Card. De Luca in *Relat. Romanae Curiae disc.* 16 § 7 : « Distinguendo itaque negocia Episcoporum « ab illis Regularium, quatenus pertinet ad primam speciem vere « et proprie huius Congregationis institutum est ex mente ere- « ctoris (Xisti V), ut summarie ac in forma extraiudiciali au- « diantur subditorum recursus vel querelae adversus oppres- « sores... non autem ut peragantur causae privatae contentiosae « quae processum ac telam iudiciariam exigunt inter partes; « quoniam, istis non concordantibus, sed una earum reluctante, « remitti debent ad suos iudices ordinarios competentes, ut fre- « quentius praxis docet, licet aliquando non observetur».

Immo causae introductionem apud ecclesiasticum tribunal urbis N, ipsis partibus impedimento esse videri ne ab eodem tribunali ex mutuo quoque consensu recedere possint, *I. 19 ff. de iurisd., I. 7 ff. de iudic. I. ult. C. de in ius vocando.*

Reproposita itaque causa die 21 Augusti 1868, rescriptum est: *dilata et ad mentem.* Mens S. Congregationis fuit, ut relatio rerum a R.mo Secretario fieret SS.mo Patri ea de causa, ut audiret, an vellet SS.mus Pater avocare causam, coram Curia episcopali introductam, ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium.

Re relata SS.mo Patri, rescriptum prodiit: *Sanctitas Sua, perpensis omnibus rerum adiunctis, mandavit, ut causa, de qua agitur, avocaretur a Tribunali ecclesiastico N ad hanc S. Congregationem. Contrariis quibuscumque etiam speciali et iudividua mentione dignis non obstantibus.*

Transmissis itaque actis Curiae N. ad S. C, quae consistebant tantum in citatione et duabus intimationibus ut Regulares se iudicio sisterent; datoque novo mensis termino ut partes possent deducere ulteriora sua iura, causa iterum coram S. Congregatione proposita est.

Disceptatio synoptica.

IURA ROMANI PAROCHI. Hic Parochus (seu Capitulum s. Gelsi cui imminet habitualis animarum cura, ideoque ius et officium

iura parochialia defendendi) contendit, Iosephum habuisse domicilium Romae dumtaxat, atque ab anno 1864 in paroecia s. Gelsi ubi permanenter cum tota sua familia habitaret suaque negotia gereret; in eaque uti paroecianus esset inscriptus et habitus, et sacramenta perciperet : in urbe autem N, habeie quidem domum possessionesque, sed eo se conferre identidem cum sua familia ratione tantum recreationis vel ratione alicuius negotii gerendi animo Romam quamprimum redeundi ad suam familiam. Hoc unicum habere domicilium, ostendere quoque ea quae post eius mortem gesserint eius heredes, qui non aliud praeceperint, quam ut Iosephi cadaver ad templum Regularium in urbem N deferretur, ratione gentilitii sepulcri.

In comperto autem esse, domicilium definiri *«habitationem « in loco animo stabiliter ibi consistendi,* ita ut necessario ad con« stituendum domicilium requirantur haec duo copulative, factum « nimirum seu actualis habitatio et simul animus ibi persistendi, « ita ut, hoc solo animo deficiente, censeatur quidem quis habere « habitationem, sed non domicilium » ceu tradit Laurenius *For. eccles. I.* 2 *t.* 2 c. 3 *Decret, q.* 72.

Quod si identidem dicatur ad contrahendum domicilium requiri spatium decem annorum, id ita intelligendum, ut eiusmodi spatium tamquam animi permanendi indicium et argumentum habeatur; cuius spatii necessitas cesset, si illico animus patefiat, ceu docet Sánchez *tract, de Matr. I.* 3 *disp.* 23 *n.* 1, **2.** « Non opus « est ad domicilium deceno io habitasse, sed statim ac quis incipit « habitare animo perpetuo ibi manendi, acquirit domicilium ».

Haec autem et quoad paroecialia iura valere, iuxta Statutum romani Cleri *de iure funeris percipiendi* § 21: «Quisquis sive « bene valen s, sive infirmus ad aliam paroeciam, mutandi do« micilii animo, et deserta prima habitatione, cum mobilibus et « familia se transfert, eo ipso domicilium quoad iura parochialia « mutasse censetur ».

Quum itaque Iosephus propria patria relicta, stabiliter Romae resideret, et ab anno 1864 in paroecia s. Celsi cum tota sua familia, eo ipso domicilium verum realeque in ea habuisse; «pro« pria paroecia illa dicitur, in qua quis habet domicilium et sa« cramenta recipere tenetur»; Statutum Cleri rom. c. 4 § 2.

Neque opponi posse, Iosephum duplex contraxisse domicilium, alterum Romae, alterum in urbe N. Ad duplex enim do-

micilium contrahendum necessario requiri, ut aequali fere anni tempore aliquis moretur in utroque loco, ut tradit Sánchez *loc. cit. disp.* 24 *n.* 2 : « Quis duplicem parochiam habitationis sor- « titur, quando aequaliter in utraque habitat, ut in hieme in una, « in aestate in altera... Quod autem dixi requiri, ut aequaliter in « utraque habitet, non intelligas mathematice, sed morali modo « ita ut sit aequalis omnino, aut fere, habitatio ». De qua re Statutum romani Gleri pari ratione declarare § 28: «duplex vero « dicitur quis domicilium habere, si in utroque morali aequali- « tate se collocasse videatur ».

Porro facta aperte ostendere, Iosephum nullimode se collocasse morali aequalitate Romae et in urbe N; ideoque unicum habuisse Romae verum realeque domicilium ; quidquid dici velit de domicilio legali in urbe N habito causa contractuum, actuumque iudicialium, quod in hoc ecclesiastici iuris themate nihil refert.

Hisce autem positis, consequi romanum Parochum plenam paroecialem iurisdictionem habere in Iosephum, ex qua prodit ius ad portionem canonicam seu quartam funerum, iuxta text. in c. 1 *de Sepult, et Clement. Dudum eod. tit.*

De huiusmodi illatione dubitari non posse; sed quaestionem forte posse moveri de extensione huius iuris quartam funeralium consequendi: videlicet quaeri, utrum praeter emolumenta funerum a romano Parocho iam percepta ob funus in sua ecclesia celebrandum, iuxta Statutum romani Cleri, ius quoque habeat percipiendi quartam funerum eorum quae celebrata sint in urbe N. *y*

Contendebat autem et hanc quartam sibi deberi, iuxta canonicam iurisprudentiam de qua Barbosa *de Parocho p.* 3 c. 35 *n.* 36 haec cum aliis scripsit: «Quarta funeralis, seu canonica « portio debetur de omnibus, quae obveniunt ratione *funeris* ». Et Conc. Trid. *sess.* 25 c. 13 *de Ref. « Quarta, quae funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiae... persolvatur* ».

Quid autem' sub nomine funeralium veniat, ita Barbosa *loc. cit. n.* 37 declarat: « Funeralia dicuntur, quae ratione sepulturae « obveniunt, *cap... Cum liberum, cap. Nostra, §e Sepult...* et quae- « cumque occasione funerum ad ecclesiam perveniunt... etiam « praeter morientis voluntatem; Item et ea, quae cum funere « portantur ».

Et ad rem Parochus apprime facere inquiebat Resolutionem S. C. Episc, et Reg. quam, praeter Iulium Lavorium, *Var. lucubrat. tit.* 2 c. 3 *n.* 179, his verbis refert Barbosa *loc. cit. n.* 38: « Utrum si Parocho in die funeris data sit sola candelarum et « facularum quarta; et deinde sequenti die solemniori pompa, « magno scilicet adhibito Religiosorum, Confraternitatum et Pre- « sbyterorum numero in alia ecclesia, ubi mortuus sepulturae « mandatus fuerat, pro eius anima solemnis Missa cantetur cum « distributione candelarum et intorstitiorum in maiore quantitate « quam diei praecedentis, debeatur ex his quoque Parocho « quarta? In qua controversia S. Congregatio negotiis Episc, et « Reg. praeposita, semel et iterum partibus hinc inde auditis, « die 3 Augusti 16^1, nemine discrepante, censuit: *deberi quartam « Parocho ex funeralibus secundo loco factis».*

Item S. C. C. in *Firmana, Funerum* die 18 Iulii 1744, cuius facti species haec est. Consuetudo aderat Firmi, qua non ipso tantum die quo mortuus sepeliretur, sed duobus etiam sequentibus iusta funebria persolverentur eodem apparatu eodemque funeris sumptu; idem agebatur quum annus actus esset, seu in anniversario. Quum Benedictus XIII Constitutione *Romanus Pontifex,* pro Italia insulisque adiacentibus edita, abrogaverit Regularium immunitatem a solvenda quarta funerum, contendebant Patres Minores Observantiae se non teneri ad dandam quartam funerum (quae consistebat in quodam maiore cereo) illis duobus diebus, quibus licet funus repeteretur, corpus tamen defuncti iam sepulturae esset traditum; idque contendebat tum ex consuetudine tum ex iure, quum funeris nomine veniat quidquid corporis causa erogatum est antequam sepeliatur, ut in *I. Funeris sumptus ff. de Relig, et sumpt. Funer. et in Extr. Inter cunctas de Primi, ei Clement. Dudum de Sepult.*

E converso Parochi ea in causa contendebant, Benedict. XIII reduxisse privilegium Regularium ad ius commune : iuris autem esse, ut quarta pars Parocho debeatur emolumentorum omnium, quae ad ecclesiam in qua corpus sepelitur, pervenerint, sive antequam terrae tumulo ve inferatur, sive post, et ad trigesimam usque diem: contendebant praeterea eiusmodi ius confirmari ex centenaria consuetudine. Proposito autem dubio: «An liceat Pa- « rochis civitatis Firmi occasione tumulationis Cadaverum in ec- « clesia Patrum de Observantia exigere cereum, seu Intorticium

« tam die funeris tam diebus sequentibus et die Anniversarii in « casu ». S. Congregatio respondit: *Affirmative quoad diem funeris et duos sequentes. Quo vero ad Anniversarium coadiuventur probationes.* Item in causa *Mediolanen. Quartae funerariaé* die 2 Iulii 1731.

Quare in praesenti themate concludebat Parochus, sibi deberi quartam funerum, quae in urbe N essent celebrata exclusis ceteris Parochis, quamquam compensationem accepisset pro ft> nere Romae non facto.

Quod si quaereretur in quo haec funerum quarta consisteret, respondebat, in ea quantitate consistere, quae invaluit iuxta consuetudinem romanae ecclesiae a Statuto recognitam -, in cuius *cap.* 3 § 10 haec statuuntur: «Nomine autem quartae funeris « iuxta receptam Urbis consuetudinem venit media pars cereo« rum, seu intorticiorum, quae vel circa feretrum tum in asso« datione per viam, tum in expositione in ecclesia ad funus « peragendum, vel in altaribus apposita sunt ».

IURA PAROCHORUM URBIS N. Duo Parochi urbis N, in quorum paroeciarum limite reperiebatur domus Iosephi, contendebant, proprium verumque domicilium Iosephum habuisse in ipsorum urbe in suis paroeciis; quamquam non negarent eundem et aliquod domicilium Romae habere. Illud autem ostendere curarunt ex eo, quod tota familia ad quam pertinebat Iosephus esset eiusdem urbis indigena, in qua et ipse Iosephus natus erat, ibique possessiones haberet; ad normas civilis legis, semper habitus esset Iosephus uti civis eiusdem urbis, quod ex actibus omnibus iudicialibus constaret; quod in casu mortis cuiuslibet, qui ad illius familiam pertinuerit, esset consideratus uti .verus paroecianus earundem paroeciarum; quod in ipso suo testamento iusserit deferri ad templum Regularium ea in urbe, ibique funera peragi. Quod si Iosephus in conducta domo Romae a multis annis degeret, id contigisse inquiebant, quod in agrum romanum sua armenta transtulisset, quin tamen umquam dimiserit domicilium in urbe N, ad quod sese identidem conferret, ubi possessiones et propriam domum haberet.

Hisce autem positis, consequi tum ex notissimo iure, tum ex lege dioecesana, ut cum Iosephi cadaver sepultum esset in aliena ecclesia eiusdem urbis, ibique funus celebratum fuerit, sibi deberi quartam funerum.

Immo contendebant, romanum Parochum, qui iuxta Statutum Cleri romani iam perceperat compensationem ob funus Romae non factum, neque ius habuisse ducendi cadaver ultra portas urbis N, eiusdemque iurisdictionem in defunctum cessasse ad ipsas eiusdem urbis portas; ibique subintrasse ius duorum Parochorum; ideoque emolumenta associationis a portis urbis N ad templum Regularium, Regularibus quoque exclusis, sibi pertinere.

Hoc ostendere curarunt, tum ex quodam dioecesanae legis articulo, in quo dicitur: «solus Parochus est persona necessaria, « ad normam Ritualis romani, pro sacris caeremoniis in trans« latione cadaverum ad ecclesiam » : tum ex eo quod in similibus casibus id semper servatum esset : qua de re afferebant tria vel quatuor exempla defunctorum eiusdem familiae, in quibus res ita se gesserant: praesertim vero recens exemplum, cuiusdam Ioannis, qui Romae decesserat, et domicilium haberet in eadem urbe N, in qua praecipuam anni partem degebat; quum enim sepulturam elegisset in quodam templo eiusdem urbis N, Parochus romanus defunctum Ioannem detulit usque ad dictae urbis portas, cui proprius Parochus successerat; mota inde in curia episcopali quaestione super quarta funerum, Parochus defuncti Ioannis die 28 Maii 1859 victor extitit contra ecclesiam in qua idem Ioannes fuerat sepultus.

IURA REGULARIUM. Regulares per causidicum initio contendebant, romanos Parochos iuxta Statutum romani Cleri posse exigere quartam dumtaxat in funere eorundem paroecianorum, qui alibi decesserint et in aliena ecclesia tumulati fuerint, iuxta cap. 7 § 8: «Idem pro funere illius, qui ab Urbe profectus, quin « domicilium amiserit, alibi decesserit. Hoc tamen in, casu, si « funus peractum fuerit, Parochus Urbis, cui suberat defunctus, « quartam funeris repetat a Parocho loci ubi decessit». Quod si funus factum non fuerit in ecclesia tumulante, vel non factum fuerit iuxta conditionem defuncti, tum ius habere compensationem ob funus non factum; iuxta *cap.* 3 §§ 15 *et* 16: «Funus in « parochiali ecclesia celebrari debet, etiamsi alibi defunctus se« peliatur, vel in aliena paroecia, vel hospitali obierit. Quod si « heres aliud mandaverit, nullum exinde parochialis ecclesiae « iuribus praeiudicium illatum censeatur. Hinc cerei omnes, qui « in funere sive circa feretrum sive in altaribus ecclesiae expo-

« nentis fuerint adhibiti paroeciae defuncti debentur. Quod si « funus non fiat, vel factum non sit iuxta defuncti conditionem « ab iis qui tenentur, iuxta § 3 ius petendi et recipiendi quid * interest soli proprio Parocho asseritur ».

Quum itaque in themate Parochus sancti Gelsi consequutus iam esset compensationem ab herede ob funus Romae non factum, nil amplius exigere posse, concludebant, ad normam Statuti romani.

Frustra atem invocari allegatam ex adverso Resolutionem S. G. G. in *Firmana* 18 Iulii 1744, propterea quod in ea causa de ecclesia ageretur, in qua specialis vigeret consuetudo : eo vel magis, quod in praesenti themate, quum heres iam satisfecerit funeri Romae non facto, eo ipso iuri paroeciae s. Celsi iam satisfecerit.

His animadversionibus factis adversus iura romani Parochi, Defensor se convertit ad impugnanda aliorum Parochorum iura animadvertit itaque domicilium contrahi facto habitationis et animo perpetue permanendi, eiusmodi animum iure fingi praesumique debere post habitationem per lapsum decennii : at vero Iosephum a quadraginta abhinc annis habitationem Romam transtulisse, et non solum ratione negotia gerendi, quae quidem gerere potuisset etiam in urbe N ; sed ut hic perpetue moraretur. Nec interesse an identidem in urbem N redierit, quum non amittatur constitutum domicilium ab eo, qui negotiorum causa a sua habitatione discedat, animo quamprimum redeundi, Schmalzgr. *L* 2 *Ut* 2 § 2 ***n.*** 9, aliique.

Insistebat autem contendendo, Iosephum domicilium Romae tantum habuisse, non autem in urbe N ; ob rationes iam superius indicatas: neque posse obiici, subiungebat, domicilium ratione fori Iosephum eadem in urbe retinuisse. Huic namque obiectioni respondit, domicilium ratione fori esse ius, quo frui ille quoque potest, qui nec habitet in loco ubi tale domicilium habere dicatur : contra vero domicilium ratione paroeciae pendere ab habitatione, nec quemquam dici constituique posse paroeciani alterius, quin suam transferat permanentem habitationem.

Quod si per hypothesim dici velit, Iosephum aliquod domicilium habuisse etiam in urbe N, subsumebat, domicilium ratione quartae funeris non desumi dumtaxat ex habitatione ; sed etiam ex susceptione sacramentorum, de qua re sic scripsit Be-

Tardi *Ius can. un. t.* 1 *diss.* 6 *de Parochis c.* 3: «Utque in primis * generalem disciplinam expendam, iuxta quam, seclusa electione, « quis est in parochiali ecclesia tumulandus, *cap.* 3, *de sepult.* « *Clement.* 2 *eod. tit.,* dico nomine ecclesiae parochialis eam ec- « clesiam intelligi, in qua quis sacramenta, dum viveret, susci- « piebat; illa inquam sacramenta in quibus administrandis pa- « rochiale ius exercetur : unde colligitur, domicilium potius, quam « originem attendendam esse, adeo ut qui duplex domicilium « diversis anni temporibus contraxerit, is in ea ecclesia tumu- « letur, in cuius finibus mortuus fuerit; immo etsi tantum ex « accidenti extra parochiae fines quis moriatur, si commode ne- « queat ad parochialem ecclesiam transferri, in ea ecclesia in « cuius finibus decesserit, sepeliatur, dicto *cap.* 3 *de sepult, in* 6». Item Pirhing *lib.* 3 *tit.* 28 *n.* 47 *et* 61, et alii.

In facto porro esse, Iosephum eiusque familiam a quadraginta abhinc annis romanum Parochum habuisse tamquam proprium unicumque, a quo sacramenta perceperint et paschali praecepto satisfecerint; ideoque Parochos urbis N, quum nullam iurisdictionem paroecialem habuerint in Iosephum, non posse modo emolumenta funeralia exigere.

Multoque minus exigere posse iura associationis cadaveris; idque ex eo quod associatio cadaveris sit pars funeris, quod et in Statuto romani Cleri sancitum extat *cap.* 6 § 32. « Si vero « ab Urbe ad aliam regionem deferatur, Parochus Urbis ad se- « pulcri usque locum cadaver comitetur». Neque iuvare contraria adducta exempla, quae in urbe N contigerant; quorum valorem infirmare Defensor curabat, tum quod defuncti illi, de quibus ageretur, domicilium Romae non haberent; tum ex aliis rerum adiunctis.

E**A QUAE EX OFFICIO SUNT ANIMADVERSA**. Multa ex officio fuerunt considerata in variis causae propositionibus quorum haec seligimus atque ad invicem concinnamus. Praemisso textu in *cap.* 2 *de sepulturis in* 6 ubi legitur : « *Ab eo qui duo habet domicilia se collocans aequaliter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum ecclesiae habebunt inter se dividere canonicam portionem » :* animadversum est, adverbium illud *aequaliter* intelligi consuevisse morali quodam sensu, ita ut non esset arithmetice considerandum habitationis tempus. Hoc in sensu datam fuisse Resolutionem in quadam causa *Ariminen. Quartae*

Funerum die 29 Novembris 1851. In ea enim causa quaedam mulier Annae nomine sepulcrum gentilitium habebat in templo quorundam Regularium : annos duodecim habitaverat domo campestri intra limites paroeciae s. Laurentii, sed eodem tempore domum urbanam retinuerat intra paroeciam s. Ioannis, quo se conferebat interdiu, et identidem ibidem pernoctabat. Ipsa autem quamvis saepius, dum viveret, declarasset, non agnoscere uti paroeciam suam illam s. Laurentii ; ideoque numquam voluisset sacramenta suscipere ab eo Parocho, nihilominus cum satis constaret de eius animo et facto habitandi rurali domo, mota post eius mortem causa de quarta funerum, S. Congregatio Concilii decrevit, quartam funerum a Regularibus dandam, aequaliter inter utrumque Parochum esse dividendam.

Facta itaque hypothesi, Iosephum duplex habuisse domicilium, quartam funerum esse inter Parochum romanum et Parochos urbis N dividendam.

Sed prima difficultas, quae sese menti offerebat, in hac generica quaestione, erat funus Romae peractum, quod etsi factum non est, eius tamen compensatio Parocho data fuerat; ideoque alterum solemne celebratum in urbe N videri posset funus extraordinarium ad quod romanus Parochus ius nullum haberet ; atque proinde integra canonica portio ad duos Parochos urbis N pertineret.

Haec tamen difficultas ita solvebatur: in *Clementina^ Dudum de sepult,* praescribitur dandam esse quartam ab ecclesia Regularium *de obventionibus omnibus funeralibus ;* quae quidem loquutio, quum universalis sit, non videtur admittere distinctionem inter funus ordinarium et extraordinarium, neque casum excludere, quo aliquis funebris actus celebratus iam sit in propria paroecia antequam funus celebretur in tertio loco : praesertim quum quarta funebris ab ecclesia tumulante debeatur Parocho quasi in recognitionem iuris tumulandi. Quare Berardi *loc, cit,* sic concludit : « Igitur quarta parochialis deducitur ex « iis oblationibus, quae vel ex defuncti voluntate, vel voluntate « heredis fiunt funeris occasione : occasione inquam funeris, « cuius nomine intelligitur vel celebritas ducendi cadaveris vel « celebritas exsequiarum, dum cadaver tum utatur, faciendarum ». Neque huius quartae portionis canonicae debitor est heres sed ecclesia ipsa, Barbosa de *Offic, et potest. Paroch. p.* 3 25 *n.* 18.

Ergo facta hypothesi Iosephum duplex habuisse domicilium, non poterat excludi Parochus domicilii romani ad participandam quartam funeris quod in urbe N fuit celebratum.

At vero, etsi omnia funebria quae in urbe N gesta sunt ad unum funus universim consideratum referebantur ; attamen ratione iurium distinguendum erat funus celebratum in templo Regularium, et associatio cadaveris pompa funebri facta usque ad templum N. Quare et altera oriebatur quaestio : ad quem pertinerent huius associationis emolumenta.

Ad hanc resolvendam quaestionem recolebatur Constitutio Benedicti XIII, *Romanus Pontifex,* anno 1725 pro Italia insulisque adiacentibus edita, in qua haec inter cetera constituit: *« Statuimus... ut... Parochis defunctorum, qui in ecclesiis quo-*
« rumcumque Regularium tumulahuntur, persolvatur et cum effectu
« tradatur quarta pars omnium Intorticiorum et candelarum qui-
« bus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem asso-
« dabitur______A praedicta tamen quarta funerali exceptae intel-
« ligantur et sint candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares vel
« piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per
« mam accensas deferent... Ubi vero consuetudines legitime pro-
« batae, conventiones, concordiae vel statuta mgerent, quae prae-
« fatis Parochis magis faverent . . . ab omnibus observari . . .
« iubemus ».

Verum haec Constitutio in themate aptari non undequaque poterat : in ea sermo non est de defuncto, qui habuerit duplex domicilium et in diversa dioecesi; sed de defuncto, qui associetur a Regularibus a sua paroecia: et scopus Constitutionis est, ut Regularium iura quoad quartam funerum ad normam communis iuris reducatur. Quare quaestio eadem manebat resolvenda ad tramites iuris communis.

Ad tramites communis iuris, si defunctus, nec sepulturam propriam habeat neque eligat alienam, sepeliendus est in propria paroecia ubi decedit ; et omnia funeris emolumenta cedunt poroeciae in qua et sepeliendus est, quin alterius domicilii Parochus ius aliquod praetendere possit. In potestate videlicet defunctus manet eius Parochi proprii in cuius paroecia decedit. Hoc autem Parochi ius in defunctum non cessat quando in aliud sepulcrum transferendus sit, quousque cadaver non tradiderit ecclesiae sepulcri : quare ius associandi cadaver usque ad eccle-

siam alienam ad Parochum pertinet in cuius paroeciae defunctus decessit.

Ius ergo associationis in praesenti themate unice ad romanum Parochum pertinebat : ideoque quidquid gesserint duo Parochi urbis N in associatione cadaveris a portis eiusdem urbis usque ad templum; huius associationis emolumenta pertinere iure ad eos non poterant.

Neque de locali consuetudine et statuto sermo haberi poterat ; quum non ageretur de iuribus moderandis inter eiusdem dioecesis Parochos : sed de communi iure inter Parochos duarum dioecesium ; inter quos ostendenda fuisset consuetudo seu praescriptio. Quemadmodum autem leges seu Statutum romani Cleri hac in re utiliter invocari non poterat adversus Parochos urbis N, ita vicissim leges dioecesanae urbis N hac in re invocari utiliter non poterant adversus romanum Parochum.

Haec quidem dicenda visa sunt in hypothesi duplicis domicilii. Quod si unicum domicilium illudque Romae Iosephus habuisse censeretur, simplicior fuisset quaestio : tunc enim Regulares integram quoque quartam funeris romano Parocho tradere debuissent.

Quod si in urbe N domicilium unice habuisse Iosephus iudicaretur, tunc forte dici posset, romanun Parochum proprio defuncti Parocho tradere debere ipsum defunctum, iuxta ea quae tradit Barbosa *de offic, et pot. Par. p.* 2 c. 26 *n.* 70 : « ubi « defunctorum cadavera in alterius parochia existèrent et in ec- « clesiis Fratrum sepeliri debeant, prius in ecclesiam parochia- « lem ad benedictionem et ultimum vale a Parocho recipien- « dum deferenda sunt ». Quo in casu Parochi dumtaxat urbis N ius habuissent ad quartam funerum a Regularibus rependendam.

His aliisque deductis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An et quomodo constet de iure pro duobus Parochis « (urbis N) associandi cadaver (Iosephi) a portis urbis (N) ad « ecclesiam Regularium tumulantem in casu ».

II. « An, quomodo, et cuius favore constet de iure percipiendi ceram in associatione adhibitam et quartam quoad funus « celebratum in urbe (N) in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 6 Maii 1870 respondere censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Quoad cereos associationis spectare ad Parochum Urbis* (Romiel: *quo vero ad quartam funeris eam esse dividendam inter eundem Parochum Urbis et alterum ex Parochis;* (urbis N), *in cuius finibus extat ianua principalis domus familiae* (Iosephi).

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Causam ecclesiasticam rite introductam in legitimo tribunali non posse in Sacris Congregationibus pertractari, quin auctoritate SS.mi prius a tribunali legitimo avocetur.

II. Causas, quae exigunt accuratum processum, in Sacris Congregationibus non pertractari, nisi prius saltem processus fuerit in Curia episcopali constructus (1).

III. Colliges insuper quum de defunto agitur, qui in duabus dioecesibus domicilium habuerit et in loco tertio sit sepeliendus, quartam funeris portionem, quam ex communi iure solvere debet ecclesia sepulcri, dividendam esse inter utrosque domiciliorum Parochos.

IV. Ius associandi defunctum ad eum ex duobus Parochis pertinere in cuius paroecia ille decessit.

V. Eiusmodi ius non cessare quosque associationis Parochus ecclesiae sepulcri defunctum non tradiderit.

VI. Si associatio pompa funebri fiat, quae ex ecclesia sepulcri derivet, Parochum associationis ad funebrem associationis quaram ius habere videri (2).

(1) Memoriam tantum habemus cuiusdam processus, quem SS.mus Pater ex speciali gratia faciendum commisit R.mo Secretario S. C. C. in quadam causa Professionis religiosae; quum haberi non potuerit ex Curia episcopali.

(2) Dixi ad funebrem associationis quartam ius habere videri : namque posset forte dici, Parochum ad integra emolumenta associationis pompa funebri factae ius habere ; salva semper compensatione ex iustitia naturali facienda. Posset enim aliquis sic argumentari : solus Parochus, in cuius paroecia defunctus decessit, ius habet associandi cadaver: ergo solus ius habet ad omnia emolumenta quae huic associationi accedunt.

Sed nihilominus verius esse videtur contrarium; quod,.scilicet, si pompa funebris oriatur ex ecclesia sepulcri et Parocho associanti occurrat, Pa-

VII. Neque iura alterius Parochi inde laesa intelligi, quum ille Parochus ius associandi defunctum unice habeat in cuius paroecia decessit.

VIII. Quare etsi nomine iuris funerum intelligi soleant omnia emolumenta quae occasione funeris et sepulturae obveniant, nihilominus hisce in quaestionibus distinguendum esse funus stricto sensu acceptum a iure associationis.

IX. Neque alterutrum ex Parochis excludi posse a funeris quarta vel a iure associationis, quia aliquod funus in sua ecclesia iam peregerit et ab herede defuncti emolumenta perceperit: quum quarta funeris portio non ab herede debeatur sed ab ecclesia secundi funeris in iurium paroecialium recognitionem.

X. Neque utiliter posse invocari in detrimentum vel emolumentum alterutrius Parochorum dioecesanas leges vel consuetudines quae forte his generalibus iuribus adversentur ; nisi forte ex longaeva consuetudine praescriptio legitima orta sit inter utriusque dioecesis Parochos.

XI. Colliges praeterea, duplex domicilium, ratione horum paroecialium iurium, intelligi contractum, si ille, qui decessit aequali fere ratione se collocasse videatur in uno alteroque loco, ita ut utrumque animo retinuerit tamquam proprii domicilii locum.

XII. Posito hoc duplici domicilio, subintrare ex se Parochorum iura ; quamquam forte qui decessit, noluerit alterutram uti suam paroeciam agnoscere.

XIII. Colliges denique, domum, quae extet in limite duarum paroeciarum non posse esse subiectam utrique Parocho, sed illi

rochus ius habeat ad quartam huius associationis portionem. Pompa enim haec funebris, quae ab ecclesia sepulcri oriatur, videtur esse quoddam initium funeris in ea ecclesia celebrandi : ideoque ecclesia sepulcri non videtur posse excludi ab eiusmodi emolumentis, quamvis excludi possit alter Parochus, quia defunctus adhuc in potestate manet Parochi associationis.

Quare in Resolutione S. C. ad secundum dubium, per verba: *Quoad cereos associationis spectare ad Parochum Urbis,* puto intellectam fuisse quartam associationis portionem, quae iuxta synodales leges urbis N, uti vidimus, consistebat in cereis associationis, qui, tamquam funebris associationis quarta, ad Parochum associantem pertinebant.

tantum, cui sub aliquo adspectu, ratione saltem ianuae principalis, dici possit propinquior.

XIV. In praesenti vero the nate, Iosephum, si forte aequali ratione moratus per accidens non fuerit in urbe N ac Romae, animo saltem utrumque locum uti suum domicilium vere habuisse et cum effectu retinuisse : ideoque iura paroecialia praedicta subintrasse.

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus nonnulla praecipua disciplinae capita constituuntur quoad Episcoporum electionem in Patriarchatu Babylonensi Chaldaeorum (*)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam [rei Memoriam

« Cum ecclesiastica disciplina verae fidei sepimentum sit ac tutela firmissima, quippe quae sacro cohaereat dogmati (1), et ad eius puritatis conservationem maxime conducat, iamdudum Nobis erat in animo hanc potissimum in Ecclesiis Orientalibus accuratius ordinare, ubi incerta ac minus apte esset constituta, ubi vero coilapsa et fortasse etiam temporum asperitate obliterata, instaurare, salvis tamen earum ritibus a SS. Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis. Siquidem probe novimus eamdem disciplinam, ubi semel depravata fuerit et corrupta, haeresum magna ex parte causam esse et originem (2). Et quoniam sapientissimorum medicorum more, uti S. Basilius monuit (3), a praecipuis malis sumendum est initium, idcirco, a rite ordinanda sacrorum Antistitum electione exordiendum esse existimavimus. Etenim quales sunt qui praesunt, tales plerumque, ut idem inquit Basilius (4), et eorum qui parent mores esse

(*) Confer alias Litteras Apostolicas, quae ad Patriarchatum Babylonensem referuntur, quasque exposui *pag. 376 et seqq.* nec non acta Consistorii secreti habiti die 12 Iunii 1867, retuli in *Vol. III, pag. 377 et seqq.*

(1) Pius VI Apost. Litt. *Quod aliquantum* 10 Mart. 1791.

(2) Act. Concil. Trid. ap. Labbé Edit. Colet. Tom. XX, col. 75.

(3) Ep. 66 ad Athanas. Epis. Alex.

(4) Ad Amphiloch. ep. 190.

solent : ac ferme impossibile est veram catholicam fidem absque ulla erroris commixtione servari, sacramque Ecclesiae disciplinam, quam illius retinaculum S. Cyprianus (1) appellabat, inviolate custodiri, nisi optimi quique Pastores excubias agant diligentissime super gregibus eorumdem curae commissis.

« Qua in re ita canonum paternorum decreta libranda ac Praedecessorum Nostrorum praecepta méíienda existimavimus, ut quae in Ecclesiae utilitatem praesentium temporum necessitas deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri sic temperaremus, ut nec in totum formam veterum viderentur excedere regularum, et simul reparandae Ecclesiasticae disciplinae consulerenms. Sicut enim quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat immutari, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei.

« Hoc sane consilio factum est, ut cum Constantinopolitam Armeniorum provinciam Patriarchatui Ciliciae coniungeremus, oblatam hanc occasionem libenter arripuerimus, ut praecipua quaedam disciplinae capita, praesertim de Episcoporum electione, in memorato Patriarchatu perpetuo servanda sanciremus Apostolica Nostra Constitutione, cuius initium est *Reversurus* edita IV Idus Iulias anno MDCCCLXVII. In qua aperte ediximus, gravissimum hoc negotium de sacrorum Antistitum electione in reliquis quoque Patriarchatibus Nos fore quamprimum moderaturos. Quod etiam significare non omisimus coram Ven. Fr. Nostris Patriarchis ac reliquis Orientalis ritus Antistitibus, qui in saecularibus solemnibus BB. Apostolorum Petri et Pauli ad hanc almam Urbem Nostram convenerant.

« Hos inter cum non adfuisset Ven. Fr. Iosephus Audo Babylonensis Chaldaeorum Patriarcha, utpote qui in Gürdistaniae montes, posthabitis longaevae aetatis ac difficillimae regionis incommodis, divertisset, ut Nestorianis in Ecclesiae sinus revocandis alacrem atque utilem pro suo more operam impenderet, universa acta Consistorii praedicto iam die et anno habiti, una cum memorata Constitutione, par Nostram Fidei Propagandae Congregationem Negotiis Ritus Orientalis praepositam, missa fuere. Quae ubi accepit, primo quidem per Ven. Fr. Nostrum

(1) De Habit. Virgin.

Eliam Episcopum Akrae Chaldaeorum, quem ad hanc Apostolicam Sedem allegatum praedictis solemnibus suo nomine ac vice interesse iusserat, tum per suas litteras ad praefatam Congregationem semel et iterum datas, significatum Nobis voluit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione servandas minime a Nostra voluntate dissentire, quam omni studio et obedientia excipiendam profitebatur ; atque ex praemissa episcopalium electionum ordinatione bene sperare si utilis Nobis et opportuna videretur : velle autem, ut quod gaudio et laetitiae Nobis est, semper perficiatur. Inter haec vero aliud obsequentissimi Nobis animi argumentum exhibere non distulit, propositis aliquot nominibus Sacerdotum sui ritus, ut quos digniores ac magis idoneos in Domino iudicaremus, eosdem Chaldaeorum Ecclesiis Amidenae seu Diarbekiren, atque Mardensi, quas pastoribus suis viduari contigerat, praeficeremus : quod a Nobis actum est Apostolicis Nostris litteris editis sub annulo Piscatoris die xxii Martii huius anni. Quae omnia maximae profecto consolationi Nobis fuere, magnumque solatium in tribulationibus atque angustiis, quibus undique premimur, attulerunt : quandoquidem et eximium praedicti Ven. Fr. Nostri Iosephi Patriarchae zelum in procuranda commissi sibi gregis utilitate, et singularem eius in Nos, et in hanc B.mi Petri Cathedram reverentiam ac fiduciam praeseferebant : atque ita in pleniorem atque firmiorem spem Nos adduxerunt, fore ut recto demum in omnibus ordine constituto, Chaldaeorum Ecclesia tot sane nominibus insignis, in pristinum decus aliquando restitueretur.

« Omnibus itaque mature perpensis, ac de consilio Ven. Er. Nostrorum S. R. E. Cardinalium praefatae Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ea quae sequuntur in memorato Babylonensi Chaldaeorum patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda constituimus atque sancimus.

I. In electione Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi, exclusis omnino clericis et sacerdotibus, qui episcopali charactere non polleant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem habere poterit, quovis quaesito colore vel praetextu.

II. Porro electum Patriarcham neque uti aiunt inthronizari,

neque ullum ius aut iurisdictionem, ne procuratorio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius eiusdem electio seu postulatio a Nobis vel a Rom. Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis eiusdem fuerint expeditae, sublata qualibet e contrario consuetudine.

III. Eidem Patriarchae, quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licebit Episcopos consecrare, nec convocare concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare, antequam ab eadem Apostolica ISede sacrum pallium obtinuerit.

IV. Praedicto autem pallio Patriarcha uti tantum poterit in Missarum solemnibus intra fines et in ecclesiis sui Patriarchatus, his dumtaxat diebus, videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in festis S. Stephani protomartyris, S. Ioannis Apostolis et Evangelistae, Circumcisionis Domini, Epiphaniae eiusdem, Dominicae in Palmis, Feria V in Coena Domini, Sabbati Sancti, Dominicae Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, sacratissimi Corporis Christi, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae seemper Virginis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis eiusdem: item in festis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Omnium Sanctorum nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in praecipuis Ecclesiae suae festivitatibus, in ordinationibus Clericorum, in consecrationibus Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae quam dedicationis ecclesiae.

V. Sacra Limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli statis a iure temporibus idem Patriarcha personaliter et per seipsum visitabit: Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio ac rebus omnibus ad Patriarchatus statum pertinentibus,* eiusdem monita et mandata humiliter excipiet ac diligentissime exequetur.

VI. Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum eiusdem Patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et ab Episcopis synodaliter congregatis, tres idonei ecclesiastici viri, collatis consiliis, Rom. Pontifici pro tempore

existenti proponantur, ut ex illis digniorem et magis idoneum eligere, et vacanti episcopali sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere studeant, ne umquam cogamur Nos vel successores Nostri pro Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si quandoque propter instantem necessitatem aut itineris longitudinem universi Episcopi ad Synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere non potuerint, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes, una cum memorato Patriarcha, in eamdem Synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem, ut universa acta eiusdem Synodi ad praefatam Congregationem orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam per Nostrum et huius Sanctae Sedis in Mesopotamia Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro vel Successorum Nostrorum iudicio subiiciantur. Hanc vero methodum in electione omnium et quorumcumque Episcoporum in Babylonensi Chaldaici ritus Patriarchatu perpetuis futuris temporibus omnino servari iubemus.

VII. Ut autem, omni excluso Laicorum arbitrio, sarta tecta serventur Ecclesiae bona, quae canones (1) in potestate sacrorum Antistitum esse voluerunt; atque ut regulae áb iisdem canonibus (2) sancitae ad diligentem eorumdem bonorum conservationem ac fidelem administrationem procurandam firmius custodiantur, edicimus Patriarcham non posse vendere, vel donare, vel oppignerare, aut de novo infeudare, vel alio quocumque modo alienare possessiones pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque Ecclesias vel loca pia sui Patriarchatus; neque assentiri, ut a quovis alienentur, inconsulto Romano Pontifice, iuxta formam iuramenti quod electi Patriarchae ritus orientalis in sua promotione emittere tenentur.

« Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane, si quid contra praemissa a quolibet quavis

(1) **Can. Apios. XXXVIII Concil. Antioch. can. XXIV, XXV, Concil. Gangren. Can. VII.**

(2) **Concil. Chalcedon. can. XXVI Concil. Nicaen. fi can. XI.**

auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; ac reservantes Nobis, et Successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in memorato Babylonensi Patriarchatu pro temporum, locorum, ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

« Decernimus quoque, praesentes Nostras Litteras semper et quandocumque validas et efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; quin ullo umquam tempore et quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari .aut impugnari possint^ sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, sublata eis et eorum cuilibet quavis facultate aliter iudicandi et interpretandi.

« Non obstantibus Nostra et Cancellariae Nostrae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, etiamsi editis in synodalibus, provincialibus, generalibus atque universalibus conciliis; dictaeque Ecclesiae patriarchalis Babylonensis Chaldaeorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis atque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis et cum quibusvis, etiam insolitis clausulis et decretis concessis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide harum quoque serie motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibusque etiam speciali mentione dignis.

« Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae et ostensae.

« Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, sanctionis, prohibitionis, inhibitionis, iussionis, praecepti, mandati, iniunctionis, reservationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis -Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

« Datum Romae apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae MDCCGLXIX. pridie kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno vigesimoquarto. »

G. Gori Subdatarius.

N. **CARD. PARACCIANI CLARELLI.**

Visa de Curia

Dominicus Bruti Abbreviatur

Loco ^Plumbi

I. Cugnonius.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

MAGERATEN.

Die 5 Martii 1870.

<< Quum totus Clerus Civitatis Maceraten. insimul incedit Canonici Collegiatae Ecclesiae Sancti Salvatoris praecedentiam praetendunt super Mansionarios Cathedralis. Qui aegre ferentes rem saepius reclamarunt ac tandem Anno 1857 ad Sacram Rituum Congregationem recursum habuerunt eique nonnulla Dubia hac super re solvenda proposuerunt. Sacra vero eadem Congregatio, antequam quidquam decerneret, Rmo Domino cl. me. Amadeo Zangari tunc Episcopo Maceratensi commisit, ut auditis interesse habentibus votum suum panderet super controversia ipsa. Verum cum praelaudatus Episcopus forsan morte praeventus nec iura a partibus exhibenda nec informationem ac votum suum

transmisisset, res in suspenso mansit donec occasione visitationis ab odierno Episcopo Maceratensi aperiendae iterum controversia exarsit. Ad eam igitur dirimendam novas porrexit preces Sacrae huic Congregationi Episcopus ipse; quae iis receptis Oratori prius in negotio hoc ea facienda commisit quae ipsius Antecessor exsequi nequiverat. Et Orator sedulo mandatis obsequens iura a partibus exhibita nec non informationem et votum suum transmisit. Hisce peractis ac voto in scriptis super controversia ipsa exarato ab altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris tria insequentia Dubia ab infrascripto Secretario pro opportuna solutione proposita fuerunt nimirum:

I. An quando totus Clerus Saecularis insimul incedit sub unica aut absque ulla Cruce, sive sit, sive non sit Chorali habitu indutus, Mansionarii debeant se seiungere a proprio Capitulo ut locum cedant Canonicis Collegiatae, qui praecedentiam praetendunt vi Bullae editae die 21 Aprilis 1476 a Locumtenente ei. me. Cardinalis Iuliani Legati a Latere in Marchia fel. rec. Xisti Papae IV, in qua erectio ipsius Collegiatae confirmatur, et in qua haec verba leguntur, nimirum Canonicos praedictae Collegiatae debere, *sedere, stare, incedere in omnibus Functionibus immediate post Canonicos Cathedralis?*

II. An supra relata verba Bullae *sedere, stare, incedere etc.* possint ac debeant eo modo intelligi quo intelliguntur a Canonicis Collegiatae; vel potius ita interpretari debeant, ut praecedentia memoratis Canonicis debita sit ante quodcumque aliud Corpus morale extraneum a Cathedrali et non ante Mansionarios, qui, cum unum Corpus morale eíficiant cum Canonicis Cathedralis, numquam ab ipsis sunt seiungendi; eo vel magis quod Mansionarii instituti nondum erant cum Bulla superius recensita fuit edita?

III. An quando Mansionarii debeant thurificari et pacem recipere si Capitulum Collegiatae Ecclesiae Functionibus Cathedralis assistit, nempe post ultimum Cathedralis vel post ultimum Canonicum Collegiatae prouti Canonici eiusdem Collegiatae contendunt innixi verbis citatae Bullae contra usum ac consuetudinem constantem Cathedralium ac praesertim Metropolitanae Ecclesiae Firmanae ?

« Et Sacra Congregatio omnibus mature accurateque perpensis propositis Dubiis respondendum censuit:

« Ad I *Negative.* Ad li *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* Ad III *Tit ad proximum;* atque ita respondit et servari mandavit. Die 5 Martii 1870.

C. Episcop. Port, et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.
Loco % Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Cathedralis ecclesiae Clerum, quando uti unum corpus morale cum Capitulo incedit, sive cum cruce sive absque cruce, non debere abscindi per alios extraneos, quamquam extranei, uti singuli considerati, digniores sint, quam illi qui uti Mansionarii ad ecclesiam cathedralem pertineant (1).

(1) In Episcopi voto ratio decidendi continebatur, quae hisce in quaestionibus considerari solet. Mansionariorum enim iuribus suffragatus est Episcopus his verbis : « ut eisdem, « quoties sub unica, *aut absque ulla « Cruce* inceditur, praecedentia super « Canonicos collegiatae ecclesiae adiu« dicetur, quia Mansionariis suffraga« tur Bulla Erectionis ipsius collegia« tae, et in decorum insuper videtur « unum Cathedralis Cleri corpus in « his processionibus abscindi. Nec « magni facienda est consuetudo in « contrarium a Collegiatae Canonicis « adserta, cum haec censenda sit po« tius corruptela, quando Rituum ab « Ecclesia praescriptorum ordinem «subvertit. Quoad vero dubium de « praecedentia thurificationis et pacis « dandae annuendum esse putarem « Canonicis ecclesiae collegiatae, quia « in hoc utroque casu inspiciendum « esse reor potius gradus seu stalli, « quam unitatis corporis rationem. Eo « vel magis, quod consuetudo in ec« clesia Maceratensi est, ut aliquibus « solemnioribus anni diebus in Gathe« drali Missae pontificali assistant in « presbyterio ecclesiae collegiatae Ca« noni ei, quibus ex more thurificaiio« nem praebet Diaconus Canonicus « celebrantis administer. Porro, si in « thuriftcatione praecedere deberent « Mansionarii Canonicos collegiatae, « contingeret, ut Canonicus Diaconus « altaris thurificare deberet inferioris « ordinis Clericos seu Mansionarios, « et inde pergere ad Canonicos Còl« legiatae thurificandos, aut deponere « thuribulum, usque tum thurificen« tur a Caeremoniarum Magistro Man« sionarii, et illud postea resumere «ad incensum Canonicis Collegiatae « praebendum: verum utrumque inde« corum omnino videtur. Idem sermo « recurrit quoties de precedentia pa« cis dandae Mansionariis, potius quam « Canonicis Collegiatae tractetur; ea« dem quippe inconvenientia locum « habent. »

A Q U I L A N A

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI TIMOTHEO A MONTÍCULO SACERDOTI PROFESSO ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI, BEATO NUNCUPATO.

D**ECRETUM**. « Quum R. Pater Fr. Vincentius a tennis Postulator Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum ex indubiis monumentis demonstrare adlaboverit Servo Dei Timotheo a Montículo Sacerdoti Professo Ordinis Minorum Sancti Francisci publicum et Ecclesiasticum Cultum ab immemorabili tempore, nempe ante Centenariam a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII requisitam tributum fuisse, eumque Cultum numquam intermissum ad haec usque tempora perseverare, institeritque ut ab hac Sancta Sede Apostolica idem Cultus confirmaretur; E.mus et R.mus D. Cardinalis Alexander Barnabò, loco et vice E.mi et R.mi D. Cardinalis Hannibalis Capalti Causae ipsius Ponentis, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum « *An constet de Cultu publico et Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei seu de casu excepto a Decretis sa< me. Urbani PP. VIII?* E.mi vero ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus maturo examine perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore voce et scripto sententiam suam proferente, rescribendum censuerunt, *Affirmative* seu *constare de casu excepto.* Die 5 Martii 1870.

« Super quibus omnibus facta postmodum per infrascriptum Substitutum Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, confirmavitque Cultum publicum et Ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beato Timotheo a Montículo Confessori. Die 10 iisdem Mense et Anno. »

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae CARD. PATRIZI S. R. C. Praef.
Loco)$i Signi

Pro B. P. D. Dominico Bartolini Secretario
Iosephus Ciccolini Substitutus.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

COEMETERII

Die 6 Maii 1870.

In hoc quinto ephemeriduni volumine, quod hoc ipso fasciculo completur, rebus sic ferentibus, multa contigit disputari de iuribus funerum deque coemeteriis: speramus in proximo volumine fore, ut disputationes frequentiores referre possimus de aliis fidelium iuribus, quae societatis christianae vitam, potius quam mortem in mentem revocent. Illud ideoque auspicabimur a Sessione IV oecumenici Vaticani Concilii (1).

Compendium facti. Post devastationem ecclesiarum civilemque Guberniorum, quae pereunte saeculo decimoctavo con tigit, in nova rerum ordinatione iuxta invalescente? progressus socialis ideas fuit quoque consultum hominibus humandis ; interdicto videlicet ecclesiis iure fideles sepeliendi, impeditaque facultate fidelibus eligendi sibi sepulturam, omnes ferme defuncti ex civilibus dispositionibus in communia coemeteria extra urbes constituta sepeliri coacti sunt.

A simili lege nec Pontificium Gubernium fuit immune: namque ope Consilii, quod a Consultatione nomen habet, quodque publicae sanitati in Pontificia Ditione praesidet, quaedam emanarunt Edicta anno 1817 ad constituenda publica coemeteria; attamen horum edictorum exsecutio multas reperit difficultates.

(1) Ipsa Vaticana Sessio habita est quo die universa Ecclesia festum celebrabat S. CamilJi de Lellis, qui a Deo excitatus est animabus in extremo agone luctantibús subveniendis. Numisma quoque, quod ex more singulis annis iussu R. Pontificis imprimitur ac distribuitur die Natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, hoc anno insculptum refert Coemeterium Romanum opere completum,

Quod semper contingit, quando inveteratis atque rationabilibus consuetudinibus lex quaevis adversetur. Fortius enim mores populorum regi solent longaevis consuetudinibus, quas mores iidem constituunt, quam lege scripta, nisi multa vigilantia auctoritatis vel vis accedat. Unde in pluribus dioecesibus Pontificiae Ditionis horum coemeteriorum erectio locum habere non potuit; atque in ipsa Urbe nonnisi multos post annos publicum coeptum est.

Paucis abhinc annis Episcopus suffraganeus urbis N, auditis Parochis, nec non eiusdem Urbis Municipio, decreta coemeterii publici erectione, regulas ad iura funerum moderanda constituit. In eiusmodi regulis articulus primus decernebat: « omnes accolas « urbis N et^pagorum adiacentium tumulandos esse in publico «coemeterio...» Articulus secundus: «exemptos esse ab hac « lege Vicarium Episcopi generalem, et Delegatum Pontificium « pro negotiis provinciae praeter maioris dignitatis personas in « Statuto Romano privilegiatis et possessores omnium sepulcro- « rum suae gentis vel familiae, cum limitatione tamen, ut dictae « sepulturae non possint concedi, acquiri, donari, legari, alienari « quovis modo, vel transire ex una in alteram familiam, ex una « alteram personam sine expresssa venia Emi Episcopi ».

Articulus quartus decernebat: « Ad compensandas paroeciales « ecclesias ob amissionem emolumentorum, prohibitas esse exe- « qutas, praesente cadavere, in aliis ecclesiis; atque omnia prima « funera in ecclesia paroeciali peragi debere, quamquam defun- « ctus sepulcrum gentilitium vel familiare habeat, in quo heredes « eum tumulari velint, et quamquam ipse defunctus addictus « fuerit Capitulis vel ecclesiis Collegiatis; atque ita, ut post ce- « lebrationem funerum in ecclesia paroeciali, et non antea, possit « defunctus transferri in ecclesiam gentilitii sepulcri ut ibi se- « peliatur propriae 'familiae impensis; neque eadem ecclesia tu- « mulans ullum ius habeat ad emolumenta funebria neque ad «peractum funus; sed solum ad taxam sepulturae, ad formam « synodi dioecesanae, ab heredibus solvendam. Quod si peragi « exsequiae velint, cadavere exposito in ecclesia tumulante, id « peragi debere sine ullo praeiudicio ecclesiae paroecialis, cui « ideoque debeatur cera omnis, et omnia et singula emolumenta, « excepta sepulturae taxa ut supra ».

Cathedrale Capitulum, quum eiusmodi regulas cognovisset, in Comitiis capitularibus habitis die 20 Augusti 1867, animadver-

siones suas patefecit, affirmans: « eiusmodi dispositiones indigere « moderamine ob inconvenientia quae inde derivarent ». Nominatim vero conquestum est de articulo primo et secundo, ex eo praesertim, quod Capitulum ipsum, curam habitualem in Cathedrali haberet in qua et propriam sepulturam: neque consentanea esset canonicis dispositionibus huiusmodi iuris privatio, quidquid sit de Statuto Romanae ecclesiae, in quo tamen ipsi Regulares a lege publici coemeterii immunes essent.

Praeterea, dicere pergebat Capitulum, si in articulo secundo excipiuntur possessores gentilitii sepulcri, excipi debent ex eadem causa Capitulares, qui propria gaudent sepultura; et sicut in eodem articulo eximuntur a publici coemeterii lege maiores Dignitates, ita quoque excipiendum Capitulum quod est Episcopi Senatus atque ideo coetus prae ceteris dignior in universa dioecesi. Scopus praeterea publici coemeterii in publica sanitate collocatur: sed haec publica sanitas nihil patitur si concedatur Canonicis propria sepultura, quemadmodum nihil pati Romae existimatur ex privilegio concesso Emi Cardinalibus, Archiepiscopis et Episcopis; nec reputatur aliquid pati in ipsa urbe N ob usum sepulcrorum familiarium. Et ob eiusmodi titulos et rationes si tumulandi sint Canonici in cathedrali ecclesia, in ea quoque funera peragi debent ad tramites communis iuris.

Animadvertit insuper in eadem Cathedrali quandam existere Capellani, in qua-, ob imaginem Virginis Deiparae magna fidelium devotione cultam, iidem fideles feruntur ad eligendam sepulturam in eadem Capella, emolumento dato Sacristiae quod constitueret eius redditus praecipuos, qui, ex synodo dioecesana, impendendi essent in manutentionem et ecclesiae decorem, qui et ipsi Canonici sua emolumenta cederent. Suppressa igitur eiusmodi sepultura, maiores Sacristiae redditus absque ulla compensatione cessare etc.

Hodiernus Episcopus suffraganeus easdem régulas ad suum Emum Episcopum remittens in ea opinione erat, ut eadem regulae subicerentur S. Sedi pro adprobatione, quum quaedam continerent adversantia communi iuri: atque animadversiones suas patefecit, quod, quum universalis repugnantia existeret adversus publicum coemeterium, si dictae regulae amplius relaxaretur, novae aliorum plurium querimoniae futurae essent, et lex in irritum facile cessura.

Emus eius dioecesis Episcopus dictas regulas S. Congregationi proposuit ut eas adprobaret cum illis modis quos facere S. Congregatio reputare!

Auditis iis, quorum id interesse posset, Rectores ecclesiarum in quibus gentilitia sepulcra existunt, petierunt ut, .iure sepeliendi incolumi manente, sarta tectaque servarentur iura funerum ; Parochi autem facile sinebant, ut eiusmodi articulus reduceretur ad formam communis iuris ; quamquam ille prouti iaceret, imitaretur Statutum romanae ecclesiae.

His praehabitis, regulae fuerunt propositae S. Congregationi.

Disceptatio synoptica.

E**A QUAE EX OFFICIO SUNT ANIMADVERSA**. Qui Consultationes ex officio scribit, ante omnia breviter recoluit historiam de re funerea. Animadvertit scilicet, iuxta leges duodecim tabularum praescriptum fuisse: *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito:* eiusmodi dispositionem, Ulpiano teste, ab Imperatoribus protensam fuisse ad omnes romani Imperii urbes : primis ecclesiae saeculis hanc legem sequutam esse Ecclesiam, prouti vulgaria monumenta testantur, cuiusmodi sunt catacumbae et cryptae quae Romae conspiciuntur, quaeque, ob fidem in resurrectionem, coemeteria vel dormitoria fuerunt appellata. Persecutionibus cessantibus, coemeteria adhuc mansisse a templis separata, sed passim templis appropinquasse, Tomassini, *Vet. et nov. Eccles, disc, de Benef. p. S I. i c.* 66 *n.* 10; idque evenisse ob fidelium pietatem erga Martyres, qui solis in templis recondebantur, quae quidem templa in eorum honorem saepenumero extruebantur : eiusmodi enim pietatem erga fidei héroes talem fuisse, ut fideles optarent quammaxime prope eorum memorias post mortem, iacere ; et quoniam intra templorum ambitum recondi non possent, ad externos Basilicarum parietes fuisse reconditos, iuxta tradita *can.* 15 *caus.* 13 *q.* 2 concilii Varensis, ubi legitur : *Prohibendum est etiam secundum Maiorum instituta, ut in- ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio aut porticu aut in exedris ecclesiae.*

Permissum tamen id fuisse Episcopis aliisque dignitatis vel singularis sanctitatis personis iuxta tradita *ibid. can.* 18 ex concilio Magotiensi: *Nullus mortuus intra ecclesias sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates aut digni Preshutevi vel fideles laici.*

Sed desiderium habendi locum dormitionis in templis magis magisque in fidelibus in dies succrevisse, atque consuetudinem invaluisse eosdem ibidem sepeliendi ut ex *cap. d, b et Q de Sepult,* quod in ius commune transiit. Neque id sine gravi causa, quam iamdiu tradiderat *can.* 17 *cau.* 13 *q.* 2 his verbis: « *Prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quia eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorumque sepulturam aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt.*

invalescente itaque eiusdem consuetudine, lege deinde firmata, mirum haud esse, si novae legi, sepeliendi fideles in publicis coemeteriis extra urbes ratione publicae valetudinis, difficultates occurrant ob rerum statum quem vetus consuetudo posuerat: ideoque in constituendis publicis coemeteriis res ita esse temperandus, ut, salva manente publica valetudine^ funerum iura, quanto minus fieri possint, laedantur.

EA QUAE ADVERSUS PROPOSITAS REGULAS SUNT ANIMADVERSA. Animadversum est, a lege coemeterii exemptum esse Delegatum Pontificium, qui in civili regimine repraesentat principatum Romani Pontificis; et Vicarium generalem, qui in administratione dioecesis repraesentat Episcopum : at vero non esse incongruum, ut excipiantur quoque 'Canonici, qui non solum repraesentant^ sed constituunt realem Episcopi Senatum, quique reputandi sunt digniores, quam ceteri qui sepulcro gaudent gentilitio. Eo magis, quod iure receptum sit, Canonicos, qui habeant sepulcrum in cathedrali et simul sepulcrum gentilitium, sepeliri debere in cathedrali, non autem in gentilitio sepulcro, ut declaratum est, in Tyburtina die 12 Maii 1618: proposito enim dubio: « An idem « Canonicus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri « in ecclesia cathedrali tamquam sua parochia, an potius in se« pulcro maiorum suorum »:, responsum prodiit: *In Cathedrali si in ea adsit proprium Canonicorum, sin minus in sepulcro maiorum.*

Si ergo in propositis regulis serventur sepulcra gentilitia, maiore ratione servanda es"se sepulcra Canonicorum, quae, sepulcris gentilitiis ex ipso iure praeferenda essent.

Item aequum videri a lege communis coemeterii eximere qui sepeliri velint in supradicta Capella, quae in ipsa cathedrali exstabat, ob allegatas a Canonicis causas, quin periculum adesset, eandem Capellani commune quodammodo coemeterium fore eva-

suram ; quum taxa scutatorum decem Sacristiae impendenda multos retraheret ab ea sepultura eligenda.

At praeterea propositas de quibus agimus regulas vehementius laedere videri iura ecclesiarum tumulantium: propterea quod auferrent iisdem ecclesiis ius funerandi, contra ipsum Edictum a S. Consultatione editum anno 1817, in quo statutum fuerat, ut salva manerent emolumenta paroecialia quae sint vel dispositionis vel legitimae consuetudinis (1): quae quidem dispositio ex paritate rationis applicanda quoque esset ecclesiis tumulantibus; quemadmodum applicavit S. C. C. in causa *Ariminen. Iuris tumulandi,* die 14 Maii 1825, in cuius causae expositione animadversum fuerat: « Coemeteria vero causa publicae valetu-
« dinis subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis, Ec-
« clesia proinde, quae ius habebat tumulandi in propriis sepul-
« eris, nunc ius istud exercet in publico coemeterio ; ideoque
« non sublatum ius sepeliendi fuit, sed variatus locus, quod pro-
« fecto non impedit emolumentorum perceptionem et ius pera-
« gendi exequias »: eandemque doctrinam in huiusmodi quaestionibus passim allegari: eoque magis in themate, in quo agitur de ecclesiis, in quibus in propositis regulis ius sepeliendi servaretur. Verum quidem esse per constitutionem publici coemeterii Parochos amittere emolumenta tumulationis; sed, praetermissa animadversione, eiusmodi detrimentum et alias ecclesias quae tumulare potuissent, perferre; hanc emolumentorum amissionem posse alia aequa ratione compensari, non autem privatione iurium quibus alii fruantur.

Sed in quaestionem praeterea posse revocari utrum expediat conservare sepulcra gentilitia et familiaria. Eiusmodi conservationem prohibitam fuisse in legae edictali S. Consultationis anni 1817 per verba: « *Resti espressamente vietato a chicchessia, ancorché privilegiato, o avente sepolcri gentilizi di far seppellire i cadaveri nelle chiese o parrocchie»:* quae latine sonant: « Interdictum omnino cuivis sit, licet privilegiatus vel sepulcro gentilitio gaudeat, cadaver sepelire in ecclesiis et paroeciis ». Quam quidem legem eadem S. Consultatio licet paulisper temperaverit die 15 Maii 1825, quoad substantiam tamen Armara retinuerit (2).

(1) Recolenda sunt quae scripsi in *Vol. I pag. 124 et seq.*

(2) Per litteras encyclicas S. Consultatio die 15 Maii 1825 hanc dispo-

Neque esse praetereundum, in expositis regulis nullam mentionem de Regularibus fieri. Revera S. Consultationem anno 1817 neque Regulares excepisse a communis coemeterii lege: nihilominus Leonem XII fel. rec. ex Motu Proprio diei 28 Februarii 1824 art. 1 statuisse: Regulares utriusque sexus sepeliantur « in suis ecclesiis vel in coemeteriis intra Clausurae ambitum » (1).

Quum insuper inceptum esset Romae coemeterium in agro Verano E.mum Card. Urbis Vicarium per encyclicas litteras diei 19 Iunii 1837 oraculum Gregorii XVI fer. rec. patefecisse his verbis latine conversis: « Art; 6 ex presenti Principali dispositione « exempti sunt dumtaxat Summus Pontifex, Imperantes, Princi« pes ex regio sanguine, Cardinales, Episcopi, Praesules qui ap« pellantur *di fiocchetto*, et ii omnes qui iam possideant Capellani « cum sepulcro gentilitio vel familiari ». Sed quum querelae motae essent apud S. C. Episc, et Reg. a Regularibus Perusiae degentibus, qui a lege communis coemeterii Perusiae exempti non fuerant ob novas dispositiones interim emissas, rogatum de hac re tum fuisse E.mum Card. Urbis Vicarium, qui die 23 Novembris respondit: « Regulares utriusque sexus, qui habeant in suis « ecclesiis, coenobiis adnexis, sepulturam pro religiosa familia « exempti sunt a tumulatione facienda in publico coemeterio, « idque virtute articuli 6 dictae dispositionis... Haec exemptio

sitionem significavit: « *In detti luoghi li Vescovi avvertiranno li Parochi e gli altri Rettori delle chiese e li Superiori dei Conventi e Monasteri a non dar sepoltura nelle loro chiese a qualsivoglia persona e potranno punire U trasgressori con pene a loro arbitrio. Ai Vescovi poi si accorderà la facoltà di poter permettere per qualche motivo ragionevole, che alcune persone ex. g. li Padroni o Benefattori insigni delle Chiese, quelli che vi hanno li sepolcri gentilizi sieno sepolti in chiesa, ma si raccomanda ai medesimi di usare di tali facoltà con molta prudenza, affinchè non ne nascano tumulti ed altri inconvenienti. Peraltro per usare di queste facoltà ne dovranno avanzare la dimanda* ».

(1) Nonnulla postea per specialem deputatam Sanitatis Congregationem paullo diversa fuerunt disposita in constituendo Perusino coemeterio ; scripserat enim eadem Congregatio ad Delegatum Perusinae Provinciae « esser massima esternata dal Sovrano, *che tranne V Ordinario, tutti vi debbono esser interrati senta distinzione di grado o condizione o sieno Secolari o Ecclesiastici o Regolari, escluse le Monache che abbiano clausura, ed i Religiosi ossiano Regolari che abbiano cemeterio particolare fuori dell' abitato* ». Eadem Congregatio die 14 aprilis 1838 institit: « *Ovunque esistano i pubblici cemeteri si riassumano le seppellìzioni senza distinzione di grado, di ceto e condizione* ».

« Regularium confirmata quoque est usu et consuetudine con-« stanti ab emanatione dictae dispositionis ». In agitanda ea Perusina causa, fuisse quoque relata documenta, quae ostenderent, in praecipuis Pontificiae Ditionis urbibus hanc Regularium exemptionem servari. Proposito itaque coram S. Congregatione ad id specialiter a SS.mo deputata dubio: « An et quomodo admittendae « sint reclamationes Religiosorum Perusiae utriusque sexus, et « nominatim Monialium a S. Agnete adversus novas dispositio-« nes de tumulatione in casu » : S. Congregatio die 13 Iunii 1851 respondere censuit: *Affirmative, et servanda esse privilegia Regularium utriusque sexus.*

E**A QUAE ..SUNT ANIMADVERSA PRO EXPOSITIS REGULIS**. E converso pro regulis adprobandis animadversum est, exceptionem factam pro Generali Vicario a lege communis coemeterii, videri conformem legi a S. Consultatione editae anno 1817 et subsequentibus declarationibus per peculiarem Congregationem publicae sanitati deputatam; propterea quod in his statuatur, omnes humandos esse in communi coemeterio, *excepto Ordinario.* Eo magis quod Vicarius Generalis Urbis N de quo agimus soleat esse Episcopus suffraganeus qui ex communi consuetudine exemptus est a communi coemeterio.

Item sepulcra gentilitia servanda esse ex expositis litteris encyclicis E.mi Urbis Vicarii, quarum litterarum dispositiones applicatae a Congregatione sanitatis essent etiam provinciis Pontificiae Ditionis. Nec immerito; namque licet adsint Doctores, qui iuxta Glossam *in cap. unie, de iure patr. in* 6° *et in cap. Qui sentit de reg. iur. in* 6° affirment, ius sepulturae in honorifica Patronorum iura esse connumerandum; alii e converso id negent, uti Lambertin. *de iure patr. L* 1 *p.* 1 *q.* 11 *art.* 12 Lotter. *de Benef. I.* 2 *q.* 4 *n.* 22, Ventrigl. *prax. for. annot.* 1 *de Iurep.* § 4 *n.* 13, Rota *dec.* 162 *\n.* 17 *cor. Bichio* et alibi: certum tamen esse, patronum ex consensu Eiscopi sibi reservari posse eiusmodi ius in *limine fundationis,* quemadmodum S. C. C. resolvit in *Seguntina* 24 Ianuarii 1602, *lib.* 10 *Decret, pag.* 21.

Ideoque sepulcra gentilitia derivare ex patronatu vel ex aliqua peculiari concessione; in priori casu ius sepulcri solere coniungi cum facto fundationis vel dotationis; in altero vero solere coniungi cum aliqua elargitione vel donatione ecclesiae facta ob quam sepulcri privilegium concessum fuerit : in utroque

autem casu ius sepulcri supponere titulum quodammodo **One**rosum, in cuius compensationem ius illud sit concessum : ideoque, nisi boni publici necessitas omnino urgeat, aequum non esse, ut eiusmodi iura abrogentur. Eo magis quod eiusmodi sepulturae ius, quum secumferat onus restaurandi Capellas etc. in detrimentum quoque ecclesiae abrogaretur.

Haec autem repeti non posse si de sepulcro Canonicorum proprio agatur; quum Canonici eiusmodi titulos onerosos, in quorum compensationem concessum sit sepulcrum, afferre non possint; ideoque in themate neque posse invocari legem de praelatione sepulcri canonicalis sepulcro familiari vel gentilitio : quae quidem lex praelationis non solum respiceret Canonicos, sed universum Clerum, si pro Clero universo sepultura constituta existeret, ceu tradit Nicolius *tom.* 1 *lucubr. civil. I.* 4 *tit.* 15 *num.* 23 *vers. ult.* « Clericus non sepelitur in sepulcro maiorum, quando « in Cathedrali vel Matrice adest proprium Clericorum a laicalibus separatum ». Item Monacell. *tom.* 4 *supplem. ad tom.* ***1*** *n.* 176; Pax Iordan. *Som.* 3 *I.* 14 *tit.* 30 *n.* 45; Ferraris *Biblioth. can.* verbo *Canonicus art. 8 n.* 11.

Neque eximendam videri Capellani Deiparae sacram, quam Canonici exemptam voluissent; nam praeter quam quod omne privilegium a communi lege sit odiosum ; ipsum in themate vanam redderet legem; quippe quod, quum nostrates saepenumero abhorrere soleant a coemeteriis publicis extra urbes constitutis, facile Capella illa in coemeterium commune quodammodo converteretur, nulla habita quantitatis taxae ratione, quum mortis periculo pecuniae cupiditas cesset aut saltem mitescat, praevaleatque religionis sensus.

Praeter haec, alia sunt animadversa circa ius funerandi, in quo iure regulae illae fere congruebant cum regulis Statuti romani cleri iuxta celebrem causam in S. Rota agitatam, quam retuli *pag.* 209 *et seq.* de quo iure tamen adnotatum est non videri in urbe N, vigere ea rerum adiuncta, quae Romae vigent, ut eiusmodi dispositiones locum ibidem haberent: ceterum hac in re Parochos urbis N non sese ostendisse alienos ad ius commune prosequendum : ideoque difficultatem cessare. Alteram quoque cessare difficultatem quoad Regulares; quum expositae litterae encyclicae E.mi Urbis Vicarii, quae aptatae sunt etiam ceteris provinciis Pontificiae Ditionis, ita fuerint intellectae, ut

Regulares censerentur comprehensi inter eos qui familiari se pulcro gaudeant.

Dubium.

« An et quomodo expediat propositas regulas adprobare in « casu ».

RESPONSIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 6 Maii 1870 causa cognita respondere censuit: *E.mus Episcopus utatur iure suo ordinario in constituendis mi adprobandis regulis pro usu coemeterii.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Sanctam Sedem non solere auctoritatem suam exserere pro adprobandis legibus, quas Episcopi iure suo facere debeant in administrationem dioecesis (1).

(I) In huius rei confirmationem recoli possunt quae exposui in *Vol II pag. 255 %. Ex his. et seq.* Si Sacrae Congregationes consulantur in peculiaribus casibus, qui aliqua penitiore disquisì t ione indigeant, quae auctoritate episcopali definiri non possit, tum re in accuratum examen revocata, dirimunt ; sed legibus sive pro universa dioecesi edendis, sive pro aliquo peculiari dioecesis instituto, quae ut adprobentur, afferantur, suam auc oritatem S. Sedes adiicere non solet, quum ad ordinariam Episcopi auctoritatem id pertineat.

Cum his tamen non sunt confundenda acta provincialium Synodorum; quamquam et harum adprobatio non sit vera adprobatio, sed. simplex revisio, in qua revisione facienda praecipuae animadversiones Consultorum dari solent, in iis quae forte abhorrere leperiantur ab ecclesiasticis legibus : eademque synodalia acta ex hac authentica revisione nullum peculiarem valorem acquirunt: manent enim leges episcopales seu provinciales, quarum aliquod caput, si in formale iudicium ex aliqua causa forte deinde deducatur, potest etiam detegi atque iudicari tamquam illegitimum, iniustum, aut erroneum; quamquam post revisionem dictam difficile admodum contingat ob diligens examen quo acta expenduntur, de qua re conferri potest ei. Angelus Lucidi in opere de VV. SS. LL. *tom. I pag. 194.*

Vera legum adprobatio intervenit, quando agitur de transactionibus iurium ecclesiarum, quae aliquo modo ius commune laedant, vel attingant successorum iura: hae traasactionum leges ut firmae maneant, Apostolica plerumque indigent auctoritate.

Item vera Apostolica adprobatio intervenit in Constitutionibus Regularium, (quae est actus mirifice osten dens primatum Romani Pontificis in universam Ecclesiam, quum per eum subtrahuntur illae communitates a i u-

IL Semel constituto publico fidelium coemeterio, ad Episcopum pertinere eas aptare leges ecclesiasticas novae huic rerum mutationi; regulasque facere pro iuribus moderandis quae usum coemeterii respiciunt.

III. Quum ex publica profana sanitatis càusa publica coemeteria dicantur inducta, ita se gerere debere ecclesiasticum legislatorem in aptandis ecclesiasticis legibus moderandisque iuribus ut, minus quam fieri possit, ecclesiastica fidelium et ecclesiarum iura pereant aut impedita maneant (1).

risdictione Episcopoium ad normam ss. canonum) eaedemque Constitutiones leges Pontificiae evadunt, in quibus Episcopi ingerere se non possunt. Quod imitatione quadam plus minusve contingit in reliquis ecclesiasticis communitatibus, quae a S. Sede adprobationem Constitutionum quaerant: quae quidem adprobatio per gradus rebus expertis conceditur.

Exceptis his similibusque peculiaribus legibus S. Sedes sese immiscere non solet in legibus conficiendis pro dioecesium administratione.

(1) Vera causa, cur publica coemeteria in compluribus orbis catholici regionibus auctoritate civili sunt constituta, non est iudicio nostro publica salus, cui iam prospectum consultumque fuerat in casibus epidemici morbi; sed altera paullo profundior, quae sua sponte dérivât ex principiis quibus nunc regitur et gubernatur praesens civilis societas, de qua re aliquid scripsimus in *Votum. III p. 44 in nota.* Sed, quidquid sit de huius rei origine et causa, in comperto est, de re agi quae in se est indifferens; disputari siquidem tantum posset quid sit fidelibus pro locorum varietate magis utile. Quum de re in se indifferente agatur, Ecclesia quae non hostiliter inseratur eiusmodi novas institutiones, facile suas leges attemperat, et Romae etiam publicum coemeterium conspicimus munificentissime constructum.

At in eiusmodi attemperandis legibus alia prorsus ratione se gerit, quam se gerant demagogi in innovando. Hi enim repentini homines omnia subvertunt, et aliquid omnino novum facere intendunt, omnibus deletis, quae vetera dicunt. Contra vero Ecclesia, in re disciplinali rite statuta, atque mutanda ob extrinsecam aliquam causam, tantum mutat, quantum necessitas mutandi cogat; atque'omnia retinet, quae retineri possint; saltem rerum mutandarum memoriam. Quod innumeris exemplis ostendere possemus, quae neque in his ephemeridibus desunt.

Eo magis, quod de rebus mutandis in praesentia agitur, quae in pristinum statum pedetentim facile videntur redlturae. Eiusmodi enim publica coemeteria eum exitum sunt sortitura, quem sortita sunt in primis Ecclesiae saeculis, dummodo vigente fidelium pietate, religio catholica apud Gubernia civilia denuo dominetur. Sensim enim sine sensu, quaerentibus fidelibus ex indelebili sensu pietatis in templis vel prope templa, quae praediligant sepeliri, coemeteria extra urbes illis manebunt, qui quaerunt publicam sanitatem. Dixi ex indelebili sensu pietatis, quem sic praeclare expressit quoad suum sepulcrum S. Ambrosius

IV. In condendis regulis, quamvis utile sit prae oculis habere, quid Romae (1) vel in aliis dioecesibus factum constitutumque fuerit, tamen peculiarem legislatorem eosdem oculos figere debere in statum propriae dioecesis in eius consuetudines in indolem eiusdem populi in ea quae ibidem derivare possint ex novis dispositionibus, ut lex, intra limites iuris edita, congrua experiatur, et si forte in iudicium deducatur, sapiens iudicetur.

in epist. 55: *«Succedant victimae triumphales in locum ubi Christus hostia est, sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum praedestinaveram mihi. Digitum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur.*

(1) Ex magna aestimatione, qua Romam catholici orbis caput et magistram omnes profitemur, aliquos non raro audivimus inquirentes, quomodo, quibusnam legibus res ecclesiastica in ipsa Urbe quoad unum alterumve disciplinae caput administretur; idque ex ea ratione, ut eadem in propriis dioecesibus decernere possint.

Sed hac in re irrepere potest magna aequivocatio: namque ideo, quia Urbs est caput et ecclesiarum magistra quibusdam legibus saepe contingit gubernari, quae aliis dioecesibus aptari non possent. In Urbe enim existit supremus Ecclesiae legislator cum sua Curia ad expedienda totius Orbis negotia. Curiae autem splendor omnia propemodum legit quae Romae competunt quatenus dioecesis est: inde abundantia Cleri, inde multa cleri centra, praesertim per Patriarchales aliasque Basilicas, quibus, qui praesunt Cardinales, iurisdictionem quasi episcopalem exercent. Existunt omnes fere religiosae Regularium vel aliarum Communitatum familiae, inde innumera templa, etc. Quaerere quidem potes in unaquaque dioecesi quibus ecclesiasticis personis confletur; illico enim deprehendes Episcopum, Canonicos, Parochos et reliquos cleros; sed eiusmodi elementa non eadem facile ratione Romae distingues, quatenus dioecesis est. Parochi ex gr. qui in aliis dioecesibus aliquid sunt penes fideles populos, Romae e converso fere disparent. In hoc rerum dioecesis romanae statu non potest indiscriminatim quaeri, quomodo una vel altera res administretur, ut eadem administratio repeti possit in alia dioecesi: sed quaeri debet quaenam sunt leges ecclesiasticae generales, quas Roma edidit ad easdem res administrandas.

IURISDICTIONIS PAROCHIALIS ET DECIMARUM

Die 6 Maii 1870.

Ob multas circumstantias facti species huius causae est maximopere implexa; indicabimus tantum causae substantiam, ut inde Decretum S.. Congregationis intelligatur.

Compendium facti. In urbe N ab antiquo animarum cura promiscue a quatuor Parochis (quorum maior Plebanus) gerebatur in universo urbis illius territorio; nulla videlicet distinctione facta paroeciarum, quamvis quatuor paroecialia templa cum proprio Parocho extarent.

Anno 1677, auctoritate Episcopi interveniente, Rectores earum ecclesiarum, distinctione universi territorii in quatuor partes facta, in haec convenerunt: *omnes familiae, quae id temporis essent intra illud commune territorium, recognoscere deinceps deberent uti proprium Parochum eum, qui ante territorii divisionem recognoscerent.*

Huius conventionis publicum exaratum est instrumentum omniaque conventa ab Episcopo id temporis probata sunt hac clausula quoque adiecta: *firmis ut supra remanentibus familiis et domibus intus dictam terram, et salvo et reservato iure D. Plebano super de novo advenientibus ad habitandum intus dictam Terram, quae perpetuo esse debeant sub eadem ecclesia plebis* (quae erat ecclesia matrix). *Item firmis pariter et in suo robore remanentibus iuribus exigendi decimas per domos et familias.*

His pactis conventis, consuetudo haec inoluisse affirmatur: 1° quod familiares, qui cibaria caperent a familiis a iurisdictione Plebani exemptis, considerarentur tamquam membra familiarum earum, ideoque exempti a Plebani iurisdictione: illi vero familiares, qui cibaria a familiis non caperent, vel etiam, qui, pensione soluta, in iisdem familiis viverent, non considerarentur ut partes earum familiarum; ideoque esse deberent subiecti Plebano: 2° quod uxor per matrimonium transiret in paroeciam viri, quamquam vir in habitationem uxoris transiret.

Haec consuetudo hactenus perseveravit, ex qua apparet, paroecialem iurisdictionem adhuc administrari per familias, quous-

que non cessarent familiae, quae existebant tempore conventionis, quarum complures supererant. Neque raro contigit, ut membra eiusdem familiae ad diversas paroecias pertinerent.

Quamvis autem eiusmodi iurisdictionis exercitium admodum esset implexum, tamen quisque Parochus servare atque tueri iura sua non neglexit, inter quae emolumentum decimarum, quod consistit in quadam mensura frumenti et musti.

Multae quaestiunculae motae sunt a Parochis ratione iurisdictionis atque decimarum super familiis quarum aliae in unum, aliae in alterum territorium transferant sive per se sive per heredes, et etiam super familiis, quae non amplius ibidem habitarent, sed in suis ibi constitutis habitationibus et possessionibus haberent aliquem administrum vel conductorem, et similia. Inter iura quae ex officio deducta sunt, commemorata est quaedam causa *Baionen,* agitata apud S. G. G. die 28 Maii 1732, quae nostrae causae aliquatenus similis est.

Quatuor autem dubia fuerunt S. Congregationi proposita, quae iuxta exposita minuta et permolesta facta ad iustitiae normam fuerunt resoluta. Ad ultimam autem dubitandi formulam S. Congregatio mentem suam adiecit his verbis: *Ad mentem : mens est, ut Ordinarius quam prius commode fieri poterit, procedat ad divisionem territorialem paroeciarum etiam ultra moenia civitatis ad formam S. Concilii Tridentini.*

Ex **QUIBUS COLLIGES.'**

In locis, in quibus paroeciae ex vetusta consuetudine promiscue administrentur seu per familias, non habita ratione territorii quod inhabitent, Episcopi esse curare, ut, accurata territorii divisione facta, ad formam Concilii Tridentini paroeciae constituantur et administrentur (1).

(i) Concilium Tridentinum *sess. 25* c. *13 de Refor.* haec statuit: «In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideat. Idem

EX S. CONGREG. CONCILII TRIDENT. INTERPRETUM

DECRETORUM EPISCOPALIUM ET REDUCTIONIS ONERUM

Die 9 Iulii 1870.

Compendium facti. Sanctum ac salubre Visitationis opus absolvens anno 1868 Episcopus N, nonnulla, tum circa divinorum officiorum celebrationem et Sacramenta, tum circa animarum curam, et Ecclesiae cultum spectantia in ipsa Cathedrali Ecclesia invenit, quae correctione et reformatione digna videbantur. Quamobrem sequentia duxit ferenda Decreta.

« 1° Ut iuxta Const. *Cum semper*, Bened. XIV, Missa con-« ventualis, illa scilicet quae singulis diebus a Canonicis canitur, « non obstante quacumque consuetudine, prout habetur in ipsa « Constitutione, pro benefactoribus in genere quotidie applicetur, « declarantes haud muneri suo Canonicum turni aliosque satis-« facere per Missam alio modo celebratam et pro benefactoribus « applicatam; atque iis tantum diebus, quibus Missa Pontificalis « celebratur, posse, imo, ex Decreto S. Rit. Congr., debere per « Canonicum turni Missam conventualem celebrari privatim et « pro iisdem benefactoribus applicari.

« T Ut in posterum iuxta Caeremoniale Episcoporum et « S. Conc. Congregationis Decretum in Limen. Sarzanen. die 18

que in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus ».

Quod iam Concilium indicaverat in *sess. 14 c. 9 de Ref or.* his verbis: «Et quia iure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inieriorum ecclesiarum Rectores, qu suorum quisque ovium curam habean t ut ordo ecclesiasticus non confundatur».

« Decembris 1824, quoties Episcopus pro tempore Missam Pon-
« tificalem celebrabit, canatur Tertia in Capella Purificationis
« B. M. V. in qua e cornu Epistolae in plano collocabitur sedes
« Pontificalis, seu faldistorium pro facienda praeparatione ab Epi-
« scopo, et sacris induendis paramentis, et circum -circa Capellani
« sedilia parabuntur pro Canonicis aliisque de clero.

« 3" Ut infra mensem nova oraria chori tabella a Canonicis
« conficiatur a Nobis approbanda, iuxta quam officia divina om-
« nino celebrentur, neque unquam liceat absque nostra licentia,
« et (in nostra absentia) Vicarii nostri, horas chori immutare.

« 4° Ut omnino servetur tempus a Rubricis statutum pro
« celebratione ^Missae conventualis, neque unquam liceat, nisi ex
« gravi causa et raro admodum illam alio tempore celebrare.

« 5° Ut reliquae Missae quibusdam diebus a Rubricis prae-
« scriptae iuxta consuetudinem legantur vel cantentur, statutis
« tamen ab iisdem Rubricis horis ; nunquam vero legantur tem-
« pore quo horae canonicae recitantur, nisi de Privilegio Apo-
« stolico infra bimestre edoceatur.

« 6° Ut nulli Canonico liceat choro abesse absque nostra
« licentia iuxta S. Rit. Congreg. Decreta, tempore Quadragesimae
« et Adventus et solemnioribus anni festivitatibus, inter quas recen-
« sendam declaramus solemnitatem praetiosi Sanguinis D. N. I. C.

« 7° Ut nulli pariter Canonico praeter Poenitentiarium liceat
« tempore, quo in choro divina officia persolventur, Confessiones
« audire vel Missam celebrare nisi ob necessitatem, prout decla-
« ravit S. Concil. Congregatio in Lünen. Sarzanen. die 8 Iulii 1817,
« non obstante antiquissima consuetudine quae afferebatur; quae
« necessitas cum tantum habeatur diebus festis de praecepto et
« nonnullis aliis, quibus frequens habetur ad ecclesiam populi
« concursus, et nullum sacrum fit, ideo mandamus, ut illis tantum
« diebus nulloque alio privatim celebrante, Missa a Canonicis
« tunc celebrari possit, et dummodo post celebrationem repetatur
« chorus; contrafacientes tamquam absentes punctentur.

« 8° Ut Canonicus punctator constitutiones synodales ada-
« mussirn servet quoad Canonicos punctandos, ac insuper man-
« damus ut solemnibus Processionibus SS. Sacramenti in die
« Corporis Christi eiusque octavae, et Pretiosi sanguinis D. N.
« Iesu Christi, non interessentes pro unaquaque vice octo pun-
« ctaturis subiaceant.

« 9° Ut servetur consuetudo peragendi in Sacristia divina « officia et Missam conventualem aliasque ibidem celebrandi die- « bus ferialibus tempore hibernali, a die scilicet 25 Novembris « usque ad hebdomadam maiorem aliisque etiam [diebus, impe- « dito ecclesiae choro.

« 10° Ut omnino adsit chori Praefectus, unus videlicet qui « curam gerat, ut in choro omnia ordinate et debitis temporibus « fiant, cuius nutui omnes parere debeant ; neque absque eius « licentia ullus discedere possit, aut officium vel singulas horas « inchoare : declarantes, Praefecti® officium in nostra absentia « iuxta Synodum dioecesanam fungendum ab eo, qui ex Digni- « tatibus et Canonicis dignior praesens erit in choro.

« 11° Ut Canonici quammaxime satagant observare et obser- « vari facere, quae in eadem Synodo statuta habentur circa si- « lentium, modestiam, reverentiam servandam in Sacristia et ac- « cessu ac regressu chori ; ut insuper adamussim servent omnia « in eadem Synodo contenta quoad distinctam, devotam et con- « cordem divinarum laudum recitationem vel decantationem ; « evitantes ea omnia, quae vitari iubentur atque ea facientes, « quae fieri praecipiuntur, ut et Deo sit grata et acceptabilis laus, « et ad devotionem excitet audientes, et sibimetipsis sit salutaris : « declarantes praedicta omnia in Synodo statuta in suo robore « esse et permanere et, quatenus opus est, innovamus.

« 12° Ut omni studio servetur silentium a Capitularibus et « Cancellario super iis omnibus quae in Capitulo tractantur et « resolvuntur; et ne per alios secretum reveletur, mandamus, ut « in posterum testes non adhibeantur in publicandis resolutioni- « bus captis, sed tantum iuxta morem subscribantur a Capituli « Praeside et Cancellario.

« 13° Ut exhibeantur statuta, et quia antiquissima sunt et « fere ignorantur, mandamus ut intra menses tres reformentur « ac reformata et a Nobis approbata observentur.

« 14° Ut absque Capituli licentia ab archivio nulla extrahan- « tur documenta, scripturae et libri, ac semper adhibeatur cau- « tela ut a recipiente manu et subscriptione sua in libro ad hoc « constituto adnotetur documentum seu liber extractus, appositis « insuper die extractionis et tempore restitutionis, urgente neces- « sitate, permittitur ut Canonicus Massarius libros et scripturas « extrahat facta antedicta adnotatione.

« 15° Ut retineatur liber in quo sub die, qua legata pia ad « ipsum Capitulum aut ad alia opera ab ipso administrata per- « tinentia adimplentur, ab eo ad quem spectat uniuscuiusque « legati adimplementum adnotetur ; ut alter quoque liber reti- « neatur, in quo eodem modo ab iis, quibus onus inest, in fine « saltem cuiuslibet anni notetur, fuisse per ipsos adimpletum « oneribus Missarum aliorumque ad quae tenentur ratione Be- « neficii, Capellaniae vel alterius cuiusque tituli.

« 16° Ut intra mensem inventaria conficiantur omnium re- « rum mobilium, quae penes Capitulum inveniuntur, nec non « Sacrarum Reliquiarum, quarum copia Nobis tradetur ; ac etiam « si possibile est, inventarium efformetur omnium scripturarum, « librorum aliorumque, quae in Archivio reperiuntur, ne eiusdem « defectu impune aliquid subtrahatur vel deperdatur.

« 17° Ut Canonicus Sacrista assidue invigilet Capellanos cu- « ratos, quibus, a Capitulo ipso demandata est cura animarum, « ut fideliter et diligenter muneri suo satisfaciant, libros paro- « chiales accurate custodiant et acta conscribant, eiusque man- « datis in omnibus obtemperantes absque eius venia abesse ne- « queant, quam tantum iustis de causis et sine servitii praeiudicio « dabit.

« 18° Ut diebus festis de praecepto aliisque, quibus habetur « ad Ecclesiam populi concursus, Missae ad populi commodum « distribuantur ; una tantum eodem tempore celebretur, ac Ca- « nonicus Sacrista tabellam conficiat pro iis saltem horis, quibus « maior adest concursus et plerumque Missae deficiunt.

« 19° Ut cum plurimi invitantur ad cadaverum fidelium as- « sociationem, quantum fieri potest, clericis praeferantur sacpr; « dotes Ecclesiae Cathedralis servitio addicti.

« 20° Ut SS.ma Eucharistia in sacello ad id destinato tan- « tum asservetur, numquam vero, etiam ad breve tempus in aliis « altaribus, maiori non excepto ; ideoque in hoc tantum conse- « cretur pro facienda post Missam processione : ac quoties in « aliquo altari occurrit illam exponere, mandamus ut ante expo- « sitionem ad illud qua decet reverentia deferatur ac statim post « benedictionem ad praedictum Sacellum reportetur; ut corpo- « rale super altari huiusmodi Sacelli plicatum in bursa retineatur « explicandum quoties occurret ; ut particulae quae consecrantur « integrae, recenter confectae et fragmentis expurgatae sint, neve

« SS.mae Eucharistiae ex integro renovatio ultra dies duodecim « protrahatur.

« 21° Ut in Sacello, vulgo *Sepolcro* nuncupato, tantum calix « cum hostia in Parasceve consummanda recondatur, nulla véro « Pyxis cum parti culis consecratis.

« 22° Ut expositio quadraginta horarum iuxta Decretum « f. r. Francisci Agnini Praecessoris nostri fiat ad altare maius, « ac curetur ut nonnulli continuo ad adorationem habeantur, « eademque expositione durante nullum officium funebre cele- « bretur.

« 23° Ut maiori sedulitate et quo fieri potest, altarium alio- « rumque, quae ad Capitulum spectant vel ad Curatorum vel « Clericorum curam com nissa sunt, munditiei et decori prospi- « ciatur, sacra paramenta aliaque ad Missae sacrificium vel ad « divinum cult im pertinentia saepe ac frequentius, ab iis ad « quos spectat, recognoscantur et quatenus opus sit reficiantur, « renoventur, purgentur, sicut ad ipsius Ecclesiae cathedralis « decorem et amplitudinem decet.

« 24° Mandavit ultimo ut claves Sanctuarii aliorumque sacri- « stiae locorum, in quibus res pretiosae et cerei reconduntur, et « quae ad R.mum Capitulum spectant, perpetuo penes Canoni- « cum sacristam sint et esse debeant, neque etiam ad breve « tempus alii tradantur, nisi sit Canonicus ».

Huiusmodi Decreta Episcopus Capitulo communicabat suspensione plectens illum ex Canonicis, qui quintum Decretum observare detrectasset. Ver um ta n en Canonici ea utpote suorum iurium laesiva recusarunt. Hinc, electis duobus, qui Capitulum in scriptis tuerentur, istorum deductiones in comitiis Capitularibus die 4 Novembris 1868 probarunt, easque proprio Antistiti obtulerunt.

Episcopus tam sua Decreta, quam Capituli defensionem ad S. C. C. transmisit, expostulans ut *declarare velit, an ipse recedere possit ac debeat ab expositis Decretis.* Accepta Episcopi litera Decretum de more editum est « *Ponatur in folio* » et deinde certior ipse Episcopus factus est, rem disceptatum iri in plenario S. Congregationis conventu, ideoque tum ipsi tum Capitulo liberum esse si vellent, alia iura intra triginta dies exhibere. Episcopus, hoc habito Decreto suam agendi rationem copiose defendit; Canonici vero sua iura ulterius tueri noluerunt. Immo

quinque ex eis iam reprobaverant, quod in defensionem Capituli et contra Episcopi Decreta scriptum fuerat a Deputatis et probatum a Canonicis in conventu capitulari.

At paullo post omnes Canonici supplicem libellum SS.mo Patri porrexerunt postulantes, « I° ut ipsi non amplius deinde tenerentur ad celebrandas Missas de Feria, de Vigiliis et quatuor temporibus, firma manente obligatione quotidie celebrandi et applicandi pro benefactoribus in genere Missam Conventualem cum Officio cohaerentem. 2° Ut si quando ex aliqua obligatione aut devotione Christi-fidelis cantari debeat cum praescripta peculiari applicatione Missa aliqua solemnis, quae cum Officio diei cohaereat,-eadem Missa, hora a Rubrica statuta celebrata, sit satis ad implendam choralem obligationem ; firmo tamen Canonico *turni* manente onere applicandi privatim Missam pro Benefactoribus in genere, ut ex S. Congregationis Decreto fieri solet occasione Missae Pontificalis ».

Hoc altero accepto libello atque voto Episcopi exquisito duplex quaestio proposita est sub dubitandi formulis quae in calce prostant.

Disceptatio sinóptica.

IURA CANONICORUM. Ad primum dubium quod attinet, distinguebant Canonici omnia Episcopi Decreta in quadruplicem classem: 1 in ea quae essent opposita privilegiis et rationabilibus Ca^pituli consuetudinibus ; 2 in ea quae essent inutilia ; 3 in ea quae Capitulum minime attingerent; 4 in ea denique, quae negotia propria unius Capituli respicerent..

Ad primam itaque praecipnamque classem referebant Decreta sub numeris 2, 5, 6, 7, 12, 22, de quibus has duas movebant quaestiones : an consuetudines Capituli sint observandae ut rationabiles ; an Episcopus sine Capituli consensu possit eas abrogare ; et Canonicus qui eas non observet periurii labe se commaculet.

Ad primam quod attinet quaestionem, data Consuetudinis definitione ex *Can. Consuetudo dist* 1. ubi legitur: « *Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex* » : inquiebant, consuetudinem, quae iuri divino, sive naturali sive re velato, non adversetur neque scandalum aut oc-

casioiiem peccandi praebeat, rationabilem esse ; ideoque induci posse contra legem humanam eandemque posse abrogare si consuetudo sit legitime praescripta per spatium quadraginta annorum iuxta ea quae tradunt passim Auctores. Atqui eiusmodi esse inquiebant consuetudines quibus Episcopi Decreta adversabantur: videlicet consuetudo canendi Tertiam dum Episcopus praeparationem perageret ad pontificalia obeunda ; consuetudo excipiendi sacramentales confessiones fidelium vel celebrandi Missam lectam, quo tempore divina officia persolverentur, quin Canonici punctaturis subiacerent ; consuetudo demum celebrandi Missam de Feria vel de Vigilia dum in choro recusarentur horae canonicae.

Easdemque consuetudines, quum irrationabiles dici non possent, legitime praescriptas esse Canonici subiungebant quod a sexaginta fere annis, Episcopis videntibus et saltem silentibus, observatae essent. Immo, urgebant, consuetudinem celebrandi Missas de Vigilia vel Feria dum in choro recitarentur horae ea nomcae inniti Indulto a Pio VII concesso die 9 Decembris 1809, quo Canonici ab earundem Missarum cantu fuerant exempti ; quod quidem indultum haud utile fuisset, si dictae Missae legi debuissent, quo tempore horae canonicae non recitarentur: neminem autem ambigere, rationabiles consuetudines legitime praescriptas vim privilegii habere : easdemque, praesertim ultimam, ex eo rationabiles deprehendi, quod duplici contemporanea actione satisfieri possit duplici praecepto, iuxta ea quae tradunt Theologi.

Singula propius attingentes Canonici reiiciebant Decretum sextum, utpope adversum consuetudini iuxta quam ipsi praedicationi Verbi Dei operam navantes tempore Quadragesimae et Adventus a residentia quoque possent abesse, solutis tantum punctaturis: Decretum septimum carpebant uti adversum Synodi dioecesanae : Decretum duodecimum, quod ad Capitulum pertineret, admittere vel reiicere testes: Decretum vicesimum secundum, quodjmpeteret orationem quadraginta horarum cum multa populi frequentia peragendam die omnium Sanctorum : quae quidem eo minus irrationabilis consuetudo dici posset, quod in laterali altare Sacramenti expositio fieret.

Ad secundam incidentalem quaestionem quod attinet, inquiebant, Capitulum senatum esse Episcopi, qui plura peragere

non posset absque Capituli eiusdem consensu, *Cap.* 5, *De his, quae fiunt a Praelatis, etc.,* ubi Alexander III rescripsisse legitur : « *Fraternitati tuae mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus et aliis ecclesiae tuae negotiis fratres tuos requiras et cum eorum consilio vel sanioris partis eadem peragas et pertractes, et quae statuenda sunt statuas et errata corrigas et evellenda dissipes et evellas* ». Eiusmodi autem consensum requiri in his praesertim quae in detrimentum vergant cathedralis ecclesiae, *cap. 17 de Mai. et obed.,* et in iis quae referantur ad celebrationem divinorum officiorum in cathedrali iuxta dispositionem Trid. Conc. *sess.* 24 *de Ref. c.* 12, ubi statutum legitur : « *Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero Episcopus non minus quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quae expedire videbuntur, poterit providere* ». Eundemque consensum requiri in iis, quae concernant *interesse* Capituli, Barbosa *de Canonicis, c.* .42, *n.* 14, ita ut sine eiusmodi consensu irrita sint Decreta.

Cum itaque consuetudines de quibus sermo est, sint rationabiles et legitime praescriptae, quum Episcopus eas tollere non possit absque consensu Capituli, concludebant, peierantem eum esse habendum, qui eas consuetudines observare detrectaret. Canonici enim possessionem adipiscentes iuramento promittunt privilegia, consuetudines et Capituli iura esse servaturos.

Ad secundam Decretorum classem transvolantes veluti inutilia reiiciebant quae habentur sub numeris 1, 3, 4, 8, 9, 10, quod numquam aliter gestum esset ac in illis praescriberetur : nominatim vero adnotabant de primo Decreto, quod Canonicus *de turno,* si ex causa alicuius legati vel pro speciali Benefactore Missa esset can anda, Missam pro Benefactoribus in genere privatim applicaret : per Decretum octavum, Episcopum eas processiones iniungentem, quae a Capitulo essent extraneae, nova onera Capitulo iniungere.

Post nonnulla alia enunciata circa reliquas Decretorum classes concludebant, inflictam suspensionem nihili faciendam

•esse, tum quia si aliquis Canonicus quintum Episcopi Decretum in themate haud servaret nulla se culpa coinquinaret, sine qua censura consistere non posset; tum quia huiusmodi suspensio ab Episcopo in causa propria et lite pendente lata esset.

Haec omnia deducentes Canonici simul professi sunt, se proprium colere Episcopum, nec sine animi dolore haec deducere, ut iuramento praestito facerent satis.

IURA EPISCOPI. Episcopus eundem secutus expositionis ordinem pacato animo refellere sategit, quae a Canonicis opposita fuerant. Animadvertit itaque initio, irrationabilem dici quoque consuetudinem quae *reprobata sit a iure canonico :* quod alterum criterium ad dignoscendas irrationabiles consuetudines Canonici omiserant, de quo consuli potest Ferraris *Biblioth. can. v Consuetudo n.* 16. Consuetudines autem contra Rubricas a iure Canonico reprobari.

Et reprobatas quoque esse in Synodo dioecesana; in ea enim praescribitur : « Pontificale, Missale, Rreviarium, Caeremo-« nia e et Rituale auctoritate Clementis VIII et Pauli V recogni-« tum mandamus observari sublatis abusibus et incongruis con-« suetudinibus quae forte temporum incuria in aliqua ecclesia « irrepserint ».

Immo Concilium Romanum anno 1725 sub Renedicto XIII celebratum c. 1, *Tit.* 15 haec expresse edixisse : « Episcopis di-« stricte praecipimus, ut contraria omnia quae in ecclesiis seu « saecularibus seu Regularibus (iis exceptis, qui proprio vel Ri-« tuali, vel Missali, vel Rreviario utuntur a S. Sede probato) « contra praescriptum Pontificalis Romani et Caeremonialis Epi-« scoporum, vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse « compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohi-« beant, et omnino studeant removere ; quavis non obstante in-« terposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine, « quum non quod fit sed quod fieri debet sit attendendum ». Item *in c.* 4, *tit.* 2.

Quoad consuetudinem non canendi Tertiam quando Episcopus pontificalia peragit eam eliminandam esse tum ex auctoritate Caeremonialis Episcoporum *lib.* 2, *cap.* 8, tum ex auctoritate S. C. C, quae respondens die lo Octobris 1824 nonnullis postulatis ab Episcopo id temporis factis rescripsit : *Integrum ibi erit Canonicos cathedralis ecclesiae ad id* (ad canedam Ter-

tiara) *auctoritate tua compellere, quoties. Pontificalia a te celebrentur.*

Quod si Rituum Congregatio aliquas identidem toleret aut servet contra Caeremoniale consuetudines, id contingere, quando consuetudines sint rationabiles *cum omnibus suis requisitis rite probatis,* et immemorabiles, *ut nihil contra eam auditum umquam mi factum fuerit,* quibus in casibus privilegii naturam inducunt: hoc autem themate haec duo penitus deficere.

Indultum de Vigiliarum et Feriarum Missis non canendis exemisse Canonicos « *a cantu... firma obligatione easdem Missas lectas celebrandi illisque respective interessendi* » : quod extendi non posset ad sensum quem Canonici vellent. Atque de hac re exstare S. R. C. Decretum : quum enim propositum esset dubium: « Utrum tolerari possit consuetudo ignoti initii legendi Missam « conventualem de Feria vel Vigilia dum in choro dicitur hora « prima ; an saltem sine cantu legi possit post nonam adsisten- « tibus iis, qui ad Cleri servitium sunt adscripti »: die 27 Septemb. 1817 responsun prodiit : *Negativ e et serventur Rubricae:* quod Decretum Gardellinius sua adnotatione declarat.

Quod si duo praecepta simul possint adimpleri, id contingere, quando actiones inter se compatibiles Ecclesia non praescripserit diverso tempore peragendas.

Quoad Decretum sextum, quo Canonici prohibentur abesse absque Ordinarii venia tempore Quadragesimae, Adventus ac solemnioribus anni festivitatibus, id esse conforme iuri et Resolutionibus S. C. C. ceu traditur in erudita *Institut.* 107, *n.* 34, Archiepiscopi Lambertini, postea Benedict. XIV, quodque S. C. C. pluries firmavit nominatim in *Castri Maris, Servitii Chori,* die 4 Martii 1737.

De Decreto septimo, quo prohibentur Canonici celebrare Missam vel audire sacramentales Confessiones tempore divini Officii, nisi adsit necessitas, notavit Episcopus id quoque iuri esse conforme et synodo dioecesanae, permittenti, ut duo tantum Canonici Missam id temporis celebrare possint cum venia Episcopi si adsit, secus cum venia Praefecti chori. Neque valere contrariam consuetudinem tradere Passerin. *I.* 3 *de Clericis non resid. cap. Consuetudo, reg.* 10, *num.* 163. Item S. Carol. Borromaeum in 4 *Concil, prov. Mediol. cap.* 13, neque ab ac norma recessisse S. C. C. ut in *Interamnen.* 23 Februarii 1771.

De Decreto decimo secundo non posse conqueri Canonicos, quin contra factum proprium agerent, quum id in S. Visitatione potius quaesivissent.

De Decreto vicesimo secundo, inquiebat Episcopus, se in vigorem denuo posuisse quoddam Decretum die 24 Ianuarii 1849 ab Episcopo id temporis latum, quo constitutum fuerat, ut expositio pro Oratione 40 horarum absque ulla exceptione fieret in Altari maiore; et hac de causa eo Episcopo vivente, translatam fuisse dictam expositionem in Dominicam, quae subsequentur: se autem decrevisse, ut quo tempore SS.mum Sacramentum esset expositum, nullum funebre officium celebraretur: id posse decernere ex *cap.* 8 *sess.* 21 *de Ref. Concil. Trid.* Quidquid autem ex adverso dici eruique vellet ex Instructione Clementis XI pro Oratione 40 horarum, eam vires suas haud protendere extra Urbem ceu ex Decreto S. R. C. in *Patavina* die 12 Iulii 1749: *« Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. »*

Progressus Episcopus ad alteras obiectiones, quod non posset abrogare consuetudines capitulares sine Capituli consensu, animadvertit, in themate non agi de iuridicis consuetudinibus, sed de abusibus adversus vigentes leges, qui non sine divini cultus detrimento paullatim irrepsissent.

Quod si Concilium Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 12 *de Refor.* ex adverso allegatum iusserit interim prospicere disciplinae divinorum officiorum duobus Canonicis ad id adhibitis, donec in Conciliis provincialibus eadem disciplina non statueretur, hodie illud Decretum vix posse invocari, quum disciplina de officiis divinis iam determinata constitutaque sit per dicta Concilia, Constitutiones Pontificias et Decreta SS. Congregationum.

Quum itaque de abusibus ageretur, non autem de laudabilibus consuetudinibus, perquam longissime abesse periculum peierandi si Canonici suas, quas appellant consuetudines, non servarent.

Reliqua praeterea Episcopus pari modo prosequutus est ex adverso obiecta, quae, quum minoris sint momenti, omittimus.

Quoad Missam conventualem privatim dicendam, quando eius loco alia canenda et applicanda occurrat, ostendit Episcopus id adversari tum Constitutioni Benedicti XIV *Cum semper*

oblatas, tum synodo dioecesanae, nec non Resolutionibus S. G. G*; ut in *Ventimilien,* die 20 Decembris 1851.

Quoad Processiones de quibus loquitur Decretum octavum, quo punctaturis subiecti fuere Canonici qui ad Processiones SS.mi Sanguinis et Corporis Christi, non accederent, animadvertit, eas solemnissimas esse et convenire omnem Clerum saecularem et regularem: et ideo punctaturam fuisse iniunctam sicut in ceteris Processionibus (quam prius Episcopus eisdem Canonicis proposuerat quin ipsi opponerentur), ut declinarentur scandala, per absentiam quorundam Canonicorum.

Post haec et alia minoris momenti, Episcopus adnotavit, iure comminatum esse suspensionem illis Canonicis, qui Decretum quintum "transgredi attentassent; qua de re Monacelli *in Formulario par.* 3 *tit.* 2 *form.* 7 *num.* 23, haec scripsit: « Qui in « choro divina officia indevote et inordinate recitant et persol- « vuut, postquam moniti sint etiam per Edictum, et non se emen- « dent, sunt absque venia suspendendi a Divinis in totum, vel « a celebratione Missae tantum, aut ab ingressu ecclesiae arbi- « trio Episcopi ut ait Glossa in *Clem. Cupientes verb. Suspensi « de poen.,* quia Decreto Concilii Lateranensis, quod absolute «praecipit, ut studiose et devote celebretur, sancitur: *districte « praecipimus in virtute obedientiae, ut divinum officium noctur- « num pariter et diurnum studiose celebrent pariter et dovote:* et « ideo qui nescit sacris parere canonibus nec sacris administra- « re non est dignus altaribus, ut inquit D. Gregorius in *c. hac « consona* 25 *q.* 1: hocque faciendum erit etiam sine processu « et ex sola informata conscientia iuxta modum supra etc. » Itemque S. Carolus Borrom. *I.* 2 *dec.* 4. Neque ab ea incurrenda excusare interpositum ad S. Sedem recursum vel animadversionem suspicionis Iudicis; scitum namque esse Decreta ab Episcopo tempore S. Visitationis lata non suspensivam, sed devolutivam tantum admittere appellationem, Benedict. XIV Constit. *Ad militantis Ecclesiae,* §. 21 *et* 31. Episcopum praeterea in S. Visitatione ut iudicem suspectum reiici non posse declarasse S. C. C. die 5 Aprilis 1612.

Ex his itaque omnibus putabat Episcopus res a se gestas ad tramites iuris procedere, et nonnisi iniura laesos se Canonicos existimasse

IURA CANONICORUM QUOAD SECUNDUM DUBIUM. Ad alterum

huius causae dubium quod spectat, in quo de gratia concedenda agitur quam Canonici aliis precibus postularunt; de exemptione videlicet celebrationis Missarum de Feria vel de Vigiliis, nec non de facultate dicendi Missam conventualem privatim quibusdam in casibus; adducebant Canonici tamquam causas imminutionem reddituum, qui essent ad medietatem redacti postquam civile Gubernium eorundem bona publico aerario addixisset: numerum Canonicorum ad duodecim redactum, quum prius essent quatuordecim; imo, indultariis non computatis, novem tantum in praesentia esse qui choro inservirent.

Testabantur praeterea, quamquam id non probarent, Missas de Vigiliis et Feriis antiquitus celebratas ab eo Capitulo non fuisse, eamque obligationem incepisse anno 1633 ex peculiari Episcopi Decreto: immo post illud tempus nec constare, an Missae de Feria in Quadragesima fuissent celebratae; quum in libris in quibus Missae de Feriis adnotarentur, de huiusmodi nec apex ne vola reperiretur.

Episcopus, precibus Canonicorum non adversatus, adnotabat tamen redditus annuos pro unoquoque Canonico pertingere ad libellas 500: neque sibi videri grave onus legendi Missas de Feria et Vigiliis praeter aliam de Festo cantatam quibusdam anni diebus.

QUAE EX OFFICIO SUNT IN CONTRARIUM ANIMADVERSA. In genere recolebatur Decretum Honorii III in *cap. Cum creatura, de Celebrat. Miss,* ubi sancitum extat: « *Mandamus quatenus nullum in vos tor por em negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum et pro festo vel feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Hunc textum, quem diversimode explanarunt veteres Iurisconsulti, interpretatum esse Fagnanum, illud reducentem ad Rubricas Missalis; Fagnanus in *cap. Cum creatura n.* 22 *et seq.*

Immo postea Benedictum XIV in Constit. *Cum semper oblatas,* haec iterum inculcasse: « *Non modo ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae atque etiam aliquando tres Missae conventuales uno die celebrentur.* »

Haec autem Sacrorum Rituum Decreta tunc limitationem admittere, quando ex lege fundationis constet de qualitate servitii ecclesiae et de Missarum numero ceu tradit Monacell. *Form. supplem ad t.* 1 *n.* 234.

Neque audiendos videri Canonicos quoad alterum postulatum, ut diebus, quibus vel ex aliquo legato pio vel ex voluntate alicuius specialis Benefactoris, deberent Missam cum cantu applicare, eis liceret hanc eandem Missam pro Conventuali habere, remissa celebratione et applicatione Missae Conventualis Canonico *de turno* privatim celebrandae: commemoratis enim pluribus S. C. Resolutionibus praescribentibus quotidie esse Missam Conventualem in choro celebrandam quin excusaret tenuitas reddituum, animadversum est, in themate Canonicos, si onus alterius Missae aliquoties haberent, habere quoque eiusdem oneris emolumentum.

Nihilominus pro Canonicis adnotatum est Constitutionem *Cum semper oblatas,* §. 18 considerare casum tenuitatis reddituum; qui si tales fuerint, ut, subtracta eleemosyna Missae Conventualis, spernendi essent cum detrimento divini cultus; et e converso neque media suppeterent augendi Praebendarum redditus iuxta dispositionem Trid. Concilii *sess.* 24 c. 15; reliquum esse ad S. C. C. recursum habere, ut ad festos tantum dies Missa Conventualis reducatur: idque cum praxi S. C. C. cohaerere.

Quum itaque in themate ageretur de Canonicis quorum redditus ad medietatem fere essent redacti, quum accederet conditio praesentis civilis societatis ob quam pretia rerum aucta vehementer sint, aequum videri ut imminuerentur quoque aliqua ratione Missarum conventualium onera.

His aliisque deductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An Decreta Episcopi in sacra Visitatione lata sustinean-« tur in casu. »

II. « An et quomodo annuendum sit precibus Canonicorum « in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii causa cognita die 9 Iulii 1870 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative quoad primum postulatum; affirmative quoad secundum, dummodo haec Missa lecta celebretur in Cathedrali, ad decennium facto verbo cum SS.mo.*

EX QUIBUS INTER CETERA COLLIGES:

I. Generatim consuetudines, quae Rubricarum praescripto adversentur, inter abusus facile recenseri.

II. Quo enim facilius hisce in rebus invalescere possunt contrarii diversique usus contra conformem universalemque disciplinam, eo facilius inter abusus sunt recensendi (1).

III. Eadem fere esse dicenda in iis, quae respiciant leges universales quae chori servitium moderantur obligationesque Canonicorum determinant.

IV. Hinc usus invecti contra universales leges sive residentiae, sive praesentiae debitae dum divina persolvuntur officia, si in iudicium deducantur, difficile saltem sustinentur (2).

V. Solius autem Episcopi esse quin consensus aut consilium Capituli requiratur, abusus prudenter corrigere, qui lapsu temporis invecti fuerint, ut Rubricae et ss. canones in observantiam revocentur, additis etiam contra reluctantes canonicis poenis.

VI. Colliges praeterea in potestate Episcopi esse in solemnioribus Processionibus cogere omnem Clerum ut Processioni interveniat (3).

(1) Externus splendor et dignitas sacrorum rituum in latina ecclesia magna ex parte consistit in confer-* mitate observantiae; possent enim facile excogitara ritus, quii videantur etiam meliores nobilioresque quam illi in Rubricis praescripti; sed sublata conformi observantia, eo ipso tandem cessaret splendor ille externus, qui ex universali conformitate, tamquam ex praecipua causa, dérivât. Hinc sanctiones quae uti corruptelas prohibent contrarias consuetudines. Hic tamen generalis rerum conceptus non impedit quominus dari possint contrariae consuetudines rationabiles, sed efficit, ut consuetudines ut rationabiles non sint habendae, nisi habeantur graves causae* quae earundem rationabilitas tem ostendant. Cf. quae adnotavi in *vol. III. pag. 236.*

ß) Confer causam, quam exposui in *Vol. I'pag. 65.*

(3) Confer; causam in hoc *Vol. pag. 413 > et,. seqq.* Quoad Missas de Requie vide quae exposui in *Vol. I p, 42 et seq*

DECLARATIONIS RESCRIPTI

Die 9 Iulii 1870.

Compendium facti. Ad pleniorem huius quaestiunculae intelligentiam recolenda est causa, quam exposuimus in *Vol. IV pag. òli* sub titulo *Administrationis Sacramentorum et funerum.* In ea enim causa, excitata quaestione de quadam consuetudine in Gallia invalescente circa iura Capituli, Canonicis titularibus et honorariis sive infirmis sive defunctis extrema pietatis officia praestandi adversus iura Parochi, proposita fuerunt dubia quae sequuntur: I « An et cui ius competat administrandi ultima Sa- « cramenta Canonicis titularibus et honorariis in paroecia (B) « habitantibus in casu. II. An et cui ius competat levandi cor- « pus Canonici in paroecia (B) habitantis et ad ecclesiam cathe- « dralem et inde ad publicum coemeterium ducendi in casu: et « quatenus affirmative favore Capituli: III. An Parochus (B) in « funeribus Canonicorum in eua paroecia decedentium interve- « nire possit cum stola et pluviali in casu. »

S. Congregatio habita ratione ostensae consuetudinis quoad Canonicos titulares die 16 Februarii 1867 respondit: Ad L *Affirmative favore Capituli quoad Canonicos titulares; quoad Canonicos honorarios coadiuventur probationes.* Ad II. *Affirmative in omnibus favore Capituli ut in pnimo.* Ad III. *Negative.*

Iuxta eiusmodi Resolutionem cumulatis novis iuribus coadiuvatae fuerunt probationes quoad Canonicos honorarios. Repróposita itaque causa die 29 Maii 1869 sub iisdem dubitandi formulis S. C. respondit: ad I. et II. *Affirmative quoad Canonicos honorarios tantum, qui in civitate episcopali morantur et chorum frequentant.* Ad III. *Negative, quoad Canonicos comprehensos in superioribus resolutionibus.*

Hodie vero causa reproposita est ob nonnulla dubia a Parocho praesertim mota de horum Rescriptorum intellectione, utrum scilicet illis verbis in dubitandi formulis insertis *in paroecia (B) habitantibus* intelligendum sit negatum ius Capituli

favore Canonicorum titularium, qui aliam paroeciali in eadem urbe episcopali incolerent: et utrum verbis illis in Resolutione adiectis, *qui chorum frequentant,* ius Capituli cobibitum intelligendum sit quoad Canonicos honorarios tantum, qui quotidie chori officiis interessent, non vero, qui tantum diebus dominicis et festis interesse solerent.

Rogatus de more est Episcopus, qui inter cetera recolens consuetudinem, quae paroecias non distingueret, animadvertit, quum primum controversia orta esset, omnes Canonicos in dicta paroecia (B) habitasse; nuperrime vero, e ade n paroecia divisa, quosdam Canonicos e territorio paroeciae B exivisse.

Inde mentem sua m aperiens sic est prosequutus: « Meo sensu « hac domicilii mutatione minime omnino iura Capituli infir- « manda sunt.

« Itaque supradicta dubia mihi proposita sic dirimi posse « existimavi: I° Capitulum ius habet ultima pietatis praestare « officia Canonicis titularibus in quacumque civitatis parte ha- « bitent, honorariis vero, qui in civitate episcopali morantur et « chorum frequentant.

« 2° Verba, *qui chorum frequentant,* non intelligenda sunt « de assistentia Canonicorun honorariorum officio quotidiano, sed « solummodo de eorumdem assistentia Missae conventuali et Ve- « speris diebus dominicis et festis de praecepto, ne ab iis aliter « quoddam impossibile exigi videatur.

« Verumtamen hanc verborum S. Congregationis interpreta- **ri** tionem imponere nolui Capitulo et Parocho. Illos ad ipsam- « met Congregationem remisi, cuius est sensum decisionis sua « aperire. »

A**NIMADVERSIONES**. Qui iura Capituli sustinuit, quoad primum dubium, animadvertit, si interpretatio facienda esset favore Parochi, eam absurditatem sequuturam, ut multo melior esset conditio Canonicorun honorariorum, quam titularium, quum illi omnes comprehenderentur, qui ubivis urbem incolerent; hi vero, qui incolerent tantum paroeciam B. Quod si de aliis paroeciis motu n non fuit dubium in proponenda causa exinde evenerit, quod Parochi alii consuetudinem admittentis non contradiceret.

Quoad alterum dubium animadvertit, in more positum esse ea in urbe, ut Canonici honorarii nonnisi dominicis et festis de praecepto una cum Canonicis titularibus adessent Missae con-

ventilali et Vesperis, quod et significatum fuerit in alia causae propositione: ideoque S. C. eos Canonicos honorarios frequentare chorum intellexisse qui dictis diebus choro interessent.

Dubia.

I. « An iuxta mentem huius S. Congregationis Canonicis ti-
« tularibus *(iuurbe N)* in quacumque paroecia infirmis autdefun-
« ctis a Capitulo extrema pietatis officia praestanda sint prout
« Canonicis honorariis concessum iam fuit in casu. »

II. « An Canonici honorarii, qui de more Capituli diebus
« dominicis et testis de praecepto una cum Canonicis titularibus
« interesse solent Missae conventuali et Vesperis, dicendi sint
« iuxta mentem huius S. Congregationis frequentare chorum, ita
« ut ipsis infirmis aut defunctis ius competat Capitulo extrema
« pietatis officia praestare in casu. »

R**ESOLUTIO**. S. Congregatio Concilii causa cognita die 9 Iulii 1870 respondere censuit: Ad I. et II. *Affirmative iuxta votum Episcopi, et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Resolutiones SS. Congregationum, quae doctrinalia principia non exprimant, non esse abstracto modo intelligendas, sed eo modo intelligi debere, prout facti species eas intelligendas esse ostendat.

II. Quare eos omnes facile errare, qui, in medium deductis verbis alicuius Resolutionis, eam studeant intelligere et applicare non habita ratione facti ad quod referatur.

REPARATIONIS ECCLESIAE PAROCHIALIS

Die 9 Iulii 1870.

Compendium facti. In Urbe N olim praeter matricem collegiatam ecclesiam existebant duae paroeciae, quarum prima sub invocatione S. Andreae, altera vero sub invocatione S. Stephani, quae iuripatronatus subest nobilissimae familiae. Prima paroecia olim fuit suppressa, eiusdemque bona cum suo titulo unita fuerunt alteri paroeciae S. Stephani de cuius templo modo quaeritur. Ecclesia itaque S. Stephani in praesentia gaudet Praebenda pro Parocho et tribus aliis Beneficiis choralibus, quorum singula a propriis Beneficiariis possidentur.

Huius templum, sive ob vetustatem sive ob negligentiam, ita squallebat ac fatiscebat, ut iudicio peritorum perquam celerrimam reparationem exigere videbatur.

At vero decertantes tum Parochus tum Patronus utri pertineret onus reparandi templum, quum nullus conciliationis modus suppeteret, Parochus denique supplicem porrexit S. C. C. libellum, ut controversia iuridice dirimeretur.

Rogatus de more Episcopus inter cetera retulit, sumptus pro eo templo reficiendo ascendere ad sc. 185, atque a sua mente aperienda abstinuit; quamquam innuerit scut. 100 pro congrua Parochi portione in praesentia non amplius sufficere.

Disceptatio synoptica.

IURA PAROCHI. Parochus, ut a se reparationis onus reticeret, invocabat in primis dispositionem Tridentinam *cap.* 7 *sess.* 21 *de Be for.* quo statutum legitur : « *Parochiales vero ecclesias, etiam si iurispatronatus sint, ita collapsas refici et instaurare procurent* (Episcopi) *ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodolibet pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut, in illorum defectum, parochianos, omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque ap-*

pellatione, exemptione et contradictione remota ». Hac posita dispositione, subsumebat, reparationes in themate faciendas esse vel redditibus templi vel sumptibus Parochi vel Patroni; atqui neque templi redditibus neque sumptibus Parochi fieri posse; ergo tantum Patroni sumptibus.

Statuebat itaque non existere templi redditus ad fabricam reparandam: quamvis enim Patronus testaretur, templum anno 1593 habuisse legatum satis pingue ad templi reparationes; attamen de hoc legato in praesentia ne memoriam quidem permanere.

Supererat itaque, ut Parochus a se excluderet onus reparandi templum; quod hac ratione ostendere curavit. Explorati iuris esse Parocho sacrum ministerium obeunti congruam alimoniam deberi? *seminanti enim spiritualia debentur temporalia : dignus est operarius mercede sua : nemo militat suis stipendiis,* et reliqua huiusmodi, Tr. *sess.* 21 c. 4 de *Ref.* s. Pius V Constit. *Ad exequendum.* Eiusmodi vero congruam alimoniam, etsi in dicta Constitutione S. Pii V, aliquo modo determinatur in scutatis centum, tamen certam regulam adsignari haud posse; eamque potius deprehendendam, habita ratione loci, fructuum quantitatis, onerum qualitatis et conditionis personae; ideoque remittendam esse prudenti Iudicis arbitrio, S. Rota *dec.* 392 *n.* 12 *part.* 1 *et dec.* 395 *n.* 1 *recent.*

Praeterea, in determinatione congruae portionis pro Parochis, posse quidem ab Episcopo considerari et comprehendi emolumenta incerta, ut in allegata Constitutione s. Pii V; id intelligi tamen debere de illis incertis obventionibus, quae aliquam certitudinem habeant, ut decimae frumenti, vini, olei etc., S. Rota *p.* 6 *rec. decis.* 230 *n. S; p.* 13 *decis.* 392 *n.* 9: non vero quae incerta omnino sint, ut funera^ oblationes ex nuptiis, et alia id genus, S. Rota *p.* 1 *decis.* 240 *n.* 2; p. 6 *decis.* 930 et alibi.

Neque satis esse, urgebat Parochus, ut congrua portio adsit, sed requiri, ut praeter congruam portionem ad honesta alimenta habenda, aliquid ei supersit ad onus reparationis templi subeundum, ut ex *cap. 4 de eccles, aedific. et reparand.* legitur respondisse Alexander III: « *De his, qui ecclesias parochiales habent, duximus respondendum, quod ad reparationem ecclesiarum cogi debent, quum opus fuerint, de bonis quae sunt ipsius ecclesiae, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo ceteri invitentur* ». Hac de re Barthel *in adnot. ad Engel, tit. de Eccles, aedific,* proposita

sibi quaestione: an Parochi et Rectores ecclesiae teneantur ad reparationes eiusdem ex ss. canonibus non absolute respondere, sed hac ratione: « si habeant (Parochi) superflua et tam amplos « redditus ut in Austria... utique tenentur ad reparationem eccle- « siae : in aliis tamen plerisque locis, quia tantum portio curae « et laboribus commensurata assignata est, plerumque absolvun- « tur ab hoc onere ».

His praeiactis iuris canonici principiis, statum reddituum suae paroeciae exhibuit, quem et Episcopus in sua informatione retulit: « Redditus parochiales (ait Episcopus) verisimiliter attin- « gunt annua scut. 400, quorum tertia pars spectat ad tres cho- « raies Benefìciatos, quorum est eum, et Parochum Collegiatae « coadiuvare in cura animarum, choro festis diebus in Collegiata « inservire etc. Onera vero, Parocho et Beneficiariis choralibus « communia, possunt verisimiliter ascendere ad sc. 100, quibus « deductis, supersunt sc. 300, quorum 100 ad Beneficiarios dictos « spectant; ad Parochum vero reliqua ducenta ; quibus adiunctis « utriusque stolae incertis quotannis sc. 30 circiter, annuus Pa- « rochi redditus computari potest scut. 230 vel etiam 250. Onera « vero propria Parochi consistentia in applicatione annua Mis- « sarum 32 et 80 circiter Missarum pro populo, in provisione « vini, panis et cerae pro Missis aliisque sacris functionibus, et « cerae Parochianis distribuendae die sacro Purificationi B. M. V. « in manutentione sacrorum supellectilium ac demum in taxis « dioecesanis absorbere forsitan possent sc. 70 ad summum, qui- « bus ex sc. 230 subductis, remanet congrua ad minus sc. 160 « et forsan 180 ».

Verum ab hac summa subducenda esse, subiungebat' Parochus, scut. 30 provenientia ex incertis, - ut vocant *stolae,* quae non essent in congrua portione computanda, ut ex supra relatis ex auctoritate S. Rotae; ideoque remanere sc. 140. Deinde subtrahenda esse inquiebat alia scut. 40, quum careret domo paroeciali et aliam conducere cogeretur : his itaque subductis vix scut. 100 remanere pro congrua paroeciali portione: eiusmodi autem summam honestae sustentationi vix posse sufficere, quod hoc nostro aevo omnia cariori pretio comparentur; quibus omnibus neque Episcopus dissentiret.

Exclusis igitur ad tramites iuris et aequitatis tum templi redditibus, qui deerant, tum Parocho, unicum superesse, conclude-

bat, Patronum, qui onere reparandi templum teneretur. Quod consequens confirmabat amplius auctoritatibus, tum Pitonii haec scribentis *de iurepatr. alleg.* 43 *n.* 11: « Onus reparationis Patro- « nis incumbit; quia incommodum restaurandi nascitur a commo- « dis iurispatronatus. Patronus enim dicitur quasi pater, qui te- « netur ornare et restaurare rem patronatam quam deduxit de « non esse ad esse ». Et *Alleg.* 28 *n.* 19. « Ideo Patronos ad « huiusmodi reparationes teneri, quia percipiunt emolumentum « a iuspatronatus, quod in praesentatione consistit et habent « honorificentias primi loci in Processionibus et sessionibus et « percipiunt alimenta in necessitate » : tum Cardinalis De Luca *Disc.* 52 *n.* 12 *et Disc.* 84 *num.* 2 *et* 3, Lambertini *de iurepatr. I.* 3 *art.* 2 *q. l"num.* 5, 7: tum S. Rotae *dec.* 33 *coram Falco- neria:* « Quando ecclesia est pauper ad patronos spectat illam « reficere et reaptare propter reciprocam obligationem quae in- « tercedit inter ecclesiam et patronos. Nam sicut ecclesia dat « eis ius honorificum et praesentandi Rectorem, atque si ad « inopiam vergat, alimenta suppeditat, ita pariter Patroni te- « nentur eam reficere, si propter inopiam nequeat suis expensis « id agere »: tum denique auctoritate S. C. C. in causa *Ragusae* die 3 Aug: 1669; namque deiecto terraemotu paroeciali templo Umblae quod suberat iuspatronatus Capituli metropolitam, rogataque S. Congregatione, ad quem pertineret onus reparandi templum, responsum prodiit : *praefiniendum esse Capitulo terminum sex mensium ad reaedificandum, vel renunciandum iuri praesentandi.*

Ex- hactenus deductis satis superque demonstratum esse Parocho videbatur, in Patronum incumbere onus reparandi templum.

I**URA** P**ATRONI**. E converso Patronus argumentum a Parocho deductum disiicere contendit. Explorati namque iuris esse recolebat, onus reficiendi paroecialia templa, in carentia reddituum qui ad id sint destinati, ad Parochum seu ecclesiae Rectorem pertinere : quae communis Doctorum sententia est, de qua re sic inter ceteros scripsit Surdus in *Consil.* 6 n. 1 2 3: « Deputavit « Summus Pontifex Gregorius XIII Apostolicum Commissarium « ad Visitationem cclesiarum Montis Ferrati, qui invenit quam- « plures ecclesias esse collapsas; ideo eas restaurari ac refici « iussit. Disceptatum est itaque fere in omnibus locis, cui onus

« eiusmodi incumbat, et saepius super ea controversia interrogatus respondi, loquendo de ecclesia parochiali quod Praelati « et Rectores ecclesiarum tenentur ea reficere et reparare, ut « probatur ex *Cap.* 1 *et Cap. De his etc. de Eccl. aedif.* Hanc « autem conclusionem, quod Rector ecclesiae teneatur ecclesiam « restaurare reficere et reparare sequuntur omnes; Barbosa *de « off. et potest. Parochi part. lc.* 13 *n.* 12 - Sciant Parochi ec« clesiam, quum indiget, reparare et restaurare debere, quemad« modum iubet Alexander III *cap. De his etc. De eccles, aedif.* - « Ex quibus iuribus colliges ad reparationem ecclesiae (ubi certa « pars aut redditus sufficientes non fuerint) teneri Rectorem, seu « illum, qui decimis et ecclesiasticis gaudet redditibus ».

Constantin. *Tot. decis.* 252 n. 34: « Deficientibus redditibus « in causam fabricae destinatis, nec aliter disponente ecclesiae « statuto aut consuetudine, absolutissima est iuris dispositio, « quod Rectores et Parochi, qui fructibus ecclesiae gaudent, tum « ratione spiritualis coniugii, tum ratione peremptionis fructuum « ad illius manutentionem et reparationem teneantur ».

Neque huiusmodi onus cessare, quatenus parochialis ecclesia subsit iuripatronatus. Etenim praeter quam quod non desint Doctores, qui Patronum ad nihil teneri tradant, quum satis fuisse putent quod ab initio impenderit; in comperto esse Patronum nonnisi *in subsidium* teneri; idest, quando, congrua portione Parochi deducta redditus ad reparandum templum non suppetant, Barbosa *loc. cit. n.* 6: Constantin, *loc. cit.* ubi scripsit: « Et qua« tenus ecclesia sit de iurepatronatus adhuc onus illius reparandi « semper primario incumbit Parocho, et nonnisi in merum tan« tum subsidium et casu insufncientium reddituum parochialium « tale onus refundi potest in Patronum ».

Nec secus S. Rota in *Savonen.* 8 *Maii* 1709 *coram Scotto;* singillatim vero in *Firmana Restaurationis ecclesiae die* 13 *Ianuarii* 1£51 *coram d'Avella:* « Prima quaestio in genere definienda « videtur, utrum Vitus tamquam ecclesiae parochialis Rector « oneri refectionis subiici deberet. Is enim in hoc iudicio totis « viribus contendit, nihil ob hanc causam ab se esse praestandum. « sed potius integrum onus ad Patronos pertinere. Sed inutili « prorsus studio, quandoquidem res est in iure exploratissima, « quod ecclesiae parochiales, si sumptus reparationum requirant, « debeant omnino refici a Rectoribus sive Praepositis cum fru-

« ctibus vel redditibus qui ex bonis ad easdem spectantibus col-
« liguntur, nec aliter Patroni huic oneri obnoxii censentur nisi
« in subsidium, hoc est dum bonorum proventus vfel deficiunt
« vel impares sunt ».

His iuris principiis commemoratis, quae cohaerent cum illis, quae Parochus deduxerat, tota quaestio in themate reducebatur, an Parochus tot haberet redditus ex sua paroeciali Praebenda, ut et sibi essent satis et suppeterent ad templi reparationem.

Ut ostenderet Patronus eiusmodi redditus ad templi reparationem suppetere, contendebat, redditus Parochi quotannis pertingere ad annua scutata trecenta et sexaginta; idque eruebat ex quodam epistolio habito anno 1858 *di* bonis paroeciae locandis ad extinguendum paullatim quoddam Parochi debitum: in quo epistolio nomine Parochi scripto, expresse dicebatur, scutata 300 annua, ex proposita locatione bonorum retrahenda, non sufficere Parocho ad sua et suorum Parentum alimenta, quorum septe n, Parochi sumptibus, ali deberent.

Neque admittendam esse exceptionem, quod Parochus ad alendos parentes teneretur; quum de congrua portione canonica ad Parochum alendum sermo dumtaxat sit habendus; Benedict. *XIV Inst.* 100, ubi animadvertit, admiscendas [haud esse expensas, quae fiant pro alendis consanguineis aut pro servanda generis sui conditione; sed ea solun consideranda esse, quae ad Parochum • sustentandum necessaria ducantur. Unde in allegata causa Firmana *coram de Avella* haec quoque reperiri : «Ut
« Vitus se eximere valeret ab onere parochiam reficiendi, per-
« necesse erat luculentissimas ab eo probationes exhiberi, quod
« nempe fructus bonorum ne ad congruam quidem sibi alimo-
« niam sufficiant. Verum in themate praeter quam quod de fru-
« ctuum insufficientia nulla gravis probatio offerebatur, contra-
« rium demonstrabant relatio Gognitoris iudicialis, qui caput
« fructuum, factis etiam detractionibus, aestimavit in argenteis
« annuis 163; haud instituto calculo super aliis redditibus vulgo
« *stolae.* Perspicue inde patebit, fructus non modo non deficere,
« sed potius portionem legitimam Parocho addicendam excedere.
« Nam etsi huic pro congrua sustentatione tribuenda forent
« annua scutata centum, nihilominus semper superesset et reliqua
« vis pecuniae, quae ex iure in necessariis ecclesiae reparatio-
ni nibus erogari omnino deberet ».

In themate autem, quum Parochus ex fundis suae Praebendae perciperet quotannis annua scutata 360, subtractis scut. 100 pro sua canonica portione, superesse scut. 260 impendenda in templi reparationem; ipsi quoque manentibus incertis stolae.

Verum munificus Patronus quamvis persuasus esset, se ad nihil teneri, nihilominus pro hac vice tantum in exemplum non trahenda, remisit Parocho debitum scut. 95, quae Patrono debebat Parochus ipse, ut impenderentur in templi reparationem.

EA QUAE EX OFFICIO SUNT ADIECTA. Commemorata communi persuasione quae natura duce etiam apud gentes viguit, idest, divinam mereri ultionem, qui templa negligant suoque decori non restituant, si id debeant atque facere possint: in medium deducta est praxis, quae post Tridentinam dispositionem obtinuit apud S. C. C.

Benedictus XIV in sua *Instit. eccles.* 100 hunc ordinem iuxta dictam praxim et Canonistarum doctrinam copiose tradidit: templa instauranda esse primum fructibus et proventibus templi si adsint: deinde sumptibus eorum, qui statutis vel consuetudine ad id teneantur: si neque statutum neque ulla consuetudo intervenerit, tum Parochum teneri fructibus qui sibi ex Beneficio, deductis necessariis ad suam sustentationem, supersint: postea in id contribuere omnes teneri, qui Beneficia etiam simplicia in templo rendendo possideant: hisce deficientibus, si adsint Patroni ad e.os pertinere: denique si hi omnes desint succedere populum.

Ad Patronos vero quod attinet, animadversum est eos hac obligatione devihci non *praecise, sed.causatine,* ut Canonistae loquuntur; seu non *absolute,* sed *conditionate,* ut aiunt Scholastici, videlicet si ius praesentandi retinere velint neque iuspatronatus amittere.

Revera praeter Resolutionem-S. C. C. supra relatam in causa *Bagusae,* plures alias suppetere, ut in *Tiburtina* die 15 Decembris 1827, propositis enim dubiis: « I. An Patronus teneatur re- « staurare ecclesiam parochialem in casu : et quatenus negative : « II. An a quo et quomodo sit restauranda in casu » : responsum est: Ad L *Affirmative,praefixo termino Patrono duorum mensium, vel ad perficiendas reparationes, vel ad renunciandum iuspatronatus.* Ad II. *In casu renunciationis teneri possidentes, etiam exteros per aes et libram.* Idest aequa lance, proportione servata

in taxa bonis intra paroeciam existentibus imponenda, item in *Imolen. die* 4 Septembris 1793: *teneri populum et possidentes in districtu paroeciae per aes et libram ;* et itam passim.

Dubia.

I. « An Patronus teneatur reficere ecclesiam in casu.

II. « An, cuius expensis, et quomodo reficienda vel reparanda « sit ecclesia in casu ».

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 9 Iulii 1870 respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative ex redditibus paroeciae, modo tamen a Patrono proposito, salvo iure favore Parochi relate ad Beneficiatos, prout et quatenus de iure.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Onus reparandi paroeciale templum, quod redditus ad id sufficientes non habeat, primo in Parochum incumbere, ex redditibus suae paroeciae, qui supersint, subtractis necessariis ad suam sustentationem.

II. in subsidium venire reliquos Beneficiarios qui forte in eodem templo Beneficia possideant.

III. Horum omnium redditibus deficientibus, in subsidium venire Patronos, si adsint, qui tenentur aut templum instaurare et reficere aut patronatus iuri nuncium mittere.

IV. Denique, si omnia desint, venire populum qui cogendus est per taxas proportione servata imponendas super bonis quae intra paroeciam possideat (1).

(1) Quaeri forte potest, cur populus ultimo loco veniat in ordine ad templorum reparationem; quum potius primo loco venire videretur, in cuius praecipuum commodum templa eriguntur. Ratio est, quod. populus vel quisquis alius iam prospexit templorum reparationi per ipsa constituta Beneficia quibus Beneficiarii fruuntur; quod clarius apparet si consideretur vetus Ecclesiae disciplina ex qua eiusmodi iuris, dispositio tandem derivai Ex omnibus enim oblationibus a populo id temporis factis et ab Ep:'scopo administratis quatuor ratae partes fieri solebant, quarum una in templi fabricam erat destinafa, ceu habetur in *caus. 12 q. 2* in haec verba: *Ministe-*

V. In praesenti themate ad Parochum pertinuisse templi reparationem, ex redditibus suae paroeciae, qui non adeo tenues visi sunt; quique si non sufficientes fuissent, iudicio per episcopalem Curiam emisso, augendi essent per reliquos Beneficiarios.

ONERIS EVERRENDI ECCLESIAM.

Die 9 Iulii 1870.

Compendium .facti. Summus Pontifex Urbanus V (de cuius cultu causam retulimus *p.* 426 *et seqq.)* dum Romae degebat anno 1869 episcopalem cathedram erexit in urbe N in pontificia ditione, ibique constituit cathedrale Capitulum, quod componi voluit duabus Dignitatibus, Decano videlicet et Sacrista, sex Canonicis, sex Capellanis et quatuor Clericis, *quorum unus esset Diaconus, alius Subdiaconus et alii duo Clerici seu Ceroferarii.*

Inter onera, quae Sacristae imposuit, haec recensentur : *Campanas pulsare, nec non sacra, localia ac libros et alia utensilia dictae ecclesiae fideliter et reverenter custodire:* Clericis vero haec tantum iniunxit: *eidem ecclesiae in Divinis deservire.*

Verum lapsu temporis eiusmodi clericales Praebendae datae sunt aliis, qui sacris Subdiaconatus vel Diaconatus ordinibus non essent constituti, immo nec S. Tonsura initiati: inde factum

***ria atque ornatura ecclesiae, vel quidquid aliud est in patrimonio eiusdem non minuere studeat* (Episcopus) *sed augere. De redditu vero ecclesiae, vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum unam sibi ipse retineat; alteram Clericis pro officiorum sedulitate distribuat; tertiam pauperibus et peregrinis ; quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit redditurus iudicio rationem».* Ideoque non est cogendus populus, et sic etiam neque Patronus, nisi in casu, quo redditus ex ipsis Beneficiis non suppetant ad reparationem templi.**

esse dicitur, ut, qui in Divinis deservire Ecclesiae non poterant, in humilioribus et servilibus muneribus adhibiti fuerint:

Quin immo, fundationis lege neglecta et proculcata, dictae clericales Praebendae non tamquam Beneficia fuerunt considerata, quorum prima qualitas est, ut perpetua sint, perpetuumque locum Clerico in ecclesia determinent; sed veluti manualia, ut aiunt, officia seu mercenaria stipendia, quarum possessores ad nutum et libitum Capituli removebantur.

Episcopus anno 1830, ut in pristinum fundationis statum Praebendas revocaret, Litteras Apostolicas obtinuit a Pio VIII fel. rec, quibus obtentis, fertur, significasse Clericis, ut ab humilioribus ministeriis abstinerent: quod eo Episcopo vivente servatum est.

Eo Episcopo mortuo, iterum Capitulum causam movit, ratione consuetudinis, ut dicti Clerici ea omnia peragere cogerentur, quae antea peragebant. Vicarius Generalis, qui et prima Dignitas erat Capituli, definitiva sententia controversiam non diremit, sed extra iudicialiter rescripsit, teneri Clericos humiliora ea officia uti antea obire: quibus litteris, aegro licet animo, uti fertur, et continuas inter querimonias sese rursus subiecerunt.

Occasione ultimae S. Visitationis iterum querimonias moverunt Clerici, an Sacrista vel ipsi templum everrere, pulverem excutere sordesque detegere tenerentur; at Ordinarius consultius duxit rem S. C. proponere, ut querimoniis finis imponeretur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE EX OFFICIO ANIMADVERSA SUNT PRO CANONICIS. Animadversum est, Canonicos consuetudini inniti, quae ab anno 1622 saltem inceperat: in comperto autem esse, consuetudinem centenariam titulum tribuere de mundo meliorem; in themate autem pro Canonicis militare consuetudinem ampliorem, quam ducentorum annorum et ab Episcopis quoque aliquo modo confirmatam: frustra itaque officia, de queis agimus (idest extraneas everrendi in ecclesia sordes, excutiendi ab ecclesia insanum molestumque pulverem sacra et profana ecclesiae ornamenta sensim invadentem, corrodentem, labefactantem) in Sacristam Clericos reiicere.

Neque Clericos posse invocare Litteras Apostolicas anni 183Q; quum per eas consultum tantum esset, ut rite et perpetuo conferantur Praebendae illae; non ut antea, ac *si essent officia et servitia munia, etiam iis, qui nequidem prima tonsura essent initiati.*

Neque obiici posse indecorum esse Clericis officium illud, quum indecorum dici neque possit neque debeat, quod in templi Dei splendorem peragatur: ceterum id per alios facere posse.

I**URA** C**LERICORUM**. Clerici e converso inquiebant: consuetudinem de qua agimus non aliud esse, quam abusum et vis maioris effectum; ex actibus autem ob metum, reverentiam et obsequium gestis, non posse consurgere iuridicam consuetudinem; eam propterea inoluisse, quod Praebendas illas Capitulum non daret, quibus dare debuisset et ad nutum possessores expelleret: consuetudinem ideoque reduci ad Capituli arbitrium, quod, legem fundationis conculcans, prout placuit de Praebendis disposuerit.

Quod si tamen consuetudo iuridica inoluisse dici velit, eam abrogatam censeri per Synodales leges dioecesanas anni 1710, quae adhuc in vigore permanerent, in quibus *sub cap.* 4 *de ecclesiis,* ubi de cathedrali agitur, sic statutum est: « Sacrista ea, « quae de ecclesiae nitore generatim praescripsimus, exactissime *« ab aedituo, quem suis expensis sibi substituit, curet observari, « hoc est ut nihil squalleat et pavimentum frequenter ever- « ratur ».*

Literas praeterea Apostolicas, anni 1830, quae primaevae Perpetuitati Praebendas restituerunt, restituisse quoque eadem Clericorum onera per Urbanum V" iniuncta, prout in iisdem Literis legeretur; non vero onera per consuetudinem imposita.

Quod post eas Litteras, anno videlicet 1837 ad servilia munera Clerici redierint, id evenisse, ut a Capituli molestiis se liberarent; nunquam tamen querimoniis cessantibus.

Dubium

« An et ad quem pertineat onus everrendi ecclesiam cathe- « dralem in casu, »,

R**ESOLUTIO**. S. Congregatio Concilii re cognita die 9 Iulii 1870, respondere censuit: *affirmative ad Sacristam.*

EX QUIBUS COLLIGES :

I. Frustra invocari, uti iuridicam, consuetudinem illam, etsi immemorabilem, quam constet, ex iniusta causa fuisse inductam et ex eadem iniusta causa iugiter protractam.

II. Ostensa enim iniustitia causae, quae consuetudinem induxerit, quaeque iugiter consuetudinem rexerit, eo ipso ius consuetudinis cessare: cessante enim causa, effectus cesset oportet.

TU. Neque vim psaescriptionis talem consuetudinem obtinere; quum ex aperta iniustitia causae, quae illam moderata est, bona fides praesumi non posset.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR

ACTA SOLEMNIORA ROM. PONTIFICIS PUBLICI IURIS FACTA.

EX SECRETARIA BREVIUM.

Praeter Apostolicas litteras in forma Brevis superius indicatas, sequentes continentur.

EX ACTIS VATICANI CONCILII.

Be Conventu prosynodali.

DE PRIMA SESSIONE PUBLICA.

De Prima Congregatione Generali.

De Secunda Congregatione Generali.

De Tertia Congregatione Generali.

De Quarta Congregatione Generali. •

DE SECUNDA SESSIONE PUBLICA.

De reliquis Congregationibus Generalibus.

DE TERTIA PUBLICA SESSIONE.

EX SACRA CONGREGATIONE
S. U. R. INQUISITIONIS.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII
TRIDENTINI INTERPRETUM;

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPOR. ET REGULARIUM.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA.

APPENDICES.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur :

Administrator bonorum.

Administrator bonorum ad piam causam relictorum subesse debet vigilantiae Episcopi, qui ipso iure executor atque vindex est omnium piarum voluntatum, pag. 210.

Negligens vel imperitus administrator, etsi a testatore constitutus, si tamen de eius gravi negligentia et imperitia constiterit, ab Episcopo removeri potest ab administrandi munere, ibidem.

Non enim inferior est conditio bonorum, quae sub administratore ad causam piam sint immediate relicta, quam conditio bonorum eius, qui sub curatore sit, ibidem.

Ideoque, quae causae rite expelle rent curatorem, eaedem expellere possunt administratorem rerum, quae pro pia causa sint destinatae, pag. 196.

Auctoritas laica.

Episcopi Decretum, cui forte accedat laica auctoritas naturam suam non immutat, sed manet episcopale Decretum, pag. 140.

Civiles dispositiones, quibus administratio unius eiusdemque civitatis in partes dispescatur, non potest ex sese inducere mutationem in ecclesiastica eiusdem civitatis administratione, neque iura ecclesiarum laedere, pag. 442.

Frustra a S. Sede postulatur, tamquam gratia, id, quod fuerit inconsulto obtentum ab auctoritate civili in re ecclesiastica, pag. 508.

Vix enim audiri a S. Sede merentur, qui ss. canones violantes, apud incompetentem laicam auctoritatem, ecclesiastica iura postulent, sibique vindiceot, ibidem.

Festi dies soppressi.

Funerum iura.

Immunitas ecclesiastica.

Indultum.

Investimentum.

Irregularis.

Iuspatronatus.

lex episcopalis.

Lex Fundationis.

tex quoad cessationem.

Matrimonium.

Ideoque matrimonium hostili more contractum ipso ime et facto nullum est, licet forma servetur, pag. 372.

Neque videtur multum referre, an vis militaris, ad matrimonium celebrandum illata, sit ex iusta vel iniusta causa: consensus enim mensuram huius illatae vis egressus praesumi vix potest, ibidem.

Matrimonium validum est, quamquam aliquis ex coniugibus postea ignorasse se dicat matrimoniale debitum, eoque cognito non fuisse matrimonium initurum affirmet, pag. 574.

Ut enim contractus quivis validus sit (maxime si non unam tantum obligationem secumferat), non exigitur ut singula officia et obligationes cognoscant contrahentes, quae ex ipso contractu derivent; sed satis est, ut voluntas contrahentium feratur in contractum universim sumptum prout ab aliis frequentari consueverit, ibidem.

Manente matrimonio tantum rato ex obstmata mulieris retiuentia, animarum dissociatione superveniente, si spes non aSulgeat, coniuges individuam vitae consuetudinem inituros, implorari utiliter potest Apostolica dispensatio, ibidem.

Missa pro populo.

In singulis paroeciis singulae applicandae sunt a Parochis ' Missae pro populo dominicis festisque -diebus, pag. 148

Neque interest, an paroeciae unitae fuerint alteri tamquam principali: quousque enim paroeciae aliqua reali ratione distinctae maneant, ius illud paroecianorum habendi sibi applicationem Missae, singulis paroeciis inhaerens, haud cessat, pag. 149.

Quare Parochus, qui plures pa oecias unitas regit, tot pro populis Missas applicare debet, quot sint paroeciae unitae sibi subiectae, ibidem.

Excipitur tantum casus, quo ea ratione paroeciae fuerint unitae, ut, suppressis quoque titulis, una piorsus ex plurium commistione aut absorptione evadat, ibidem.

Neque suffragatur contraria inducta consuetudo etsi immemorabilis. Ea enim consuetudo adversaretur muneri pastorali, quod originem suam repetit a divino iure; quamquam ex ecclesiastica lege sit Presbyteris ex parte commissum atque determinatum, ibid.

Onus applicandi Missas pro populo in eos omnes incumbit, qui actu exercent animarum curam, sive eam exerceant nomine proprio sive nomine alieno, ibidem.

Illi tamen, qui nomine alieno animarum curam exercent, retributionem habere debent a Parocho titulari; si in redditibus adsignatis eiusmodi onus consideratum non fuerit, ibidem.

Missa quoad applicationem.

Initio saeculi XIV adhuc vigebat in Borussia, ea vetusta loquendi ratio, qua Benefactores, qui sibi perpetui Sacrificii fructum percipere optarent, significarent per verba, commemorationem sibi faciendam in Missa, in Canone et in oivinis officiis, quae commemoratio fieri quoque consueverat expresso Benefactorum nomine in ecclesiae precibus, pag. 604.

Ea est Congregationis doctrina in consuetis cnpellaniaium fundationibus, ut Missae applicandae pro fundatore sint, si non habeantur aliqua saltem indicia quibus applicaiio censeri possit libertati celebrantis relicta, pag. 605.

In hoc enim rerum genere locum habet effatum illud iuridicum: *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit,* **ibidem.**

Praecedentia.

Qui alicui ecclesiae sint adscripti, in qua detur ad honores ascensus, seu praecedendi in-', non possunt ascensum sibi iure vindicare, si eo tempore, quo factus sit ascendendi locus, non resideant, pag. 133.

Neque interest, an abfuerint (dummodo non perfunctorie) legitime vel illegitime;

Pensiones ecclesiasticae.

Privilegia quoad extinctionem.

Processus in causis iudicandis.

Promissio.

Regulares quoad Beneficia.

Regulares quoad funera.

Parochus, in cuius raroecia Regularis fortuito decedat, non potest sibi vindicare iura funerum, licet contingeret, ut eidem Regulari infirmo extrema sacramenta deferre debuisset, pag. 137.

Neque Parochus ius habet sepeliendi in sua ecclesia Regularem fortuito decedentem in eius paroecia, quando commode transferri possit ad aliquam Regularium suorum ecclesiam, ibidem.

Regulares enim, qui non fuerint violentia dispersi, et exempti sunt a paroeciali iurisdictione, et proprium habere censentur sepulcrum, quod nec declinare possunt, ibidem.

Per illegitimam Regularium suppressionem non possunt supprimi ecclesiastica eorundem iura, neque eadem iura cessant, si familiae Regulares aliquo modo persistant et convivant, quamquam coram civili lege tamquam ecclesiastica Instituta non agnoscantur, pag. 590.

Quare hisce manentibus, sarta tectaque manent iura funerum, quae ad Regulares legitime in suis ecclesiis pertineant, ibidem.

Reguläres quoad professionem.

Regularis, qui validitatem suae professionis impugnet, audiri non potest, si elapsum fuerit quinquennium ad reclamandum utile, vel etiam si extra coenobium degat, p. 433.

Is, ut audiatur, beneficium extraordinarium restitutionis in integrum a S. Sede obtinere debet, quo ad impugnandam professionem habitis reddatur, ibidem.

Hoc beneficium conceditur, si causis nullitatis professionis inspectis, appareat iniquam fuisse conditionem eius qni professus fuerit, ibidem.

In eiusmodi tamen causis, quas S. Sedes in prima instantia iudicandas sibi assumat, uno eodemque iudicio cognoscitur, tum de causis restitutionis ih integrum, tum de validitate professionis, ibid.

Professio, in suo initio nulla, non videtur posse convalescere per subsequentes actus emissos, non solum intra quinquennium, sed etiam post quinquennium, ibid.

Causa de nullitate professionis discussa, si dubium de eius nullitate adhuc supersit, idem dubium invocari potest inter causas ad obtinendam Apostolic. dispensationem, pag. 434.

Resolutiones SS. Congregationum.

Resolutiones SS. Congregationum, quae doctrinalia principia non exprimant, non sunt abstracto modo intelligendae, sed eo modo intelligi debent, prout facti species eas intelligendas esse ostendat, pag. 678.

Quare illi omnes facile errant, qui, in medium deductis verbis alicuius Resolutionis, eam -student intelligere et applicare non habita ratione facti ad quod referatur, ibidem.

Vid. PROCESSUS IN CAUSIS IUDICANDIS.

Sponsalia.

Obligatio sponsalium, quae consistunt in promissione ex una parte et in repromissione es altera futuri matrimonii contrahendi, luculenter est probanda, pag. 85.

Non quaelibet expressa promissio eiusmodi obligationem inducit, sed ea, quae ex firmo deliberateque animó proficiscatur, ib.

Agitur enim de obligat'one in re gravissima, qua mulier et vir ad invicem ligantur ad perpetuum matrimoniale vinculum sibi iniungendum, ibidem.

Vir non tenetur datam fidem servare mulieri, quam virginem putans, neque virginem immo praegnantem deinde dignoseat, pag.. 372.

Suspensio a divinis.

Suspensio sive ab officio sive ab exercitio sacri ordinis, cum gravis sit poena honoremque graviter laedat, non debet infligi nisi raro et ob graviores letales culpas, pag. 21.

Quare alia prudentiora media sunt adhibenda a Iudice antequam ad censurarum gladium deveniat, ibidem.

Causa suspensionis esse potest diuturna negigentia Parochi in pueris rudibusque imbuendis in fidei rudimentis festis diebus ac in socordia in sacramentis administrandis, spretis paternis Episcopi admonitionibus, ibidem.

Monarchica facultas, infligendi suspensionem ex informata conscientia, summa discretione et in quibusdam tantum adiunctis ab Episcopo est adhibenda, pag. 22.

Templa quoad" alienationem.

Loca sacra cultui publico destinata extra hominum commercium sunt, pag. 182.

Quare in legitima emptione venditione alicuius aedificii antea religiosi, cai adnexa coniunctaque sit sacra aedes publico cultui destinata, non potest sacra aedes dici cum eiusdem aedificii pretio empta vendita, pag. 183.

Neque utiliter dici potest, materialem structuram esse pretio aestimabilem, ideoque sub hoc adspectu templa in commercio hominum esse posse. Quod Deo 'auctoritate Ecclesiae dicatum est, in profano commercio esse non potest, nisi eadem auctoritate Ecclesiae in profanum aedificium penitus convertatur, ibidem.

Templa non paroecialia quae locis reconditis sistant, quaeque adeo fatiscant, ut neque utilitati fideli populo essent, in profanos usus dummodo non sordidos converti iure possunt/ pag. 203.

Ideoque templa auctoritate episcopali, ita profana reddita, in hominum commeicium veniunt, quum sacra esse desinant, ibidem.

Aequum autem est, ut loci materiaeque pretium seu emolumentum in utilitatem convertatur Beneficiorum, quae foite in ea exstiterint, quaeque in aliam ecclesiam seu capellani transferenda sunt cum iisdem titulis, oneribus, sacrisque pietatis christianae monumentis, ibidem. *

Templa quoad reparationem.

Onus reparandi paroeciale templum, quod redditus ad id sufficientes non habeat, primo in Parochum incumbit ex redditibus paroeciae, qui supersint, subtractis necessariis ad suam sustentationem, pag. 686.

In subsidium veniunt reliqui Beneficiarii qui forte in eodem templo Beneficia possideant, ibidem.

Horum omnium redditibus deficientibus, in subsidium veniunt Patroni si adsint, qui tenentur aut templum instaurare et reficere, aut patronatus iuri nuncium mittere, ibid.

Denique, si omnia desint, venit populus,, qui cogendus est per taxas proportione servata imponendas super bonis quae intra paroeciam possideat, ibidem.

Testamentum.

Propositum et voluntas testatoris aliunde cognita, et in testamento aliquo modo non significata, potest quidem iuvare ad interpretandum id quod significatum sit, non autem ad constituendum quod aliquo modo- in eo non fuerit significatum, pag. 97.

Id habet locum non solum in testamentis ad profanas causas, sed etiam ad causas pias, etsi testamenta ad causas pias non alias exigunt solemnitates, praeter eas, quibus certo constare possit, talem fuisse ultimam voluntatem, ibidem.

Transactiones.

Transactiones seu conventiones inter ecclesias de iuribus ecclesiasticis firmae haud sunt sine confirmatione Apostolica, pag. 441.

Veteres transactiones a S. Sede forte non confirmatae, firmitatem acquirere possunt vi consuetudinis vel praescriptionis, ibidem.

Non tamen Apostolica confirmatione, ut firmae maneant, indigent illae transactiones, quae non gravia respiciant ecclesiarum iura, quasque, necessitate vel ordine cogente,

Vicarius foraneus.

DE SOCIETATE PRINCIPUM APOSTOLORUM

Dedimus hoc anno 1870 Appendicem III, in qua de more, et profectus piae Societatis descriptus est, accedente Apostolica Benedictione, et redditio rationis oblationum anni 1869, expensarumque pro pia Societate promovenda.

Anno elapso, in claudendo Volumine quarto, scripsimus, Seminarium incepturum privata ratione proximo anno scholastico, idest mense Novembri 1869, nobis reservantes illud deinde aperire publica forma auctis oblationibus et Alumnis. At vero, dum res parabantur, ut privata ratione Seminarium inciperet, diffi cultates ortae sunt, quae rationabiliter nobis impedierunt quominus tale initium dare possemus: idque sociis Promotoribus significavimus.

Quod autem anno elapso locum non habuit, meliore ratione hoc anno obtinebit: namque iam domus designata est, in qua recipientur memse Novembri quatuor saltem Alumni ad praecipuum Seminarii scopum alendi ex oblationibus redditibusque piae Societatis, si nihil habeant quod Seminario conferant; nec non ceteri qui, congrua pensione soluta, ad Episcoporum suorum dispositionem, ecclesiasticas scientias Romae haurire exoptent.

S E *

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada Ord. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.